HWSnabelius.
7297
No. 3 H. altu
Ph. sp. 157
E
Philos. Logica. Instit. 763.
Clauberg R

JOH. CLAUBERGII

LOGICA
VETUS & NOVA,

Modum inveniendæ ac tradendæ veritatis, in Geneſi ſimul & Analyſi, facili methodo exhibens.

Editio ſecunda mille locis emendata noviſque Prolegomenis aucta.



AMSTELÆDAMI,
Ex Officina Elzeviriana.
CIƆ IƆC LVIII.

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

<36618171410019
<36618171410019
Bayer. Staatsbibliothek

TOBIÆ ANDREÆ,

Philoſophiæ, Hiſtoriarum & Græcæ Linguæ in illuſtri Academia Groningana Doctori celeberrimo.

ANni jam effluxere duodecim, quum peregrinationi Gallicæ me accingens Ontoſophiam meam, ut prudentioris alicujus hominis auctoritate munita in lucem prodiret, tuæ, Vir Clariſſime, cenſuræ ſubjeci. Hæc prima fuit occaſio inſinuandi in conſuetudinem tuam, quam ſtatim in ipſis illis exordiis luculento declaraſti argumento, quum catenatis tuis ſtudiis tot horas detrahi patereris, ut non tantùm juvenile illud ſcriptum

meum à capite ad calcem perlegeres, & totum percenſeres, additis crebrò miniatulis tuis ceris; ſed & editionem ejus me abſente curares & promoveres. Ab eo tempore tot literis, totque officiis ac beneficiis propenſiſſimum erga me affectum tuum confirmaſti, ut non dubitarim jamdudum te inter amicos & fautores primum nominare. Inter beneficia autem, quibus me tibi obſtrinxiſti, facilè primas tenet, quòd verioris Philoſophiæ accuratiùs examinandæ penitiusque cognoſcendæ præcipuus mihi auctor exſtitiſti. Equidem, quum Bremæ, diverſis tamen temporibus, uſi fuiſſemus communi præceptore, Gerhardo de Neufville, qui Scholaſticorum, quos vocant, non perpetuò hærens veſtigiis ſolidiora quædam docuerat, multò proniores, quàm vulgarium ſcholarum Philoſophiæ mancipata ingenia eſſe ſolent, ad novam lucem admittendam ambo eramus.

mus. Sed tu, quemadmodum ætate, eruditione multisque aliis partibus major me, ita hac etiam felicior, quòd prior eam vidiſti, mihique comiter viam ad eandem monſtraſti, Philoſophiam Renati des Cartes ſeriò atque diligenter ut examinarem hortatus. Quamobrem tuum ſecutus conſilium contuli me Lugdunum Batavorum, ubi non ſine inſigni ſtudiorum emolumento *cognitus* mihi communis amicus Johannes de Raey, quem ipſe Philoſophus hoc ornavit teſtimonio, quòd ſuam optimè doceret Philoſophiam. Nolo nunc immorari recenſendis reliquis. Tantùm dico, de præſtando officio animoque memori jampridem me cogitaſſe, nihilque magis in votis habuiſſe, quàm ut publicum aliquando exſtaret grati erga te animi mei documentum, & probatæ pignus amicitiæ. Itaque quum Novantiqua Logica mea eruditarum aliquot

nationum jam ſuſtinuerit judicia, tuis etiam aliorumque amicorum notis, mea denique cura innumeris in locis emendata ſit, ejus iteratam editionem nobiliſſimo nomini tuo inſcribere volui. Scio haud ingratum tibi fore hoc officium, ſive auctorem, ſive argumentum operis intueare. Nam auctorem quidem amicum certum noſti, cujus ſtudia & conatus nunquam non ſoles approbare & fovere. Nec potes ambigere, quin aliquid ſi non ingenii, quod mihi valde exiguum eſſe ſentio, at certè diligentiæ meæ monumentum voluerim in hoc ſcripto exſtare. Materia vero, de qua agitur, adeo tibi accepta & familiaris ſemper fuit, ut ante annos aliquot veræ Methodi aſſertorem ac vindicem ſtrenuum exhibere te reipublicæ literariæ non dubitaveris. Suſcipies igitur non invitus hujus quoque libri patrocinium, & quæ in eo corrigenda reſtant, ut poſteriores

cogi-

cogitationes prioribus ſunt meliores, pro ſingulari tua humanitate annotabis. Vale, Vir ampliſſime, & perge, ut facis, rei literariæ commoda feliciſſimè diutiſſiméque promovere, ſolitóque amore complecti.

Celeberrimi Nominis tui

Duisburgi, nonis Maii, 1658.

Obſervantiſſimum

JOHAN. CLAUBERGIUM.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Tertia hæc eſt primæ partis Logicæ editio, ſecunda reliquarum. Nova nunc Prolegomena de cauſis errorum & imbecillitatum humanæ mentis acceſſere, quæ futuro Logico valde utilia credidi. Logica ipſa, ad res pariter & verba quod attinet, innumeris in locis ita fuit emendata, ut vel è ſola collatione hujus & præcedentis editionis lectores attenti nonnihil addiſcere poſſe videantur. Aliàs fortè dabo commentarium Logicum, in quo rationes præceptorum pleniùs reddantur, uſusque eorum in omnibus diſciplinis uberrimus oſtendatur. Meliorem fortaſſis Logicam ſcripſiſſem, niſi veteris & novæ conjunctionem hæc tempora poſtulaſſent.

LOGICÆ PROLEGOMENA.

CAP. I.

Futuro Logico & Philoſopho errorum & imperfectionum humanæ mentis in rebus cognoſcendis originem & cauſas inveſtigandas eſſe.

1. NUlla re magis illuſtrari poteſt humanus intellectus, quàm cognitione veri, quæ cùm arte Logica multum promoveatur, dubium non eſt, quin ſingulari ſtudio hæc ſit excolenda, cumque ex perſpectis rerum cauſis cognitio iſta potiſſimùm hauriatur, bene Poëta exclamat:

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas!

2. At quoniam veritas methodusque eam inveniendi ac tradendi rectè doceri nequit,

 niſi

niſi errores prius fuerint notati ac depoſiti, (nam, ut alius poëta canit:

Sincerum niſi vas, quodcunque infundis aceſcit.)

Hinc non multò infeliciorem eum prædicabimus, qui errorum fontes & imperfectionum, quibus humana mens in rebus cognoſcendis impeditur ac retardatur, originem retexit.

3. *Imperfectionum humanæ mentis* nomine jam non intelligo eas, quæ ſpectant ad res *agendas*, id eſt, peccata & vitia moralia, de quibus corrigendis Theologorum atque Ethicorum eſt agere; ſed iſto vocabulo complector infirmitates animi noſtri in rebus *cognoſcendis*, nempe quicquid in nobis eſt erroris, oblivionis atque ignorantiæ, quicquid in conceptibus noſtris eſt obſcuritatis & confuſionis, quicquid in judiciis falſi atque incerti, quicquid in argumentationibus malæ conſequentiæ. Harum cauſas aio inveſtigandas eſſe futuro *Logico*, hoc eſt, ei, qui ratione rectè velit uti, vel aliis rectum ejus uſum monſtrare.

4. Novum hoc eſſe & inſolitum in Logicæ veſtibulo, nec miror nec moror admodum. Poſtquam enim perverſa conſuetudo, cujus genitrix antiqua Sophiſtarum turba, & recentior Scholaſticorum caterva nutrix exſtitit, paſſim in ſcholis regnare cœpit, ut cæco

in utramque partem diſputandi fervori ac de rebus omnibus vitilitigandi ſtudio primæ in eruditione partes tribuerentur, ratio nulla fuit, cur Dialecticæ, quæ talem docet methodum, ſolidius fundamentum, errorum ſabulo remoto, quæreretur.

5. Itaque nihil minùs videas, quàm Dialecticum in ſuarum inſtitutionum limine in imbecillitatibus humanæ mentis notandis, earumque cauſis inveſtigandis ſollicitum hærere diu. De rationis ente hîc toto die diſputari audias, ſitne Logica theoretica, an practica? ars, an ſcientia? quomodo dividenda? utrùm ſit pars, an inſtrumentum Philoſophiæ? &c. His fores Logicæ ſtridere ſolent controverſiis, hâc itur ad artis illius penetralia. At quoniam, meo quidem judicio, via iſta calcata nimis, & ſine magno fructu calcata, aliam omninóque diverſam inſiſtere eum neceſſe eſt, qui ſupra vulgus Logicorum ſapere cupiat.

6. Naturam ſoli & vitia conſiderat *agricola*, ut ejus colendi rationem diſcat, carduos, ſpinas & herbas noxias evellit, antequam ſemina terræ mandat. Quantò imperitiores ſunt Logici, dum mentis excolendæ modum oſtenſuri corruptam ejus naturam atque imbecillitates non antè expendunt, præconceptas falſas opiniones non antè tollunt!

7. Si ab humili terræ colono exemplum

capere detrectant, ſaltem à ſupremis *rerumpublicarum moderatoribus* rationis gubernandæ vias accipiant. Solent illi ingenia & mores populorum magnâ adhibitâ diligentiâ indagare, ut iis regiminis formam accommodent. Simili modo Logici, ſi ſapiunt & mentis dirigendæ rationem quærunt, illius indolem ac defectus animo antè habeant conceptos.

8. Quòd ſi ne horum quidem exemplum eos movet, ad Rhetoricæ, vicinæ artis, formam animos componant. Si quem conſolari velit *Orator*, fruſtra ſit, nî mœroris ac triſtitiæ cauſas nôrit, ut nec aliud quicquam perſuaſerit, niſi mores auditorum perſpectos habeat. Ita tunc demum ſuccurrere menti poterit Logicus, rectè atque ordine res cognoſcendi modum præſcribendo, cùm quid ei deſit, ubi hæreat, cur toties vacillet ac labatur, ſtudiosè inquiſiverit. Solet etiam Orator confutationem præmittere confirmationi, quoties inſigni præjudicio auditor eſt occupatus. Animus hominis plurimis opinionibus prejudicatis ab ineunte ætate eſt imbutus. Oportet igitur illas priùs detegi ac refutari, quàm veræ de rebus ſententiæ firmari ac perſuaderi poſſint.

9. Etiam *Theologos* hoc pacto imitabimur, qui hominem, quatenus divinæ providentiæ moderamine gubernatur, conſiderantes, priùs

de

de ſtatu miſeriæ & corruptionis, quàm de liberationis ac regenerationis agere inſtituunt. Legis quoque fulmine proſternunt conſcientias, antequam eas grata Euangelii luce erigant.

10. Et boni *Medici* non modò in artis ſuæ præceptis tradendis, verùm etiam in praxi, fugientes empiricorum temeritatem, morborum ſanandorum naturam, originem, cauſas antè ſolent accuratè explorare. Expurgare iidem conſueverunt humores noxios, priuſquam ſalutaria medicamenta propinent.

11. *Morbi animi* ſunt errores, dubitatio, ignorantia, & reliquæ ſuprà enarratæ imperfectiones, quibus ut medicina paretur, Logica inventa fuit. Priùs ergo morborum illorum cauſas indagare par eſt, idque tantò diligentiùs, quantò animus corpore nobilior, quantóque illius, quàm hujus, morborum cauſæ ſunt cognitu difficiliores, aut certè rariùs inveſtigatæ.

12. Cujus quidem difficultatis aut raritatis cauſam non meliùs poſſum quam Ciceronis verbis explicare. Sic autem ille initio libri tertii Tuſcul. Quæſt. *Quidnam eſſe, Brute, cauſæ putem, cur, cùm conſtemus ex animo & corpore, corporis curandi tuendiq; causâ quæſita ſit ars ejus, atque utilitas deorum immortalium inventioni conſecrata, animi autem medicina nec tam deſiderata ſit antequam inventa,*

venta, nec tam culta poſteaquam cognita eſt, nec tam multis grata & probata, pluribus etiam ſuſpecta & inviſa? an, quòd corporis gravitatem & dolorem animo judicamus, animi morbum corpore non ſentimus? ita fit, ut animus de ſe ipſe tum judicet, cùm id ipſum, quo judicat, ægrotet.

13. Rationes, quas adfert elegans Auctor, illud quod proximè dicebamus oſtendunt, nimirum, cur animi morbi eorumque cauſæ minùs ſint in propatulo, quàm corporis: iis tamen ipſe docere inſtituit, cur corporis quàm animi medicina & priùs inventa, & diligentiùs exculta fuerit.

14. Ut inde quoque diſcere liceat, quàm requiratur aberrationum intellectus humani plena & ex cauſis deſumpta cognitio, ad *Logicæ* ſtudium ut incitemur, cujus *neceſſitas* non alia ratione meliùs conſtare poteſt. Quantiſper enim rationis ubique hallucinantis animique morbos in ſuis originibus non inſpicimus, medicinam, rationis ſanandæ modum quæ tradat, aut prorſus reſpuimus, aut ſegniùs quærimus. Sani, ut eſt in proverbio, quo Servator noſter utitur, non egent medico.

15. Neque ambigo, quin hæc cauſa ſit non è minimis, cur Logica, quam habemus, ſive potiùs illa Dialectica, cujus argumentis & canonibus rerum ferè imperiti ad diſſeren-

dum

dum utimur, tam ſterilis exiſtat, tamque parum veræ Logices uſum præſtet, ut ad errores figendos valere eam potiùs, quàm ad inquirendam veritatem Bacon de Verulamio in Novo Organo, cumque eo alii non è vulgo Philoſophi affirmare non dubitaverint. Nempe medicina nulla tollendo malo ſufficere poteſt, quàm diu malum latet in abſcondito.

16. Quemadmodum autem jucundior iis eſt valetudo, qui morborum vim ante ſunt experti, quàm qui nullo unquam laborârunt: ita his demum delectabile atque acceptum erit lumen Logicum, qui mentis ſuæ tenebras caliginisque humanæ occaſiones omnes probè agnoſcere ac deplorare priùs didicerint. Atque ita tandem fiet (verba Tullii, ſed mutata, repeto) ut ars rationis gubernandæ pluribus grata ſit & probata, nullis autem ſuſpecta aut inviſa.

CAP. II.

Primam errorum originem & præcipuam infirmitatum mentis noſtræ cauſam eſſe præjudicatas Infantiæ opiniones.

17. Antequam igitur rationis ab errore deducendæ & veritatis luce irradiandæ modum pleniuscule tradere incipiamus, acturi ſumus de imbecillitatibus, quibus humana

mens à rerum cognitione avertitur: inque iis detegendis moniti illius Ariſtotelici memores (*optimè illum veritatem rei perſpicere, qui à principio res orientes ac naſcentes inſpexerit*, lib. 1. de Rep. cap. 2.) ab ovo rem ordiemur, quibus ab initiis pullulent errores noſtri, & quomodo progreſſu temporis ſuccreſcentes robur conſequantur, viſuri.

18. Nec dubium eſſe poteſt, quin ille errorem evellat optime, qui ſimul oſtendit, & qua occaſione in eum incideris, & quomodo in eodem detentus & confirmatus fueris.

19. Non videtur autem neceſſarium eſſe, ut indicemus, nos eas tantùm imperfectionum humanæ mentis in rebus cognoſcendis indagare cauſas, quæ naturalis rationis face prælucente inveniri poſſunt, non illas, quæ ex ſupernaturali de lapſu primorum parentum revelatione deſumuntur, quandoquidem ipſa tractationis hujus Logicæ ac Philoſophicæ ratio de eo dubitare ſinit neminem.

20. Principio igitur, ut à manifeſtiſſimis capiatur exordium, non perfectos nos homines naſci, ſed eſſe primùm infantes, ac deinceps adoleſcere, donec ad maturam ac firmatam deveniamus ætatem, notius eſt, quàm ut ignorari queat.

21. Neque ignotum eſt, in prima iſta ætate non modo organa corporea eſſe imbecilliora, ita ut manus ad laborandum, pedes ad ambu-

ambulandum non ſufficiant; ſed etiam rationis uſum valde imperfectum eſſe.

22. Qua imbecillitate atque imperfectione non obſtante, ſicut incedere pedibus & manibus res contrectare: ita varia de rebus in ſenſum incurrentibus judicia jam tum ferre homo incipit.

23. Et manibus quidem ac pedibus tantò rariùs actiones nocituras imperat, quantò frequentiùs incommoda ac moleſtiam inde percipit. Nam ſi quando manus ad flammam extendens uri ſe ſenſit, & poſtea currere volens cecidit, ut piſcator ictus, ſapere diſcit & cavere.

24. Judicia verò de cælo, terra, ſtellis plurimisque aliis rebus formare ſolet ſæpius ac minùs circumſpectè, quia dum rariùs ex eo quòd malè judicavit dolorem aut incommodum corpore perſentiſcit, errare ſe non animadvertit.

25. Quin etiam manus infantis conſtringuntur, ne pro lubitu res omnes attingere poſſit, jam portatur vel ducitur ab aliis hominibus, jam ſerperaſtris includitur, aliisque pluribus modis impeditur, ne fortè liberiùs evagando cadat, néve in aquam vel ignem ſe præcipitet. At judicandi facultati nulla hujus generis obſtacula ponuntur, ſed ea, nativâ ſuâ libertate utens, quouſque oculorum fertur acies, præcipiti feſtinatione excurrit.

26. Quum vero ejuſmodi judicia ab ea ætate proficiſcantur, quæ nondum eſt idonea ad judicandum, ut neque apta ſatis eſt ad loquendum, (unde *infantia* dicitur) non poſſunt non falſa aut incerta omnia à philoſopho & maturi judicii homine exiſtimari.

27. Et quia ante plenum atque integrum rationis uſum habentur, non tam judicia & ſententiæ, quàm præjudicia ſeu *præjudicatæ opiniones* debent appellari.

28. Sed quid cauſæ ſit, cur infantes erremus potiùs in judicando, quàm adulti, qua item ratione infantiæ hallucinatio reliquæ hominis ætati univerſæ ergaſtulares tenebras & ferè inextricabiles offundat, expendere deinceps plenius oportebit.

29. Nempe mens humana in prima ætate tam arctè molli corpori eſt alligata tamque profundè humido cerebro immerſa (liceat nunc ita loqui, quando aliter non poſſumus) ut non aliis cogitationibus vacet, quàm iis ſolis, per quas ea ſentit, quæ corpus afficiunt ac movent, neque aliter de rebus judicet, quàm ſecundùm illum modum, quo referuntur ad corpus, dum commodum ei vel incommodum adferunt, pluresve alios ſenſus in eo efficiunt.

30. A quacunque igitur re commodum & voluptatem in membris corporeis percipit, eam rem naturâ ſuâ *bonam* eſſe judicat, eoque me-

meliorem, quò jucundiùs corpus afficit, aut majorem ei utilitatem confert: ita infans rebus lucidis & ſplendidis maximè capi deprehenditur, quia nobiliſſimum oculorum ſenſum delectabili ſua pulchritudine ſic afficiunt, ut præſtantius objectum animo in iſta ætate occurrat nullum.

31. A qua autem re incommodum & dolor corpori infertur, illam abſolutè *malam* eſſe infans opinatur, ideóque virgam, qua interdum caſtigatur, ut rem peſſimam, ferè abhorret, neque bonitatem ullam ſerpentibus tribuit, ſiquidem degat in illis locis, ubi hominibus frequentiùs ab iis noceri ſolet.

32. Et universè *talem* rem quamlibet in ſe eſſe cenſet infans, qualis eſt in ſenſu ipſius, adeo ut nolis etiam ſonantibus affingat quicquid phantaſia ſuggerere videtur. Sic in re colorata putat eſſe aliquid omnino ſimile ſenſui ſive perceptioni, quam habet de colore.

33. Porrò eò *plus* eſſe putat in unoquoque objecto, quò plus ab eo afficitur magiſque movetur. Sic multò plus ſubſtantiæ ſeu corporeitatis eſſe autumat in ſaxis & metallis, quàm in aqua vel aëre, quia plus duritieī & ponderis in eis ſentit. Sic terram ſole cæteriſque omnibus mundi corporibus majorem eſſe exiſtimat, quia, cùm oculis ſit propinquior, craſſitie & opacitate ſua eos magis afficit.

34. Contrà, eò *minus* eſſe putat in quovis objecto, quò minùs afficitur ac movetur: ex. gr. quia non plus luminis à ſtellis fixis, quàm ab exiguis flammis lucernarum, ei affulget, iccirco nullas ſtellas flammulis iſtis majores ſibi repræſentat, tanquam exigua puncta imaginans ea corpora, quæ vel ipſum ſolem quà lucis copiâ, quà corporis amplitudine adæquare bonus Phyſicus tutiùs affirmet quam neget.

35. Ubi verò ſenſibili ratione non afficitur ſeu movetur infantis corpus, ibi *nihil* planè rerum eſſe cenſet. Sic aërem, quàm diu nullum in eo ventum, nec frigus aut calorem manifeſtè experitur, pro nihilo prorſus ducit, atque inde multa alia vacua atque inania vocat, non, quòd certa ibi deſint corpora, quæ adeſſe debent vel ſolent aliàs (quod ſapientum eſt judicium) ſed quia omne corpus, imò ſubſtantiam omnem abeſſe arbitratur. Sic totum cælorum expanſum, maximi Creatoris auguſtum opus realique materia pleniſſimum, turpiſſimè hallucinando pro inani & nihilo æſtimat. Ita cùm tempore diurno nullas ſtellas conſpiciat, nec ullas tunc ſupra hemiſphærium noſtrum verſari ſtatuit.

36. Eodem modo, quia propter amplitudinem curvaturæ non afficitur à terrę rotunditate, ideo nec globoſam, ſed planam judicat, idemque in ea ubique ſurſum, idem ubique

que deorſum, eoſdem ubique mundi cardines, Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem ſibi imaginatur. Ubi autem viſus terminatur, ibi & mundi terminos ac fines terræ collocat.

37. Itaque dum infans in loco patente conſiſtit undique circumſpiciens, terra latiſſima planitie in omnes plagas æqualiter ipſi excurrere videtur. Et ab hac planitie in circulum latiſſimum exporrecta defluxit *orbis terrarum* appellatio. Et quoniam ita ſtans infans ſe videt in medio illius plani circuli poſitum, ideo ſe habitare in medio mundi ridiculo errore ſibi perſuadet.

38. Ita ſenſim, at ſine ſenſu, hoc eſt, non advertendo, ſimul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, innumeris imbuimur præjudicatis opinionibus, & à prima noſtra infantia cum lacte nutricis errorem ſugimus.

CAP. III.

Errores infantiæ redundare ad reliquam hominis ætatem univerſam, noviſque ſubinde erroribus augeri & confirmari.

39. Conſideremus nunc pueritiam, adoleſcentiam & maturiorem hominis ætatem, videamusque, an, poſtquam nuces reliquimus & ex ephebis exceſſimus, primæ noſtræ in-

infantiæ errores corrigere atque emendare incipiamus, quod facilè quis putaret ac ſperaret, niſi experientia, quod dolendum, prorſus contrarium doceret.

40. Nam in pueritia cùm animus recordari deberet, ſe omnia quæcunque ineunte ætate judicavit, ante plenum rationis uſum abſque ſufficiente examine admiſiſſe, & quòd proinde falſa potiùs quàm vera ſint exiſtimanda, ille contrà talia ut ſenſu probè cognita, vel ut à natura ſibi indita conſiderat.

41. Hinc plurima ſunt, quæ à natura videmur didiciſſe, aut quibus notionum communium nomen imponimus, & omni homini innata arbitramur, quæ tamen revera nihil ſunt niſi præjudicatæ ætatis immaturæ opiniones.

42. Exemplum ſuppeditat Ariſtoteles 4 Phyſic. 1. ſic ſcribens: *Omnes ea, quæ ſunt, alicubi eſſe exiſtimant: quia id quod non eſt, nuſquam eſt. Vbi namque Hircocervus aut Sphinx?* Idem Cicero habet Tuſcul. 1. *Si quid eſt, nuſquam eſſe non poteſt; & ſi nuſquam eſſet, ne eſſet quidem.*

43. Et hujus quidem enunciati, quatenus pro communi notione habetur, hæc eſt ſententia, quod omne ens certo loco definitoque ſpatio circumſcribatur. Nam ita homines inferunt: hæc res eſt hîc, illa ibi, alia alibi, piſces in mari, aves in aëre, ſtellæ in cælo &c.

Ergo

Ergo nihil omnino eſt, quin ſit in aliquo loco determinato.

44. Hoc ſenſu alibi Ariſtoteles, nempe 1 de Cælo, cap. 3. ait: *Omnes homines de Diis exiſtimationem habent, & univerſi, qui Deos eſſe putant, tam Græci, quàm Barbari, ipſum ſupremum locum Diis tribuerunt.* Ubi evidenter apparet, hanc hominum notionem communem, *Deum eſſe in cælis,* tanquam ſpecialem, collocari ſub illa priore generali, *omne ens alicubi eſſe*, & ab eadem dependere. Eſſe autem erroneam illam opinionem, quod res omnes adeóque etiam Deus, certo loco comprehendantur, non arbitror longa probatione indigere, neque ea hujus eſſet loci. Hîc enim de pueritia infantilem judicandi modum non corrigente, ſed novo potiùs errore ſtabiliente loqui inſtitueramus.

45. Profectò enim pueri, haut ſecus atque infantes, omnia adhuc metiuntur voluptatis ac doloris ſenſu, ut rectiſſimè Plato dixerit Dialog. 2. de Legib. *Primum puerorum ſenſum eſſe voluptatis atque doloris: atque hæc dico eſſe, in quibus primum virtus & vitium animo innaſcuntur.* Pueri (ut Horatii verbis utar) gaudent equis, canibus & aprici gramine campi, cerei ſunt in vitia voluptatis ſpecie blandientia flecti, monitoribus aſperi: jucundas potiùs quàm honeſtas colunt amicitias.

46. Ma-

46. Maturioribus deinde annis, licèt mens non ampliùs tota corpori ejuſque voluptatibus ſerviat, pleraque tamen adhuc ad corporis uſum refert, ut mirum non ſit corporis curandi tuendique artes & prius inventas & diligentiùs ab hominibus excultas eſſe, quàm eas, quæ animo medentur, uti ex Cicerone ſuprà referebamus. Hæc ſcilicet cauſa eſt, cur pluris vulgo fiant Medici, quàm rationales aut morales Philoſophi.

47. Plato in Cratylo ridet antiquorum multos, quòd, cum ipſi paterentur cerebri vertiginem, res extra ſe poſitas verti ac vacillare putarent. Idem in fine ejus libri loquitur de hominibus, qui capitis deſtillationibus ægrotantes, ſimiliter quoque res ipſas affici judicant, quaſi deſtillatione & fluxu omnia comprehenderentur. Hæc planè affinia ſunt iis, quæ de infantium judicandi modo art. 32. & alibi diximus.

48. Conſuetum infantibus judicandi modum, de quo art. 35. imitantur, qui cæleſtia corpora nulli eſſe generationi vel corruptioni obnoxia ex eo concludunt, quòd nullam tot ſeculis mutationem ſenſus in illis obſervârint. Et poſſent eodem argumento eandem de terra concluſionem inferre, ſi hanc è cælis contemplarentur. Sic terræ multæ inhabitabiles veteribus creditæ, quia nullos earum incolas viderant. Ita ignis ille, qui terris eſt abdi-

abditus, cùm oculorum aciem rarò ſubeat, propemodum etiam ignoratur. Omnis denique naturæ contemplatio ferè incipit ac deſinit cum adſpectu.

49. Opinio illa infantiæ de lucis & ſplendoris eximia præ aliis rebus præſtantia, de qua art. 30. rudimentum fuit illius plurimarum gentium idololatriæ, quæ in cultu ſolis & cæleſtium corporum conſiſtebat. Hodie etiam barbaræ nationes perſiſtunt in puerili iſtiuſmodi judicandi ratione. Ita ſub initia navigationis in Indiam Batavi eò deferebant ſpecula, plumas, orbes aut globulos vitreos, pupas & ſimilia ſplendida, quibus incredibile dictu quantum barbari illi delectati fuerint. Pro illis enim quiſquiliis Belgæ merces omnium pretioſiſſimas, uti ſericum, margaritas, nobiliora aromata &c. domum reportârunt.

50. Ex illa opinione, quam art. 31 attingebamus, proficiſcitur, quod multi matura etiam ætate ægrè admittant Metaphyſicam illam veritatem, *omne ens eſſe bonum*. Imò reperiuntur, qui vix perſuadere ſibi poſſint, Deum creaviſſe omnia valde bona, niſi ſtatuant ſerpentes in paradiſo veneno caruiſſe, non cogitantes, venenum ratione ſerpentis, ratione item univerſi bonum quid eſſe.

51. Ex infantiæ errore, de quo art. 37. oritur, quod vulgus Judæorum credit Hieroſolymas, gentis ſuæ priſtinam patriam, in

mundi

mundi medio ſitas eſſe: quod multi etiam è Chriſtiana plebe ſibi perſuaderi patiuntur; quos præconcepta de terræ planitie opinio occæcavit.

52. Cùm igitur ipſi quoque matura ætate præditi homines præjudicatas infantiæ opiniones retineant, & pleraque ad corpus ſuum referre pergant, non eſt mirandum, quòd res vix aliunde denominent, definiant aut dividant, quàm à relatione & reſpectu ad corpus & externa ſuorum ſenſuùm organa, quibus in iis percipiendis utùntur.

53. Sic res *ſenſiles* vel *inſenſiles*, *viſibiles* vel *inviſibiles* perhibent, quæ vulgatiſſimæ diviſiones non ad rerum naturam, ſed ad ſenſus & oculos noſtros ſunt accommodatæ. *Aërem* à Græco ἄημι ſpiro vocamus, quia ore inſpiratur & exſpiratur; *Mare*, quòd amarum linguæ; *Salum* à ſalſedine; *Elementa* quaſi alimenta, quia nos alunt; *Cœlum* à Græco Κοῖλον cavum, quale nobis intuentibus apparet, inſtar fornicis, terram ibi contingentis, ubi viſus noſter terminatur. Et qui generaliter de re corporea cogitat, non tam conſiderat abſolutam naturam, nempe extenſionem ejus in longum, latum & profundum, quàm quòd durum vel molle ſit, frigidum aut calidum, tangere vel tangi poſſit, ſecundùm illud Lucretii:

Tangere vel tangi niſi corpus nulla poteſt res.

45. Quam-

54. Quamvis autem mens non omnia ad corpus referat, verùm etiam de rerum per ſe ſpectatarum veritate maturis iſtis annis inquirere inſtituens, multa ex iis, quæ olim pro veris recepit, falſa eſſe deprehendat (v. g. dum turres, quæ rotundæ viſæ fuerant eminus, cominus cernit quadratas, ac ſtatuas in earum faſtigiis collocatas, ubi eò adſcendit, permagnas agnoſcit, quæ è terra ſpectanti parvæ admodum videbantur) quia tamen vix alio hîc utitur judicandi genere, quàm quo ab incunabulis adſuevit, dum ſenſuum tantummodo ſequitur ductum, fieri non poteſt, ut iſta ratione cunctos errores ſuos emendet.

55. Ideóque multa adhuc perperam antea judicata, propter longam iis fidendi conſuetudinem, vera eſſe ſibi perſuadere pergit. Ita infantiæ errorem retinebant illi philoſophi, qui *Solem* bipedalem, aut tantum eſſe cenſebant, quantus videtur, vel paulò aut majorem aut minorem, quam ſententiam Epicuro tribuit Marcus Tullius primo de Finibus.

56. Nec alia fuit cauſa, cur veteres, ne dicam de recentiorum nonnullis, *vacuum* dari crediderint, quàm quia ab infantia putârant, in illo ſpatio nihil omnino eſſe, in quo nihil occurrit quod ſenſus moveat. Ut faciliùs veniam demus poëtis, qui aërem vacuum & inane magnum vocitare ſolent.

57. Etiam

57. Etiam antiquæ Eccleſiæ patres non pauci, quorum è numero Lactantius inprimis fuit, præjudicium de terræ planitie mordicus adeo tenuerunt, ut *Antipodas* dari, id eſt, homines, qui in contraria parte terræ adverſa pedibus noſtris calcent veſtigia,& fabuloſum & ſtultum eſſe pronunciârint. Tanta præjudicatarum opinionum vis!

58. Certè ſæpius contingit, ut ratio quidem aliter ſtatuendum eſſe dictet, ac olim judicavimus. At præjudicata opinio occupans credulitatem noſtram, tanquam longo uſu & familiaritatis jure ſibi devinctam, obſtrepit, atque ita quandoque obſiſtit,ut ne latum quidem unguem à conſuetis recedamus.

59. Nimirum nihil eſt difficilius, quàm evellere animis opiniones, quæ jam dudum invaluere. Nam ut illi, qui ab oculis laborant,ægrè lumen conſpiciunt, in tenebris verò cum voluptate verſantur: ita qui errores quaſi cum lacte imbiberunt, difficulter eos ſe dedoceri patiuntur. Et ſimile in his videre licet,quod in illis, qui alienos fetus alunt pro ſuis. Nam ſi initio ea ſciviſſent, quæ poſtea cognoſcunt, nunquam in animum fuiſſent inducturi, ut pueros tollerent: ſed poſt longi temporis educationem inviti ea audiunt quæ dicuntur, ac ſibi etiam vim faciunt,ut ne credant.

60. Adhæc, etiamſi mens humana non aſſen-

aſſentiatur ampliùs iis, in quibus antehac à ſe erratum fuiſſe adulta jam ætate obſervat, non tamen ideo facile illa ex *memoria* ſua expungit, &, quamdiu in ea hærent, variorum errorum cauſæ eſſe poſſunt. Sic, exempli cauſa, quoniam à prima ætate ſtellas imaginati ſumus perexiguas, etſi jam rationes Aſtronomicæ perſpicuè nobis oſtendant, eas eſſe quàm maximas, tantum tamen præconcepta valet opinio, ut nobis perdifficile etiamnum ſit, aliter eas ac priùs imaginari. Quotus enim quiſque eſt, qui ſurſum tollens oculos non parva valde Solis & aliorum ſiderum corpora ſibi exhibeat, utcunque Aſtronomiam haut perfunctoriè didicerit?

61. Quibus ex cauſis oritur, quòd reliquo ætatis tempore ad eum judicandi modum, cui à teneris unguiculis quaſi innutriti ſumus, incauti nunquam non relabamur. Et quæ ſic judicamus non minori jure *præjudicatæ opiniones* dici queunt, quàm quæ infantes admiſimus, quando res hoc vel illo modo ſe habere nobis perſuadebamus, priuſquam rationes ullas, quibus idipſum probaretur, expendiſſemus.

62. Porrò quia mens jam inde uſque à prima pueritia de rebus duntaxat *corporeis* cogitare fuit ſolita, hinc tota propemodum vita etiam alia, quæ ad cognoſcendum proponuntur, ſibi ut corporea repræſentat, nec quicquam

quam ſubſiſtere poſſe autumat, quod non ſit corpus. Ex. gr. unusquiſque naturali ferè impetu fertur, ut animam ſuam imaginetur inſtar venti, vel ignis, vel ætheris craſſioribus corporis partibus infuſi. Nec pauci ſunt ex veteribus pariter & recentibus, Philoſophis ac Theologis, qui Angelis corpora vel cæleſtia, vel ignea, vel aëria aſſignant. Et multi quidem verbis id negant, qui mente tamen vix aliud concipiunt.

63. Quoniam verò non de omnibus rebus corporeis, verum de iis duntaxat ab adoleſcentia cogitavimus, quæ ſimul erant *ſenſibiles*, inde corpus omne ſenſibile eſſe debere putamus, minimè advertentes, quantum hoc pacto in rerum naturam vacuum introducamus. Et ſanè ex præjudiciis infantiæ cuncti habemus aliquid, in quo Thomæ Apoſtolo comparandi ſumus, quandoquidem vix quicquam exiſtere credimus, niſi quod manibus palpamus, aut oculis ſaltem (loquor cum vulgo) videmus. Unde formulæ illæ omnium ore frequentantur: nihil ibi video, nihil audio &c. quibus verbis id exprimimus, nihil, noſtro quidem judicio, ibi exiſtere.

64. Et quia priùs de rebus materialibus cogitare conſuevimus, quàm de immaterialibus, fixa animo ſedet perſuaſio, res illas naturâ ſuâ & ab illo, qui rectè philoſophari velit, his *priùs* eſſe cognoſcendas. Et propter

hanc

hanc ac ſequente articulo dicendam cauſam Metaphyſica poſt Phyſicam uti inventa fuit, ita tradi vulgo in Scholis ſolet.

65. Præterea dum longo iſto uſu facilitatem nobis majorem comparâſſe videmur de rebus corporeis, quàm de incorporeis ſeu intellectualibus cogitandi, in eam venimus opinionem, ut res corporeas intellectualibus per ſe cognitu eſſe *faciliores* arbitremur.

66. Et quoniam res illæ ſolæ hactenus cognitæ, nempe corporeæ & ſenſiles, & priùs & faciliùs aliis rebus intelligi judicantur, ampliùs opinamur, eaſdem longè *certiùs atque evidentiùs* cognoſci; quàm ullæ res intelligentia præditæ.

67. Unde cætera omnia per ſimilitudinem rerum corporearum & ſenſilium, aut certè per negationem earum intelligimus, haut ſecus atque Non entia per negationem Entium animo concipimus. De *ſimilitudine* exemplum paulò antè vidimus in anima humana. *Negatio* vel ex eo intelligitur, quòd res corporeas & materiales, ſenſibiles item & viſibiles affirmativis, intellectuales verò incorporeas, immateriales, inſenſibiles, inviſibiles negativis vocabulis denotamus, quaſi hæ minus, illæ majus quiddam forent ac præſtantius.

68. Quoniam etiam à teneris de nulla re cogitare ſolebamus, niſi quæ corporea ſenſuum

ſuum organa priùs moviſſet atque affeciſſet, Philoſophi decantatum illud invenerunt: *nihil eſſe in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu.* Hoc eò faciliùs fidem invenit, quòd, ut art. præcedente diximus, ab infantiæ familiari judicandi modo habemus, ut per ſimilitudinem aut abſentiam rei ſub ſenſum cadentis quælibet alia mente concipiamus.

69. Ac licèt effatum ſuum poſtea falſum eſſe deprehenderent, cùm ad Deum Animamque rationalem & ſimilia ſenſum non afficientia mentem converterent, tamen ob inveteratam ita ſentiendi conſuetudinem malebant diſtinctiones varias excogitare, quàm fundatum in ſolis infantiæ præjudiciis axioma deſerere: nimirum, ut illud etiam in ſenſu fuiſſe diceretur, cujus effectus, aut ſignum aut oppoſitum &c. in ſenſu fuit, quaſi, quia videre cælum dicor, iccirco Deum oculis videam, aut quia vox illa, Angelus, aurem ferit, Angelus in aure fuiſſe debeat putari, aut quia lucem conſpicio, etiam tenebras cernam.

70. Inſuper, quia infantes & pueri nihil intelligebamus, quin ſimul aliquid imaginaremur, *intellectum & imaginationem*, etiam dum viri ſumus, pro uno eodemque accipimus, nec quicquam intelligibile putamus, quin idem ſit imaginabile, haut ſcientes, ea ſola eſſe imaginabilia, quæ in extenſione, motu & figura conſiſtunt.

71. Si-

71. Simili ratione, quoniam eopſe momento, quo organa noſtra corporea à rebus externis movebantur, mens corpori juncta percipiebat aliquid, utrumque pro uno ſumentes corporeis ſenſuum organis *perceptionem* tribuimus, quam Sapiens ſoli tribuit intellectui: ita videre oculum, aurem audire, linguam guſtare, nares olfacere, manum ſentire familiari ſermone dicimus.

72. Quod verò amplius eſt, quia, dum corpus à rebus externis afficiebatur, & mens percipiebat aliquid, illico etiam aliquid judicabat, hinc organis quoque corporeis exiſtimationem & *judicium* adſcribimus, ad quod Philoſophus corpus quidem non deſiderari, at præter intellectûs apprehenſionem voluntatis aſſenſum requiri novit.

73. Nimirum, quemadmodum in aliis ſæpenumero contingit, ita etiam in hiſce intellectûs, imaginationis, perceptionis, judicii actibus, ut pro eodem habeantur & inter ſe confundantur, tantùm eam ob cauſam, quòd ſimul tempore exiſtant. Ita, quia dum oculus *movetur* à lumine, ſimul mens corpori juncta aliquid *percipit*, ſimul *judicat*, ideo tria iſta diverſa, nempe corporis motum, mentis perceptionem, judicium, à vulgo pro uno eodemque reputantur, atque uno videndi vocabulo exprimuntur, ut, cùm dicunt, video ſolem.

74. Porrò, dum à rebus externis corpus afficiebatur, quia mens occaſione corporei motus ſtatim aliquid cogitabat, inſanabili propè errore credidimus, illam cogitationem *ab objectis* ipſis externis nos moventibus, aut per motum ipſum nobis immitti, quam tamen mens ex propria ſua facultate producit. Inde natæ videntur illæ loquendi formulæ, quibus res dicuntur venire nobis in mentem, incidere, cadere ſub intellectum, occurrere, ſuccurrere, cùm ſcimus; contrà, nos fugere, præterire, cùm eas neſcimus.

75. Ex eo etiam, quòd cognitione ſenſuali & priùs & crebriùs & ferè ſemper uſi fuimus, provenit, quòd ea putetur facilior, certior, evidentior intellectuali Omnis quidem cognitio humana intellectualis eſt, quia omnis in & ab intellectu ſeu mente eſt (corpori enim nulla competit, ex art. 71) at non omnis eo nomine appellatur, nec appellari digna eſt. Namque uti dicitur, non vivere, ſed valere vita eſt: ita dicere nobis liceat, non intelligere quovis modo; ſed attentè percipere, conſideratè judicare, provecta ætate ob novas aliquas animadverſiones quid ſtatuere, cognitio *intellectualis* eſt. *Senſualis* autem vocatur illa, quæ motum organi corporei ſtatim ſequitur, cùm ſic tantùm judicamus, quia ſic afficimur, ſecundùm art. 29 & ſequentes, hoc eſt, cùm infantes, aut certè ſecundùm

cundùm præjudicatas infantiæ opiniones aliquid cognoſcimus.

76. Certè, qui ad veram Philoſophiam ſe applicat, ſubinde apud animum ſuum experitur, quòd ea dogmata, quæ conſuetis noſtris opinionibus mille modis certiora ſunt & firmiora, minùs tamen his nos trahant in aſſenſum minusque perſuadeant. Sæpe res adeo clarè intellectui proponitur, ut eam ſtatim intueri nequeat, dum ſenſibus inhæret animus: perinde ut oculi è tenebris primùm educti lucis radios perferre non poſſunt.

77. Quotieſcunque igitur bene aliquid à mente intelligi, vel intelligi poſſe, ſignificare volumus, iis utimur loquendi modis, quibus alioquin propriè organorum corporeorum ſenſus (quos ſcil. iis tribuimus) aut ſenſibilia eorum objecta deſignantur: ex. gr. à *viſu* & rebus viſibilibus ad intellectum & res intellectuales illa transferimus: evidens eſt, evidenter apparet, clarè hoc video, elucet, perſpicuum eſt, perſpicax ingenium, vel cæco appareat, ſole meridiano clarius oratio dilucida &c. à *tactu*: teneo, apprehendo, comprehendo, arripio, rem acu tango, attingo, capio, manifeſtum eſt &c.

78. Ac denique ſi quis ſenſuum erret, alio *ſenſu*, non rationis dictamine *errorem emendari* credimus, verbi causâ, cùm baculus fractus in aqua apparet ob refractionem (h. e.

cùm eo nobis apparet modo (ex quo infans judicaret eum fractum eſſe, & ex quo etiam nos ſecundùm prejudicatas opiniones, quibus ab ineunte ætate adſuevimus, idem judicamus) putamus illico, visûs errorem à tactu corrigi, hautquaquam animadvertentes, rationem aliquam eſſe oportere, quæ nos doceat, hac in re tactûs, ignobiliſſimi ſensûs, potiùs, quàm visûs nobiliſſimi judicio ſtandum eſſe. Quæ ratio ſeu cauſa cùm ab infantia perſpecta nobis non fuerit, adeóque non à ſenſu, ſed ab intellectu ſolo petatur, ex art. 75. ad hujus judicium, ut ſupremum tribunal, ſemper confugiendum eſſe, abundè liquet. Equidem duobus ſenſibus diſſidentibus, rationis eſt litem dirimere, cùm neuter in propria cauſa judex eſſe queat.

79. Ita morbos animorum noſtrorum primùm naſcentes, tum adoleſcentes, ac virili denique robore firmatos, & ſic per univerſam vitam longè latéque ſerpentes conſpeximus.

80. Et hæc erant, quæ de principe omnis humanæ caliginis, omnium errorum noſtrorum cauſa, quæ à præjudicatis infantiæ opinionibus dependet, dicere in Logices veſtibulo hoc tempore poteramus, quibus ſi non pauca inſperſa fuerint *paradoxa*, hoc eſt, quæ ſint præter opinionem vulgi, talia omnino ſunt, qualia in ejuſcemodi tractatione occupato animo par erat occurrere.

CAP. IV.

Errorum cauſas non modò in quolibet homine ſeorſum ſpectato reperiri; verùm etiam in vitæ ſocietate propter converſationem aliorum cum aliis rationem humanam per omnem ferè ætatem ſolere multis modiſ corrumpi.

81. Clarum eſt è ſuperioribus, quomodo homo, etiamſi *ſolus* in orbe terrarum eſſet, ac ſibi totus relinqueretur, nihilominus in varios errores infans prolabatur, atque in multis eorum procedente ætate ad ſeram uſque ſenectutem confirmetur.

82. Quoniam verò ita nobiſcum comparatum eſt, ut ſoli nec ſimus, nec eſſe amemus, ſed in *ſocietate* domeſtica ac civili ſemper, quandoque etiam ſcholaſtica cum aliis vivamus, fieri nequit, quin alii ab aliis plurimos mentis errores hauriamus, cùm præjudicatis infantiæ opinionibus (quarum aliæ communes ſunt omnibus, aliæ propriæ ſingulorum) atque inde promanantibus infirmitatibus & confuſionibus ad unum omnes laboremus.

83. Vidimus equidem in præcedentibus exempla multa vocabulorum ex errore & confuſione mentis humanæ originem habentium, quibus dum utuntur docentes, utuntur

diſcentes, utuntur omnes inter ſe quibuſcunque de rebus diſſerentes, niſi accuratum rerum intellectum conjungant, & vocabulorum ex erronea theoria ortum obſervent (quotus autem quiſque hoc facit!) etiam incauti fallunt & falluntur quotidie.

84. Verùm uti ſuprà à prima ætate ad maturam uſque errorum in homine ſeparatim conſiderato ortum, progreſſum & incrementum deduximus: ita hîc in mentis imperfectionibus detegendis, quæ nobis accidunt, ut ſociis aliorum hominum, ſimilem ordinem ſequemur.

85. Principio matercularum, nutricum, ancillarum fabulæ & figmenta, ad delectandos vel terrendos *infantes* excogitata (v. g. ignem vel ferrum acutum, ſi propius infans accedat, velle mordere; Echo virgunculam eſſe in ſaxis habitantem indeque reſponſantem; in ſpeculo eſſe pupam puſionis noſtri ſimiolam; pupas audire, eſurire, dormiturire &c.) ſeriò etiam quandoque depravant eorum animos. Novi adoleſcentes, qui, cùm, pueri Æſopum triviſſent, ex iſtis *fabulis* verè ſibi perſuaſerunt, mutas animantes olim rationis & orationis fuiſſe participes.

86. Dionyſius Halicarnaſſæus in eo Romuli commendat prudentiam, quòd neutiquam admiſerit Græcorum fabulas de Diis. Quæ licèt vel occultent naturæ arcana, vel alium

alium uſum præſtent, vulgo tamen hæc arcana non penetranti, ac ne quidem inquirenti, earum notitiam eſſe damnoſam, quòd inde colligat, vel non eſſe Numen, vel, ſi nec Dii fœdis abſtineant facinoribus, ſibi quoque talia licita.

87. Adhæc *puero* vel adoleſcenti præceptore deſtituto idem evenire neceſſe eſt, quòd illi, qui, viarum ignarus cùm ſit, ſine duce aut comite primum iter facit, nimirum ut aberret perſæpe, multaque paſſim obſervanda oſcitans prætervolet. Sin habeat *præceptorem*, vel unum habet, vel plures.

88. Si *unum*, ſive vivus ille ſit ſive mutus, id eſt, liber, frequenter accidit, ut qui ſibi ſemitam non ſapit, aliis monſtrare ſatagat, & fruſtrà. Sic quia ferè uſu venit hodiè, ut ii præficiantur primæ ætati, qui necdum ipſi è luto poſuerunt pedes, inde fit, ut à pueris, docentium culpâ, linguæ barbariem & mentis errores varios hauriamus.

89. Quòd ſi *plures* adoleſcenti ſint præceptores, & par eſt ratio, ſi libri & præcepta multa ſint ac diverſa, fieri vix poteſt, ut illi omnes inter ſe conſentiant. Ut igitur iter facientes, ſi multos ac diſſentientes viæ duces habeant, altero hac, altero illac flectendum eſſe contendente, aut à via aberrare aut certè animo turbari ſolent: ita præceptores varii

ac variata nimis præcepta non poſſunt non confundere atque in errorum avia abripere juventutem.

90. Inde ſanè eſt, quòd literati magis monſtroſas quandoque foveant opiniones, quàm idiotæ: quoniam hi ſuas tantùm hauſerunt à præjudicatis infantiæ opinionibus & vulgi erroribus: illi verò & ab his errandi cauſis, & inſuper à tam variis & vagis præceptorum opinionibus ſuas acceperunt. Ac proinde in literatorum non paucos quadrat illud vulgi dicterium: Die gelehrten ſeind die verkehrten / quo Germani perverſa malè doctorum ingenia & opiniones eorum nimis paradoxas perſtringunt; ſed quod de verè eruditis, præter ac ſupra vulgi opinionem ſapientibus, per calumniam uſurpatur: quemadmodum ſanctum Paulum calumniabatur Feſtus Actor. 26. his verbis: *Inſanis, Paule, multa literæ te ad inſaniam adigunt.*

91. Ubi jam firmata *virum* fecit ætas, qui è præceptorum cuſtodia egreſſus eſt & quaſi in libertatem miſſus, tunc etiam homo plerumque adhæret præceptorum ſibi dilectorum placitis, & ſæpe quidem verbis eorum non intellectis fidem habere pergit, quoniam eos probè intellexiſſe, quid dicerent ac docerent, ſibi perſuadet.

92. Præterea multi ſeriò nihil unquam meditari ſolent, ſed fugitantes laboris aut de ſuo

ſuo deſperantes ingenio, amant alieno, & quidem præter opinionem ſuam erroneo, ſubſcribere judicio, præſertim illius, qui authoritate præditus aut vitæ ſanctitate clarus, quo mantelo etiam hæreticorum nonnulli errorum ſuorum turpitudinem texerunt. Qui facilè credit, facilè fallitur, ut vulgò dicitur. Hinc Diabolus primam parentem Evam aggreſſus eſt priùs, quàm Adamum, atque etiamnum potiùs mulieres, quàm viros, utpote ſimpliciores magisque credulas, ad veneficia & illicitas artes impoſturis ſuis pellicit.

93. Accedit vel *antiquitatis* amor nimius, vel *novitatis* ſtudium ardentius, quàm par eſt, cùm antiqua, non quia antiqua, neque nova, quia nova, ſed quòd vera deprehenſa, amplecti ſolùm deceat. Et quod aliquando verum eſt de alicujus rei natura, ſemper de ea verum eſt, ſive id ſeriùs hominibus innotuerit, ſive diu admodum fuerit perſpectum.

94. Sæpe trium literarum tyrannus Mos vim facit veritati, euntibus plerisque non quà eundum eſt, ſed quà itur, dumque eam viam, quæ tritiſſima, rectiſſimam arbitrantur, rectam negligunt. Imò tanta eſt vis conſuetudinis vulgaris, ut inſtar torrentis ſæpe etiam abripiat doctiſſimos. Et quamvis nec multitudo errantium, nec erroris vetuſtas aut fre-

quentia ei patrocinium pariant, ſunt tamen, qui cum pluribus aut veteribus errare, quàm cum paucioribus aut recentioribus rectè ſentire malunt. Uſque adeo verum eſt, quòd exemplo potiùs & conſuetudine, quàm certa ratione ducamur.

CAP. V.

Neceſſitatem atque utilitatem artis Logicæ multiplicem è ſuperioribus elucere.

95. Ex iis, quæ diximus, multiplex artis Logicæ neceſſitas oſtendi queat. Et primò quidem neceſſaria eſt unicuique *ratione ſui ipſius*. Repetamus enim paucis ſummam eorum, quæ habuimus; nempe, Hominem conſtare ex animo & corpore; eum obnoxium eſſe non corporis modò, ſed animi quoque morbis plurimis & graviſſimis; corporis morbis adhiberi medicinam oportere &c.

96. Unde colligere licet, cùm corpori ſtudiosè admodum, nec ſine cauſa, *medicina* quæratur, non minùs quærendam eſſe animo, imò magis expetendam, utpote parti nobiliori: adeò ut Logica aut magis, aut certè non minùs ad vitam rationalem gubernandam ſit neceſſaria, quàm ad vitam animalem conſervandam eſt Medicina.

97. Nec

97. Nec miraberis, quòd, cùm tanto *in honore* ſint apud omnes Medici, Logici apud pleroſque nullo penè loco habeantur. Dictum enim jam ſuprà eſt, corporis quidem morbos animo, animi verò ægritudines corpore non ſentiri, hominesque propè univerſos animalem potiùs quàm rationalem vitam ſectari. Nam inde fit, quod ſollicitus magis ſit humanus animus de medicina corporis, à cujus morbis ab ineunte ætate afficitur maximè: imo hos ſolos hominum plerique obſervare ſolent, affixi carni & ſeculo præſenti ſenſusque ſolummodo duces ſequentes.

98. At nunquid, inquies, ratio ſibi relicta ſufficit ad ſe à morbis & defectibus liberandam? Reſpondeo *Naturalem* quidem Logicam fundamentum eſſe *Artificialis*, & uſu confirmatam plurimum valere, non tamen omnino ſufficere, niſi arte juvetur, corrigatur, perficiatur. Hoc facilè concedes, ſi cogites omni homini non ſolùm loquendi facultatem à natura datam, verùm etiam uſu linguas addiſci à plurimis, ſic tamen, ut peritiores arti Grammaticæ multum ſe debere fateantur.

99. Nec parem ſolùm *Grammaticæ & Logicæ*; ſed majorem etiam hujus neceſſitatem eſſe arbitror. Nam primò, ratio jam fuit corrupta, cùm fari inciperemus, eademque corruptio ſermonem corrupit, & viciſſim

ſermonis uſu ſtabilita fuit, ut ſuprà vidimus. Deinde, ſi uſum loquendi vulgarem ſequamur, rectè loquemur: at non rectè ratiocinabimur, ſi vulgarem ratione utendi modum imitemur. Denique, ſermo in ſenſus noſtros incurrit & facilè obſervatur in uſu quotidiano cuilibet imitaturo: at rationis actio non ita ſe prodit externo ſermone vel factis, quin ſæpiſſime homines aliud cogitent & ſentiant, aliud loquantur aut faciant.

100. Quoniam igitur ad rectum rationis uſum pauci aut nulli nobis præeunt, plurimi malè præeunt, neceſſum erit, uti mens ipſa viribus à natura ſibi relictis, quantum fieri poteſt, intentis artem aliquam inveniat, qua corrigere defectus ſuos enitatur. Nempe mens ſibi ipſi medicus eſſe debet, & primò è ſemetipſa ſtudere, ſemetipſam reformare, nec aliunde petere, quod parere ac parare ipſa ſibi proprio Marte valeat. Hæc de neceſſitate atque utilitate Logicæ reſpectu mentis propriæ.

101. Jam quia in vitæ hujus ſocietate alii ſæpe homines veritatis præceptis imbuendi ſunt, certè nulli unquam fallendi, nec voce, nec ſcripto, nec alio ſigno; ideo hinc oritur ſecunda Logicæ neceſſitas, quæ reſpicit eos, quos *docemus*, aut quibuſcum diſſerimus. Quis enim neget, ſingulari nobis arte opus

eſſe

eſſe, ut homines à præjudicatis infantiæ opinionibus atque inde deſcendente erroneo judicandi modo liberatos paulatim ad rectiorem rationis uſum ducamus?

102. At cùm plures ſemper inveniantur diſcentes, quàm docentes, aut magis, aut certè non minùs neceſſarium atque utile eſt, noſſe *artem diſcendi:* quomodo ſcilicet nos gerere debeamus in aliorum, qui ſcripto aut viva voce nos docere conantur, dictis examinandis ac dijudicandis. Hic ergo rationis uſus, qui eſt diſcentium reſpectu doctorum, tertiam nobis parit Logicæ neceſſitatem.

103. Atqui duplice in hoc negotio opus eſt labore. Qui enim ab alio diſcit ejusque verba examinare &, uti par eſt, æſtimare cupit, is primò ſenſum & ſignificationem laborat inveſtigare, ſi fortè non ſtatim occurrat; deinde, an rectè ſic ſenſerit ac docuerit, bene an malè ſic ſcripſerit ille, æqua judicii lance trutinat. Hinc tertia Logicæ neceſſitas bipartita eſt, quemadmodum è ſequente Logicæ partitione clariùs cernere licebit.

CAP. VI.

Ex dictis intelligi plenam ac perfectam Logicam eſſe quadripartitam, cujus duæ priores partes Geneticæ, duæ poſteriores Analyticæ.

104. Facile nunc è ſuperioribus diſcere eſt, quænam ſit, & quàm latè ſe extendat ars rationis formandæ, quam LOGICAM appellamus. Nam partes ejus ſingulas, harumque nexum ac differentias generatim nobis ob oculos ponere in præſentia poſſumus.

105. Cùm enim Logica mentis ab errore deducendæ & veritatis cognoſcendæ data ſit inſtrumentum (unde *organum* Ariſtoteli dicitur) cumque inſtrumentum omne naturâ ſuâ tantùm alterius rei gratiâ ſit, totumque in uſu conſiſtat, certum eſt, nos ab ipſa artis hujus natura diviſionem ejus deſumturos, ſi à fine ſive uſu illius eam arceſſamus, nec poſſe dari partitionem meliorem.

106. Vidimus autem errores & imbecillitates mentis noſtræ partim à nobis, partim ab aliis pendere; item, nos poſſe vel per noſmetipſos vel per alios ab iis liberari & meliora diſcere. Itaque ars Logica reperta eſt, ut mentem humanam ducat vel ad rectam formationem ſeu γένεσιν ſuarum cogitationum,

vel

vel ad convenientem reſolutionem ſeu *ἀνάλυσιν* alienarum cogitationum. Hinc primò dividitur in GENETICAM & ANALYTICAM.

107. Differunt hæ Logicæ partes multis modis. Etenim Genetica eſſe poſſet, etiamſi non exſtaret Analytica: non vice verſa. Nam ſi unus homo ſolus in hoc terrarum orbe viveret, vel plures quidem, at tales, inter quos nulla communionis ſocietas, nec ullus eſſet, qui cogitationes ſuas aliis manifeſtaret, Logica quidem Genetica haberet locum, non autem Analytica. Separari ergo poteſt geneſis propriarum cogitationum ab analyſi alienarum. Et Analytica præſupponit, quòd cogitata alterius nobiſcum poſſint communicari, quod Genetica neceſſariò non requirit.

108. In Logica Genetica mens in ſe reflexa verſatur circa proprias cogitationes: in Analytica mens verſatur circa alienas: ibi formandæ, hîc formatæ reſpiciuntur cogitationes: illa prior eſt & magis neceſſaria, quàm hæc; quia compoſitio prior eſt reſolutione, & magis requiritur, ut ſuas quiſque cogitationes rite formet, quàm ut alienas cognoſcat: illud cuivis homini eruditionis amanti, etiam ſolitario; hoc non niſi inter homines vitam agenti, vel ab alio diſcere volenti neceſſarium eſt.

109. Quid autem, inquies, ſi quis fortaſſis cogitationes & opiniones ſuas antea animo impreſſas, vel ſcripto etiam expreſſas, poſtea ipſe reſolvere atque examinare tentet? Reſpondeo, & hoc examen rigidius atque accuratius fore, ſi noſtra tanquam alterius, vel peregrini, vel etiam hoſtis, intueamur.

110. Sed quemadmodum pręter Grammaticam & Rhetoricam Geneticam, Analytica nulla deſiderari ſolet: ita fortè putet aliquis, Logicâ Analyticâ poſt Geneticā traditā opus non eſſe, quia ad illam amuſſim, ad quam *ſua* ſolet unuſquiſque exigere meditata in geneſi, *aliorum* quoque cogitata expendere debet in analyſi. Reſp. Ut detur hoc ipſum, ſunt tamen alia multa præcepta analytico ſpeciatim obſervanda. Nam ex.gr. ubi, quęſo, in Logica Genetica modus inveſtigandi verum ſenſum alicujus dicti vel ſcripti proponitur, & quid opus eſt hunc ſuarum tantùm cogitationum formandarum gratiâ addiſcere? Et quamvis Logica Analytica per ſe neceſſaria non foret, perutilis tamen eſt intuitu plerorumque hominū, in alienis dictis ſcriptisve reſolvendis mirum in modum nunquam non hallucinantium. Quamobrem & Logici celebres de Analyſi Logica tractationem inſtituere ab officio ſuo minimè alienum eſſe crediderunt.

111. Et hæc de prima & generaliſſima Logices diviſione, quæ omnes alias, quæ datæ un-

unquam ſunt, vel dari poſſunt, antecedit. Nunc ad Geneticæ ſubdiviſionem procedamus. Nempe Logica Genetica ducens intellectum ad rectam formationem ſuarum cogitationum, dirigit eum vel *ad ſeipſum*, *ſeu, ut ipſe quidvis ritè cognoſcat*; *vel ad alios*, *ſeu, ut cognita cum aliis aptè communicet*. Prior pars tantùm comparata eſt ad id, ut regatur *ſermo internus* ſeu cogitatio: poſterior inſuper formare docet *ſermonem externum* ſeu orationem, quæ cogitationis eſt interpres.

112. Ratione poſterioris hujus partis Logica ſimilis quodammodo eſt Grammaticæ & Rhetoricæ, quæ inde communi nomine *artes Logicæ* interdum appellantur. Diſtinctio tamen harum trium artium eſt in propatulo. Nam *Grammatica* pertinet ad ſermonem externum emendatè tum formandum, tum efferendum, *Rhetorica* ad ornandum tropis ac figuris. Neutrum horum facit Logicæ Geneticæ pars poſterior; ſed tantùm inſervit menti ad ſuos conceptus, modo ad priorem partem accommodato, aliis explicandos. Itaque docet, quibus verbis definitiones, diviſiones, ſyllogiſmi in mente formati ſint efferendi, quibus notis individuum deſcribatur, quomodo univerſalis, particularis, ſingularis enunciatio exprimatur, quomodo vocum ad mentis conceptus interpretandos neceſſariarum defectui, obſcuritati, ambiguitati ſit occur-

currendum, quomodo loquamur docentes, quomodo diſſerentes &c. Quæ præcepta Hermeneutica à Grammaticis & Rhetoricis diverſa eſſe nemo non videt.

113. Differunt porrò Logicæ geneticæ partes inter ſeſe, quod poſterior modum bene docendi, qui interpretationis ſpecies eſt potiſſima, exhibeat: cùm prior inveniendi veri methodum tradat. Prior eò pertinet, ut ipſi aliquid ſciamus: poſterior oſtendit, quomodo oporteat efficere, ut id, quod ſcimus, alter quoque ſciat: hoc enim eſt *docere*, ſi vocem iſtam latiùs accipias. Denique pars poſterior vulgò magis eſt exculta priore, quòd de tradendis ſcientiis velut jam repertis, non autem de inveniendis Logici ſcriptores fuerint plerumque ſolliciti.

114. Sed ita quidem, obtendet aliquis, intelligitur, has Logicæ geneticæ partes *poſſe diſtingui*, non videntur tamen propterea *ſeparatim eſſe tractanda*. Nam ut homo ſolitarius non eſt, ita nec in ſeceſſu, ſed in frequentia hominum diſcit, nec tantùm ex mentis ſuæ Deique & naturæ contemplatione; ſed etiam ab aliis hominibus ſcientiam haurit, ſimulque & ſemel ſermonem internum & externum formare conſueſcit, ut quantum mente concepit, tantum verbis efferat: unde etiam alii Logici non ſolent pro ſermonis interni externique diſtinctione duas diverſas Logicæ par-

partes facere, ſed ea, quæ ad utrumque ſpectant, paſſim in præceptis tradendis conjungere.

115. Reſpondemus, poſſe hominem ſine magiſtri ductu, ſuo remigio, è ſola mentis ſuæ tabula & mundi vaſto volumine ſtudere; imò *pluris* in rebus naturali lumini ſubjectis faciendam eſſe unam veritatem proprio Marte repertam, quàm decem ab aliis acceptas; adhæc dari exempla eorum, qui è ſemetipſis & mundi libro ſtudentes magni viri evaſerunt. Atqui illis in hunc finem uſui tantùm fuit pars Logicæ geneticæ prior.

116. Tum ea, quæ ſimul ſunt in homine vel ab homine, ſimul etiam tractari & cognoſci in diſciplinis propterea non eſt neceſſe. Nam ex. gr. quoties homo vulgò quid intelligit, etiam aliquid imaginatur. Attamen diſtinctæ ſunt in Phyſicis de imaginatione ſeu interno ſenſu & intellectu ſeu ratione tractationes. Neque novum eſt aut inſuetum, quòd in uſu ſeu praxi permiſceantur, quæ in theoria ſeu doctrina veluti diſtincta proponuntur. Unde & Logica *docens* ab utente ſeu *operante* diſtingui ſolet.

117. Denique ea, quæ unà formantur ac perficiuntur, non ad eandem illico diſciplinæ alicujus partem referenda. Mens, manus, lingua ſimul formantur in ſcholis. Sed lingua ſingulatim per Proſodiam, manus per Ortho-

thographiam, mens per Philoſophiam, Theologiam & alias artes.

118. Operæ igitur pretium erit in tradendis Geneticæ Logicæ præceptis partem priorem à poſteriore *ſeparari*, quia ſermo (λόγος) internus & externus, ſive ratio & oratio, ſunt res diſtinctiſſimæ, quemadmodum vel inde liquet, quòd homines aliud ſæpe dicunt, aliud animo concipiunt, verbis interdum affirmant, quod mente negant, ſæpe aliquid ſciunt, ſed efferre neſciunt. Ejuſdem ſeparationis utilitas ex eo cognoſcitur, quòd rerum & vocum conceptus confundi ſoliti, ut ab errore liberemur, omnino diſtinguendi ſint. Cumque Logica ordinis, methodi, diſtinctionis leges cunctis præſcribat ſcientiis, meritò ipſa ab omni confuſione abhorrebit, & ſuo reliquis exemplo præibit. Et, ſi vel alius inde fructus exſpectari poſſit nullus, ſaltem illa ordinatæ diſtinctionis luce mens non poterit non illuſtrari plurimum.

119. Tandem ad ſuperiorem Geneticæ Logicæ diviſionem clariùs adhuc explicandam, ſimilem poſſumus adferre ex Ethicis, ubi virtus moralis ita diſtinguitur, quòd alia reſpiciat *nos ipſos*, ut fortitudo, quæ metum, temperantia, quæ cupiditatem voluptatum, manſuetudo, quæ iram in nobis moderatur &c. alia reſpiciat *alios*, uti juſtitia, quæ eſt cæterarum virtutum uſus erga alios, dum ſuum

ſuum cuique tribuit & rectè cum hominibus contrahit. Hæc de Logicæ Geneticæ diviſione, nunc in ſuas partes etiam diſtribuamus Analyticam.

120. Analytica dirigit mentem in reſolutione eorum, quæ compoſita ſunt, primò, *ut intelligamus, quænam illa ſint*, ſive, *ut verum ſenſum cognoſcamus externi ſermonis:* deinde, *ut percipiamus, an talia ſint, qualia eſſe debent*, ſive, *ut verum à falſo, conſequens ab inconſequente* &c. *in ſermone interno dignoſcamus.* Hinc duæ ſunt ejus partes, quarum prior Geneticæ poſteriori, poſterior priori inprimis reſpondet, ſecundùm illud effatum: quod primum in geneſi, ultimum eſt in analyſi.

121. Prior Analyticæ pars occupatur tantum circa illam *ſermonis externi* affectionem, quæ in ſimplicibus verbis ſignificatio, in ſententiis integris ſenſus dicitur: poſterior circa *plures affectiones interni* ſermonis verſatur, inquirendo, verum an falſum ſit axioma, neceſſariò an contingenter tale, quid ex quo conſequatur aut non, thema ab argumentis diſtinguit, confuſas cogitationes à diſtinctis ſegregat, in qua figura vel modo ſit allatus ſyllogiſmus examinat &c.

122. Neque credendum eſt interpretandi modum ad Lexicam, Grammaticam & Rhetoricam, non ad Logicam pertinere. Nam

verum orationis obſcuræ ſenſum interpretari & à falſo vindicare Grammatica & Lexica nuſquam docent. Interpretatio oratoria & eccleſiaſtica in eo, quod præter inveſtigationem ſenſus & Logicam analyſin habet, ſolùm reſpicit uſum & fructum è verbis ſcriptoris ad populum redundantem. Interim à Lexicis, Grammaticis & Rhetoricis non imparatum eſſe decet bonum interpretem. Omnes enim artes, quæ communi nomine *Logicæ* appellantur, mutuas ſibi præſtant operas. Et multum quidem Grammaticæ & Rhetoricæ in evolvenda ſententiarum obſcuritate tribuimus; at negamus, ita eas rem totam expedire, ut nulla in parte ſuppetias ferre teneatur noſtra Hermeneutica: quod meliùs demonſtrare non poſſumus, quàm ſi hanc ipſam lectoris judicio ſubmittamus.

123. Quamvis autem Theologi in loco de Scriptura ſacra de ejus interpretatione ſoleant agere, quamvis etiam Juriſperiti de Legum interpretatione tractent, non tamen inde licet concludere, rectam interpretandi methodum ad ſingulas potiùs diſciplinas, quàm ad Logicam ſpectare. Nam verum ſenſum inveſtigandi regulæ multæ ſunt, eædemque utiliſſimæ, Theologo, Juriſconſulto & aliis omnibus communes. Ergo generaliter ſunt tradendæ, eadem ratione, qua

qua Rhetores accuratiores præcepta eloquentiæ Oratoribus & Poëtis communia ad Rhetoricam communem referunt, non ad Oratoriam vel Poëticam reſtringunt. Non poſſunt autem communes iſti interpretandi canones alibi tradi quàm in Logica, quia *modus interpretandi* eſt modus verum alicujus dicti ſenſum cognoſcendi. Omnis autem ad cognitionem veri perveniendi modus pars eſt Logicæ, ſiquidem hæc rectè τρόπος ἐπιστήμης Ariſtoteli definitur.

124. Fatemur interim Hermeneuticam illam analyticam non fuiſſe omni ævo æquè neceſſariam. Nam *Veteres*, apud quos aut nulla aut pauca admodum exſtabant monumenta ſcripta, minùs ea indigebant. Quæ cauſa eſt, cur ab illis non fuerit tradita, & ab Ariſtotele in lib. de Interpretatione vix primis lineamentis adumbrata. Nunc verò cùm librorum copia ferme oneremur, ac Theologi ſimul & Jureconſulti principia habeant ſcripta, maximè illa cuique neceſſaria eſt, præſertim Theologiæ & Jurisprudentiæ ſtudioſis; imo omnibus iis, qui de Scriptorum illuſtriū mente digladiari ſolent, cujuſmodi & patrum & noſtra memoria ſunt longè plures, quàm qui de rerum per ſe conſideratarum veritate ſolliciti. Et cùm dentur perverſo hoc ſeculo plurimi, qui optimè dicta in alienum ſenſum detorquere ſtudent,

fini-

ſiniſtrâ accipientes, quæ magni Scriptores dextrâ præbuerunt, Hermeneuticæ analyticæ eſt, non tantùm Interpretis ideam, ſed etiam Calumniatoris indolem delineare, ut internoſcere queat vir Logicus, quæ vera interpretatio, quæ calumnia, quis bonus Interpres, quis Calumniator & Sycophanta malitioſus. At nunc ad quatuor Logicæ partes ordine tradendas accedamus.

LOGICÆ

PARS PRIMA,

Docens, quomodo quis ſuas cogitationes in rebus percipiendis, judicandis, memoriaque retinendis, recte poſſit formare.

CAP. I.

Ratione ſua recte uſurus notabit primo rerum cognoſcendarum *cognitioniſque differentias*, *deinde* ſuam cognoſcentis *ætatem*, *ingenium*, *profectus explorabit.*

1. CVm Logica ſit ars ratione recte utendi, non immerito primo loco quæri poteſt, quænam ſummatim conſiderare oporteat illum, qui ratione ſua recte velit uti? *Reſp.* Conſiderare oportet primò, *quid* ſit cognoſcendum & quotuplex cognitio, deinde, *quis* ipſe ſit, qui vult cognoſcere, præterea, & maxime quidem, *quomodo* debeat cognoſcere.

2. Quid de iis, quæ *cognoſcenda* ſunt, obſervandum? *Reſp.* Eorum differentiæ ſunt notandæ, ita ut id, quod omnibus neceſſario cognoſcendum eſt, ante omnia cognoſcamus, v. g. Deum & nos ipſos: in cæteris vero eorum, quæ potioris ſunt dignitatis & uſus, potiorem rationem habeamus, non neceſſariis atque inutilibus omiſſis, cum ſapientia non paretur ex quarumvis rerum notitia, ſed ex earum duntaxat quæ majoris ſunt momenti, & multa denique exiſtant, quæ à viro erudito ſine dedecore poſſint ignorari.

3. An cum differentia rerum cognoſcendarum *cognitionis* etiam differentiâ obſervanda? *Reſp.* Vt cognoſcendorum pariter & cognitionis differentiæ perſpiciantur, tenendum eſt, res alias ſolum à nobis cognoſci, ut earum cognitione tanquam luce mens illuſtretur, nonnullas vero, ut illarum cognitio nobis inſerviat ad alias actiones ſuſcipiendas: illa cognitio *theoretica*, hæc *practica* vocatur: ex. gr. cognitio cæli eſt theoretica, cognitio autem virtutum eſt practica, quoniam virtutes ideo cognoſcimus, debemus certe, ut eas vita & actionibus noſtris exprimamus; cæli vero cognitio non ordinatur ad ejuſmodi actionem moralem, quæ circa ipſum cælum ſit ſuſcipienda.

4. At nunquid cæli notitiâ ad Creatorem agnoſcendum ac celebrandum adducimur, & nun-

& nunquid aliarum quoque rerum contemplatione ad praxin ſemper aliquam dirigimur? *Reſp.* Hinc quidem ſequitur, *omnem cognitionem quodammodo practicam eſſe oportere*, nullam otioſam aut ſterilem: attamen quia illa praxis vel non agit de iis rebus, de quibus theoria, (ex. gr. quando contemplor cælum, atque inde in DEI laudes aſſurgo, aliud contemplationis illius, aliud actionis hujus objectum eſt) vel quia non adeo cordi eſt homini ſolam propriæ mentis culturam ſibi proponenti, ideo non ſolet ejuſmodi cognitio ſimpliciter practica appellari.

5. Quæ inſuper cognitionis notanda eſt differentia? *Reſp.* Cognitio alia eſt firma & accurata, quæ (voce late ſumta) vocatur *ſcientia*; alia tenuis & popularis, quæ dicitur *opinio*: illius autem comparandæ gratia ars Logica imprimis inventa fuit, quoniam hanc etiam ſine arte licet indipiſci.

6. Cur ſecundo loco conſiderare oportet *quis ego ſim*, qui volo cognoſcere? *Reſp.* Quia non omnia ab omnibus æque cognoſci poſſunt aut debent, nec juvat noſſe num quid cognitu dignum exiſtat, niſi etiam ad id cognoſcendum idoneum te eſſe noveris.

7. Quid in mei ipſius conſideratione primum eſt? *Reſp.* Primum ratio habenda eſt *ætatis*, non enim omnia omni conveniunt

ætati. Prima verſari debet circa linguas, rudimenta Arithmetica, Geometrica, Aſtronomica, Geographica & ſimilia, quæ miniſterio ſenſuum & memoriæ indigent, quibus adoleſcentia pollet maxime. Matura demum ætas creſcente judicio ad accuratiorem Philoſophiam, quæ rerum cauſas ac principia ſcrutatur, ſuperioreſque, quas vocant, Facultates (Theologiam, Iuriſprudentiam, Medicinam) accedere poteſt.

8. Quid in mei conſideratione ſecundum eſt? *Reſp.* Explorandum eſt *ingenium*, num ſit velox an tardum, præceps ad feſtinandum, an ad ſedatas meditationes factum, acutum an hebes, confidens an diffidens ſibi, diligens an negligens, ad quæ naturæ impetu imprimis feratur, ad quæ aptum, ad quæ ineptum. Neque enim exiſtimandum eſt tali homines ingenio eſſe præditos, ut ſapientes cuncti eſſe poſſint, aut in iiſdem omnes artibus excellere. Alii ad Matheſin, alii ad Oratoriam, alii ad Poëſin, pauciſſimi, qui ad multa vel omnia facti. Ac proinde cujus intellectus non poteſt vera plurium, multo minus omnium rerum cognitione imbui, annitatur ſaltem, ut pro captus, temporis, loci ordiniſque ſui ratione maxime neceſſariarum ſcientiam comparet. Quo genius quemque ſuus inclinat, quo fata trahunt ſequendum.

9. Quid

9. Quid in mei conſideratione tertium eſt? *Reſp.* Vt expendam *profectus* meos, paratus an imparatus, aut quomodo comparatus ad imbibendam ſcientiam accedam. Nam ſi plane ſim rudis earum rerum, quas ſum cogniturus, à primis initiis inchoandum; ſi ante inſtitutus recte, ibi pergendum ubi ſubſtiti; ſin malè doctus, vitium tollendum eſt, antequam aliud quicquam aggrediare. Et primo quidem ad res cognoſcendas animum appellens tardius procedet & multum aget, non multa; qui jam profecit & ad perfectionem tendit, celerius pergens multa tractabit. At hæc ad cognoſcendi modum nos deducunt, id quod ut potiſſimum eſt in rationis uſu, ita deinceps à nobis toto libro conſiderabitur.

CAP. II.

Præterea, & maxime quidem, cognoſcendi modum *rectum tenebit, ſive Methodum facilem, brevem ac* tutam, *id eſt, humanæ mentis naturæ congruam, plenam & perfectam, ſic juvantem, ut nulla parte noceat. Hanc Methodum docet Logica, cujus tres ſunt gradus. Horum* primus *perce-*

ptionem rerum claram ac diſtinctam promovet.

10. Cur præter id, quod cognoſcendum eſt, & me, qui cogniturus ſum, tertio loco conſiderare oportet *cognoſcendi modum? Reſp.* Quia etiamſi ætate quis matura ad optima cognoſcenda animum applicet, ingenioque valeat, non tamen hæc ſufficiunt, niſi rectam cognoſcendi viam ingrediatur. Quin etiam ingenii defectus penſatur methodi perfectione, & plus promovet qui rectam perpetuo viam inſiſtens lentiſſimo tantum gradu incedit, quam qui ſæpe aberrans celerius graditur, ſecundum proverbium: claudus in via incedens antevertit currentem devium.

11. Vt autem bonus ſit cognoſcendi modus, quid requiritur? *Reſp.* Bona Methodus ſeu recta ad veri cognitionem perveniendi via ejuſmodi eſſe debet, ut veri ſtudioſus eam calcare & poſſit facile, & velit lubenter. Poterit, ſi non ſalebroſa & impedita, ſed plana ſit & *facilis*, per quam etiam ingenio ſuo parum fidens, aut qui pedibus ægro, tardo vel claudo ſimilis eſt, multum queat promovere. Volet etiam, ſi *brevis* & compendiaria ſit, quam celeriter & cum voluptate poſſit emetiri. Neque enim recta erit, ſi obliquis ambagibus euntem retardet, neque facilis, ſi longa ſit adeo, ut metam illius nullam animo

mo queas perſpicere, neque vitæ brevitati rerumque diſcendarum copiæ ſatisfaciet.

12. At cum dari poſſit via, quam & propter facilitatem poſſis & propter brevitatem velis ingredi, quæ tamen propter alias rationes non ſatis *tuta* & ſecura deprehendatur, quid in veri veſtigandi Methodo præter jam dicta deſideratur, ut fidere illi tuto poſſis? *Reſp.* Hoc animadvertes, ſi, alia comparatione utendo, cogites, id Logicam præſtare animo, quod Medicina corpori, cum illius æque ac hujus varii ſint morbi, quibus nos mederi oportet. Quamobrem ſicut illa medicina tuta merito cenſetur, quæ naturam non evertit, ſed ei ſuccurrit; & ille medicus perfectus, qui non tantum febri aut peſti, ſed omni morborum generi remedia comparare novit; ac denique illud medicamentum ſalutare, quod ita curat ægrotum, ne præcipitet in alium morbum: ita tria requiruntur in Logica animorum curam agente, quæ ſtudioſe ſunt obſervanda.

13. Quid ergo primum in Logica ſeu Methodo requiritur? *Reſp.* Vt naturæ mentis humanæ, quæ rerum cognitione imbuenda eſt, ſit accommodata, vim ei nullam inferat, non corrumpat rationem, ſed leniter illam juvet ac perficiat, quæque ingenium humanum eo modo ducat & regat, quo duci & regi gaudet, non rapiat invitum. Atque ita

vitandus eſt omnis ille cognoſcendi modus, quo ingenium turbatur & obſcuratur, quove humana ratio, quæ ætate matureſcere & Methodo excoli debet, paulatim depravari poſſet. Ac ſicut medicamentis non cruciandus æger, ubi facilius natura ſanat: ita ubi ratio vi nativa & per ſeipſam facilius rem aſſequitur, non eſt præceptis Logicis oneranda.

14. Quænam eſt ſecunda Methodi conditio? *Reſp.* Methodum ejuſmodi eſſe decet, ut mens illius ope non ab uno tantum morborum genere, id eſt, ab una aliqua in rebus cognoſcendis imbecillitate; ſed ab omnibus liberetur, nempe ab inconſiderantia, ignorantia, errore, dubitatione, obſcuritate, confuſione, oblivione. Hæ namque ſunt animi ad res cognoſcendas (non enim de agendis jam agitur) applicandi ægritudines, quas univerſas niſi ſanaverit Logica, mutila erit & imperfecta.

15. Quæ tertia Methodi virtus? *Reſp.* ut ſic liberet mentem uno morbo, ne interim inducat alium: v. g. dum ingenium acuit & exercet, non fatigabit nec lædet imaginandi facultatem, dum adminicula memoriæ proponens ab oblivione vindicat, non corrumpet judicium, &c.

16. Quomodo pervenitur ad illam *Logicam*, quæ talem cognoſcendi modum, id eſt, faci-

facilem, brevem, expeditum, tutum, plenum, naturæ mentis humanæ conſentaneum, nobis exhibet? *Reſp.* Tribus gradibus eo venitur: nam primo diſcendum eſt, quomodo quid clare ac diſtincte *percipere*; deinde quomodo de iis, quæ percepimus, recte *judicare*; denique quomodo ea, quæ recte percepimus ac judicavimus, *memoriæ retinere* oporteat.

17. Quomodo tres hi Logicæ gradus à morbis animum liberant, perfectamque adeo medendi animo Methodum continent? *Reſp.* *Primus*, mente ab inconſiderantia ad attentionem prius vocata, obſcuritati & confuſioni; *ſecundus* errori ac dubitationi; *tertius* oblivioni præcipue medetur. *Omnes* autem ex profundis ignorantiæ tenebris emergendi & ad cognitionis lucem conſcendendi ſcalam conficiunt.

CAP. III.

Ad perceptionem claram ac diſtinctam reddendam primum & maxime neceſſario *requiritur* Attentio *debita*, *quæ* comparatur *rei attendendæ unitate, jucunditate, novitate, ſenſibili præſentia, ſtudiis Mathematicis, temporis ac loci idonei obſervatione.*

 18. Quid

18. Quid omnium primum eſt, ſine quo mens clarè ac diſtinctè rem percipere non poteſt? *Reſp.* Attentio debita, & juſta in rebus conſiderandis mora. Nam ejus demum rei clara eſt perceptio, quam mens attendens quaſi præſentem intuetur, & multa eo uno manifeſta fiunt, quod attenduntur, ita ut alia inſtrumenta Logica, v. g. definitionem, diviſionem, ſyllogiſmum, adhibere non ſit neceſſe.

19. Cur hoc omnium *primum* vocas? *Reſp.* Quoniam aliis omnibus poſthabitis mens humana liberanda eſt ab incuria & inconſiderantia, quem primum & graviſſimum animi morbum non ſine ratione dixeris, cùm à rei cognitione mentem prorſus abducat, atque adeo ignorantiæ & erroris, aliorumque animi morborum prima origo exiſtat.

20. Quam igitur ob cauſam attentio adeo *neceſſaria* eſt? *Reſp.* Propter leves & vagas hominum plerorumque, imprimis juvenum, cogitationes, ut in ſolidioris ſtudii itinere ſuſpenſo gradu lentius incedere, & ab errorum ſcopulis cavere aſſueſcant, omnia ſatis diu circumſpiciant, non autem curſim & properantes, ut arrogantibus ingeniis eſt ſolenne, pleraque transmittant. Etenim talis hic eſt intellectus, qualis viſus ratio. Quod autem quis clare ac diſtincte videre cupit, non

non in tranſcurſu tantum adſpicere, ſed conſiſtens fixis in illud oculis intueri debet.

21. Quomodo vero excitamus in nobis attentionis virtutem? *Reſp.* Quantum ad rem ipſam conſiderandam attinet, attentiores erimus, ſi primum non niſi *unum* uno tempore conſideremus, quia pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus: deinde, ſi rem conſiderandam, ut *admirabile* ac *delectabile* quid nobis proponamus, quia cum voluptate agentes accuratius agimus ſingula, & admiratio efficit ut intellectum ad res, quæ raræ videntur, contemplandas propius applicemus.

22. Sed quid agendum, ſi res obviæ ſint & familiares, quas nec admirari nec attendere *ſolemus*? *Reſp.* Illas ſpectabimus, quaſi nunquam ante viſas, auditas aut ullo modo perceptas, ita noſtrum animum comparantes, ac ſi nunc primum nobis occurrerent. Nec propterea, quod obvia quædam ſint & perſpicua, eò ſunt minùs perpendenda; ſed contrà potius, quò clarius ac diſtinctius intelliguntur, eò magis attendenda & à reliquis, quæ obſcurius & confuſius apprehendimus, ſecernenda, donec hæc poſteriora etiam nobis propius inſpicientibus ac diligenter inveſtigantibus detegantur.

23. Si res obvia talis ſit, ut ſenſibus eam poſſimus complecti, quo pacto fiet ut attentiores ſimus? *Reſp.* Si uſurpetur omnibus illis

ſenſuum organis, quæ afficere quacunque ratione valet, ut ipſi videamus, audiamus, olfaciamus, guſtemus, palpemus.

24. Quomodo autem in rebus ſenſum omnem fugientibus, aut ſenſui ſaltem non præſentibus attentiorem animum reddemus? *Reſp.* Si non modo ſæpius animo eas recolamus, à rebus corporeis & præſentibus mentem avocare ſtudentes, ſed cogitationes de illis noſtras calamo etiam conſignemus, aut res illas in re quapiam ſenſibili & præſente (ſi illud ſine erroris periculo fieri poteſt) nobis proponamus. Sic res Mathematicæ attentionis ergo per notas & figuras oculis ſubjiciuntur. Sic ſpirituales promiſſiones ſacramentis nobis deſignantur atque obſignantur. Ratio illius rei, quam duobus his exemplis declaratum ivimus, eſt, quia quod præſens ad animam noſtram penetrat per ſenſus, magis eam afficit ac detinet, quàm quod abeſt, vel à ſola ratione repræſentatur.

25. Suntne verò ſtudia quædam peculiaria, quibus fixam attendendi & rei, quantum ſatis eſt, immorandi conſuetudinem animus acquirit? *Reſp.* Præ cæteris huc faciunt ſtudia *Mathematica.* Nam ſi vel ſemel in demonſtratione aut operatione aliqua Arithmetica vel Geometrica aberraveris, eò quòd minùs attentus fueris, de integro renovanda eſt operatio aut demonſtratio, quæ repetitio

petitio cum valde moleſta ſit, majori deinceps attentioni aſſueſcimus, ne toties redordiri in caſſum ac velut Penelopes telam retexere irrito ſucceſſu cogamur. Pari ratione huc pertinet crebra quarumlibet rerum conſideratio, quæ multa continent inter ſe nexa & cohærentia, nec, niſi nexu illo cognito perfecte intelliguntur, cujuſmodi res ſunt hiſtoriæ, quibus ratio geſtorum, vulgò dicunt circumſtantias, explicatur.

26. Quod *tempus* aptiſſimè attentæ meditationi tribuitur? *Reſp.* Illud quo mens varietate rerum minimum diſtracta nec multis auditis aut viſis turbata, uti eſt matutinum, poſt ſomnum & quietem nocturnam, unde illud: aurora muſis amica.

27. Quis *locus* ad attentionem idoneus? *Reſp.* Qui eſt ſolitarius, à turba & ſtrepitu animum ad varia videnda atque audienda impellente maximè remotus. Hinc Muſæ montes fere & ſolitudines incolere finguntur.

Cap. IV.

Durabilis ut ſit attentio, intellectus poſtulat Thema attentione dignum, quod ſimplex aut complexum. Simplex *eſt Subſtantia ſeu Res, aut Attributum, cujus ſpecies ſunt Accidens, Modus,*

Qualitas. Subſtantia *aut intellectualis eſt, aut materialis*: Homo *utramque participat. Intellectualis ſubſtantia materiali eſt conſideratu dignior.*

28. Quando jam rei intenti ſumus, quomodo fovebimus attentionem iſtam: neque enim videtur attentio durare poſſe, niſi mens quod conſiderationem mereatur in re inveniat, ut nec oculos quis defigere diu in charta poteſt, niſi characteribus imaginibuſve ſpectatu dignis ornata fuerit? *Reſp.* Vt mens attentionem conſervet, ſimulque ad claros ac diſtinctos conceptus ſenſim provehatur, conſiderabit primò, an Thema, h. e. id quod ad cognoſcendum proponitur, ſit ſimplex & unum quid, an vero conjunctum ſeu complexum: e. g. dum conſiderat matrem, vel matris amorem erga liberos, *incomplexum* quid conſiderat: dum vero illud, matres amant liberos ſuos, vel quamcunque aliam ſententiam (qua aliquid de aliquo affirmatur vel negatur) cogitat, *complexum* quid percipit.

29. Incomplexum quot modis ſpectatur? *Reſp.* Spectatur vel ut Res aliqua per ſe exiſtens ſeu *Subſtantia*, vel ut *Attributum*, quod rei ineſt: v. g. rem conſiderat qui Solem adſpicit, qui autem de duratione Solis cogitat, attributum contemplatur, quod non ut

res

res per ſe exiſtens conſiderari debet, verum ut modus, ſub quo intelligimus rem, quatenus eſſe perſeverat: & ſic reliqua attributa diſtincte intelliguntur, ſi nullus iis ſubſtantiæ conceptus affingitur, h. e. ſi non inſtar ſubſtantiarum conſiderantur.

30. Cur Thema ſimplex in Subſtantiam & Attributum, ac non potius in Subſtantiam & Accidens diſpeſcis? *Reſp.* Quia attributi nomen generalius eſt, proprietates Dei omnes, & quæ ad aliarum rerum eſſentiam ſpectant, ſignificatione complectens. *Accidentis* verò nomen ſpecialius eſt, & id ſolum attributum proprie denotat, quod Subſtantiæ eſſentiam non conſtituit. Et hoc quidem *Modus* appellatur, quatenus ita rem afficit, ut ea inde varietur, & vel à ſeipſa vel ab alia diſtinguatur. Sic cera variatur ac diſtinguitur per figuras: modò enim quadratam, modò rotundam, modò aliam induere poteſt. Et hinc figura eſt modus ceræ. Vocatur etiam *Qualitas*, quatenus ab eo res talis denominatur, ut mollis, alba, frigida &c. ita mollities, albór, frigus qualitates ceræ perhibentur.

31. Si illud, de quo cogito, ſubſtantia ſeu Res propriè dicta fuerit, quid amplius inquirendum, ut clare diſtincteque percipiatur? *Reſp.* Videndum eſt, tum ex quo rerum genere ſit, ſeu ad quam claſſem pertineat, tum quæ habeat attributa.

32. Quid

32. Quid utilitatis habet cujuſvis rei ad claſſem ſeu genus ſuum reductio? *Reſp.* Confuſionem intellectus tollit, nec minus, imo magis ad claram diſtinctamque rei perceptionem conducit, quam ad Iudaïcæ alteriuſve reipublicæ civis notitiam acquirendam facit, ſi teneatur ex qua tribu ſit..

33. Sed cum multa forraſſis rerum genera ſint, breviterne ea recenſeri poſſunt? *Reſp.* Poſſunt, ſi ſumma tantum genera delibemus, quæ duo ſunt accuratè ſemper diſcernenda. Res enim eſt vel *Intellectualis* ſeu cogitans, uti Deus, Angelus, Mens humana; vel eſt *Materialis* ſeu corporea, quæ in longum, latum & profundum eſt extenſa: ut aër, ignis, ſol, terra, corpus humanum. Res illæ communi nomine Mentes & Spiritus: hæ Corpora, item Corpora naturalia nuncupantur.

34. *Homo* verò ad utrum genus rerum pertinet? *Reſp.* Homo non eſt res ſimplex & unius generis, ſed compoſita ex utroque rerum genere, mente & corpore. Datur itaque inter duo rerum genera *medium per participationem utriuſque extremi*: medium verò *per negationem* utriuſque extremi, h. e. quod neque ſit mentis, neque corporis particeps, inter entia nullum intellectus noſter poteſt apprehendere.

35. Circa utrum genus rerum cogitationes noſtras occupari imprimis neceſſe eſt, ut

mens

mens perficiatur? *Reſp.* Circa res intelligentia præditas, utpote corporeis longe nobiliores, ad quas etiam propter ſimilitudinem per ſe magis fertur mens noſtra, quippe cum & ipſa naturæ ſit intelligentis. Quod autem hominum fere omnium cogitationes rebus corporeis magis intentæ ſint, quàm intelligentiâ præditis, non ab ipſa mentis per ſe ſpectatæ natura eſt, ſed vel ab arcta ejus cum corpore humano conjunctione, vel à longinqua conſúetudine, quæ ab infantia ſenſibus nimium addicta per longas moras invaluit.

CAP. V.

Res *intelligitur per ſua* attributa, *& quidem per poſitiva, abſoluta, propria melius, quàm per negativa, reſpectiva, communia. Quæ* propria, *quæ* communia *rerum intellectualium & materialium attributa.* Hominis *attributa quotuplicia.*

36. Quid prodeſt Attributa Rei expendere? *Reſp.* Cum multa uni rei attribuantur, quorum ſingula rem, vel aliquid rei nobis declarant, ideo *quo plura novimus rei attributa, eo clarius illam intelligimus*, ſicut magis

gis novimus illos homines, quibuscum diu convíximus, quam eos quorum tantum faciem vidimus, aut nomen audivimus. Confer q. 23. Et quemadmodum eximiæ picturæ in charta oculos detinent: ita attributa rerum, pulchritudinem earum declarantia, mentem noſtram defixam tenent. Sic in Deo conſidero ſummam bonitatem, omniſcientiam, omnipotentiam, æternitatem & alia, quò plura, eò melius Deum cógnoſco, magiſque in jucundiſſima ejus contemplatione detineor.

37. Cum attributa vel *poſitiva* ſeu affirmativa ſint, vel *negativa*, utra plus conferunt ad rei intelligentiam? *Reſp.* Poſitiva, quoniam negativa non tam declarant quid res ſit, quam quid non ſit: e. g. naturam Angeli melius ex eo diſcis, quod percipis intelligentem, volentem, potentem, quam quod eſſe incorporeum, immaterialem, inviſibilem conſideras. Præterea, ſi nôſti attributa poſitiva, etiam negativa nôſti, non vice verſa. Nam ſi Angelum nôſti intelligentem, nôſti ſimul ex diviſione rerum q. 33, eſſe incorporeum & inviſibilem. At ſi incorporeum & inviſibilem nôſti, non ideo ſcis eſſe rem intelligentem; nam & aër inviſibilis, & id, quod planè nihil eſt, non corporeum eſt.

38. An, quoties clara ac diſtincta rei perce-

ceptio expetitur, illa potius inveſtiganda, quæ rei abſolutè & in ſe ſpectatæ, an verò, quæ cum reſpectu ad aliam rem eidem attribuuntur? *Reſp.* Inveſtiganda potius ſunt attributa *abſoluta*, quia hæc in conſideratione ipſius rei, *reſpectiva* autem in mentis rem unam ad aliam referentis actione conſiſtunt; unde & Relationes vocantur. Et, cum reſpectiva cum aliis ſint quaſi colligata & mixta, non poſſunt eſſe tam diſtincta, quàm quæ abſoluta ſeu ab aliis ſoluta ſunt. Ita melius nôſti hominem, cujus ſtaturam, temperamentum, vocem, mores, animi corporiſque virtutes noviſti, quæ attributa abſoluta ſunt, quàm ſi tantum ſcias, cujus ſit amicus aut inimicus, præceptor aut diſcipulus, dominus aut ſervus, pater aut filius &c. quæ attributa relativa ſunt.

39. Cum attributa vel *propria* ſint uni rei, vel pluribus *communia*, utra plus præſtant in rei perceptione? *Reſp.* Manifeſtum eſt quod ille rem percipiat diſtinctius, qui propria & ſpecialia illius attributa tenet, quia per hæc res à rebus aliis diſtinguitur, at per communia cum aliis convenit: e. g. ſi ſcias Alexandrum figuram habere, magnitudinem, temperamentum, & loqui poſſe, parum de eo ſcis, & confusè tantum, cum hæc omnibus hominibus communia ſint: at ſi noveris tali cum figura, vultu, ſtatura, temperamento

præ-

præditum, & tali voce uti ſibi peculiari, diſtinctius eum cognoſcis.

40. Quæ autem ſunt propria rerum intellectualium & corporearum attributa? *Reſp.* Propria rerum *intellectualium* ſunt perceptio ſive intellectus, judicium ſive affirmatio & negatio, velle, nolle, & ſimilia, quæ ſine cogitatione eſſe non poſſunt. Propria *corporearum* ſunt magnitudo in longitudine, latitudine & profunditate conſiſtens, figura quæ ex determinatione magnitudinis oritur, ſitus quem diverſis figuris diſtincta corpora inter ſe habent, motus ſeu mutatio iſtius ſitus, quies ſeu permanſio in eodem ſitu; quæ quidem omnia *clarè ac diſtinctè* percipiuntur: at lumen & color, ſonus, odor, ſapor, calor & frigus aliæque tactiles qualitates ſolùm *confusè & obſcurè* cogitantur, nam ſi advertas animum, experieris te neſcire quid ſit lumen, quid color, quid viride, quid rubrum &c. cum tamen ſcias, quid magnitudo, figura, quadratum, rotundum &c.

41. Quomodo ex jam dictis clara ac diſtincta hauriri poteſt rei intellectualis & corporeæ notitia? *Reſp.* Si attributa omnia illius ab attributis hujus accuratè diſtinguamus, clara ac diſtincta præcipuè attendentes, eademque à confuſis & obſcuris ſecernentes, ex q. 22. Ita cum quis intelligere vult animam

ſuam,

ſuam, non ſibi imaginetur ventum aut halitum, nec tenue aut ſubtile quidquam, cùm hæc attributa corporum ſint; verùm de intellectu, voluntate, affirmatione, negatione, quæ proprietates animæ ſunt, ſolummodo cogitet.

42. Sed cùm *Homo* (cujus poſt Deum conſideratio ad hominem maxime pertinet ex q. 2.) non ſit res merè intellectualis, non etiam merè corporea, ſed mixta & compoſita ex utraque, quæ in illo attributa ſunt diſcernenda? *Reſp.* Alia attributa Homini competunt propter *mentem* ſolam, veluti intellectus, judicium &c. alia propter *corpus* ſolum, ut magnitudo, figura &c. alia denique ratione *mentis & corporis* ſimul, propter ipſam harum partium compoſitionem, cujuſmodi ſunt appetitus, ut fames, ſitis; animi paſſiones ſeu affectus, ut commotio ad iram, amorem &c. denique ſenſus interni & externi. E. G. dum viſum Homini tribuimus, partim quidem organi corporei v. g. oculi motum, partim animi perceptionem, & judicium intelligimus. Etiam de attributis, quæ rebus intelligentibus & corporeis *communia* ſunt, ut eſſentia, duratio, ordo &c. affirmari poteſt, quod Homini ratione mentis & corporis competant, at non propter compoſitionem, ſed propter partes componentes, cùm ſeorſum etiam de men-

mente, ſeorſum de corpore dicantur. De his autem capite ſequente.

CAP. VI.

Communiſſima rerum attributa ſunt eſſentia, perfectio, unitas, relatio cauſæ efficientis & finis, diſtinctio, oppoſitio, ordo, &c.

43. Quoniam communia rerum attributa, imprimis reſpectiva, plurima ſunt intellectui humano paſſim occurrentia, ideo claræ diſtinctæque perceptionis cauſa quandam eorum explicationem requiro. *Reſp.* Rem poſtulas, quæ propriè ad ſcientiam entis quatenus ens eſt pertinet, quæ frequentiùs Metaphyſica, rectiùs Ontoſophia dicitur. Ne tamen hujus, utpote ad Logicam diſcendam utilis, planè rudis maneas, communiſſima rerum attributa, ſaltem pleraque, pinguiore Minerva hîc tibi deſcribam, quorum exquiſitam tractationem in Ontoſophia invenies.

44. *Eſſentia* ſeu Natura dicitur, per quam res & eſt, & eſt id quod eſt: ſic Humanitas eſt eſſentia Hominis, Deitas Dei. De eſſentia quærimus quæſtione, Quid eſt.

45. *Exiſtentia* eſt, per quam *ens actu* ſive re ipſa eſt, ut roſa æſtate: ſed roſa hieme

dicitur

dicitur *ens potentia* ſeu virtute, quia poteſt eſſe. De exiſtentia agit quæſtio, An eſt, quæ poſterior quæſtione, Quid eſt.

46. *Perfectio* eſt omnium attributorum complexio, unde Perfectum dicitur, cui nihil deeſt, nihil ſupereſt. Etiam attributum quodvis reale, ſeorſum ſpectatum, Perfectio rei dicitur: ita æternitas vocatur Dei perfectio, ſive attributum, ſive proprietas.

47. *Vnitas* eſt, per quam ens in ſe eſt indiviſum. *Multitudo* eſt unitatum collectio: *Numerus* eſt collectionis iſtius menſura, qui generaliter conſideratus dicitur *abſtractus*, ut duo, quinque &c. rebus ipſis applicatus appellatur *concretus*, ut duæ manus, quinque digiti.

48. Vbi multa ſunt, ibi unum variis modis referri ſolet ad aliud: ita ſi Abrahamus ad Iſaacum mente refertur, exiſtit *Relatio* patris & filii, quæ vocatur paternitas, in qua Abrahamus dicitur *ſubjectum*, Iſaacus *terminus*, pater *relatum*, filius *correlatum.*

49. Abrahamus pater Iſaaci eſt, quia non modo habuit potentiam generandi Iſaacum, quod eſt *fundamentum remotum* hujus relationis; ſed etiam quia revera eum genuit, quod eſt *fundamentum próximum*, cur Abrahamus ad Iſaacum ita referatur, ut ille pater, hic filius appelletur.

50. Pater eſt *Principium* filii ſecundùm fieri

fieri tantùm ſeu *effectionis*, quia hic ſemel genitus poteſt ſine illo remanere. At ſol eſt principium lucis etiam ſecundum eſſe ſeu *eſſendi*, quia abſque perpetuo ſolis influxu conſervari nequit. Si ex lumine pervenias in ſolis aut alterius rei notitiam, erit id principium *cognitionis* ſeu cognoſcendi.

51. *Cauſa* eſt vel *interna*, quæ eſſentiam rei conſtituit & in ea manet, ut *Materia*, ex qua res eſt, & *Forma*, per quam res eſt; vel *externa*, ut *Efficiens*, à qua res eſt, & *Finis*, propter quem res eſt. Sic Adami materia eſt corpus, forma anima, efficiens Deus, finis Dei gloria.

52. Deus creans Adamum dicitur cauſa *ſolitaria*, totalis, adæquata, quia ſine concurſu alterius cauſæ ejuſdem ordinis fecit; ſed mas & femina generantes filium, dicuntur cauſæ *ſociæ*, partiales, inadæquatæ.

53. Pater filii dicitur cauſa *proxima*, uti Abrahamus Iſaaci; ſed avus nepotis cauſa *remota*, ut Abrahamus Iacobi, quoniam hic intercedit alia cauſa, nempe Iſaacus.

54. Genitrix eſt cauſa *procreans* infantis, quia rem efficit quæ non exiſtebat antea; nutrix illius eſt cauſa *conſervans*, quia facit ut porrò exiſtat.

55. Pater dicitur cauſa *Vnivoca* filii, quia producit rem ejuſdem naturæ, nempe homo hominem; verùm Deus appellatur cauſa

Æqui-

Æquivoca Adami, quia hic eſt diverſæ à Deo naturæ ac minoris dignitatis.

56. Faber eſt cauſa *Principalis* ædificii, quia propria virtute agit; ſed manus & malleus ſunt cauſæ *Inſtrumentales* (Inſtrumenta, Organa) quia à cauſa principali aſſumuntur, atque illius virtute diriguntur.

57. Homo ante ſe agens agmen ovium eſt cauſa *Vniverſalis* cur moveantur, quia indifferenter agit in res plures, h. e. omnes oves æquè pellit; ſed hæc aut illa ovis (claudicans, currens, ſaltans) eſt cauſa *Particularis* ſui motus, quia vis ejus ad certum effectum reſtricta.

58. Et ovis quidem aliæque res corporeæ agentes vocantur cauſæ *Naturales*. At *Intellectualis* cauſa dicitur, quæ per intellectum agit, ut homo ædificium ſtruens. Eadem, quatenus per voluntatem agit, id eſt, ſponte, non coactè, *Libera* dicitur.

59. Formula ædificii exſtruendi, quam mente concipit architectus, appellatur cauſa *exemplaris*, exemplar, idea, ſed ſpecialiori ſignificatione. Merces, vel is qui mercedem pollicetur, dicitur cauſa *procatarctica*, quia extrinſecus impellit ad agendum; lucri cupiditas dicitur cauſa *proëgumena*, quia intrinſecus impellit animum architecti.

60. Et hîc diſtingues cauſam proximam & *primariam*, ſine qua effectus eſſe non poteſt

(ſic artifices operum ſuorum cauſæ ſunt) à remota & *accidentaria*, quæ occaſionem dat primariæ, producendi ſuum effectum hoc tempore potiùs, quàm illo. Tales cauſæ ſunt, qui jubent vel mercedem promittunt facientibus, quia fortaſſe niſi juſſi non facerent.

61. Ignis ligno ſicco admotus, accedente aëris ventilatione, eſt cauſa *neceſſaria* uſtionis, quia poſitis illis quæ ante actionem requiruntur (ut ſunt ligna ſicca, admota, & ventilatio aëris) non poteſt hanc actionem (uſtionem) intermittere, nec aliam ejus loco edere. Sed homo ambulans eſt cauſa *libera* (indifferens) illius motus, quia poſitis omnibus, quæ ante actionem requiruntur, (pedibus ſanis, non ligatis, viâ planâ, non impeditâ) poteſt agere vel non agere, nempe ambulare, vel non ambulare; item hoc aut illud agere, nempe ambulare, vel ſtare.

62. Sol eſt cauſa à qua conclave illuminatur; ſed remotio valvarum eſt *cauſa ſine qua non* fit illuminatio.

63. Statuarius eſt cauſa ſtatuæ *per ſe*; ſed muſicus eſt cauſa ſtatuæ *per accidens*, quia non quà muſicus ſtatuam efficit, ſed per aliam qualitatem, quà ſtatuarius eſt.

64. Ignis tecta comburens vocatur cauſa *Phyſica* uſtionis, quia propriè & naturaliter agit (urit:) ſed cauſa *Moralis* incendii dicitur homo ignem tectis applicans, aut rogans,

gans, hortans, conſulens, ut ignis applicetur, quia moraliter, id eſt, jubendo, rogando &c. ita ſe gerit, ut ei effectus imputetur.

65. Eruditionis aſſequendæ gratiâ dum ſtudiis incumbo, vocatur ea finis *intentus* ſeu *intentionis*; ſed ubi eam ſtudiorum curriculo abſoluto conſecutus ſum, appellatur finis *obtentus* ſeu exſecutionis.

66. Dirigere intellectum in quarumvis rerum cognitione, eſt finis Logicæ *adæquatus*, totalis; at regere intellectum in rebus naturalibus cognoſcendis eſt finis Logicæ *inadæquatus* ſeu partialis.

67. Finis *principalis*, primarius, veſtimenti eſt, corpus tegere ac tueri; *minùs principalis*, ſecundarius, acceſſorius, eſt, decus corpori conciliare.

68. Omnes homines appetunt felicitatem, h. e. bene eſſe, unde felicitas vocatur finis *univerſalis*; ſed alius in divitiis, alius in voluptate, alius in virtute felicitatem quærit, & hi ſunt fines *particulares*.

69. Medicinæ finis *cujus* eſt ſanitas, nempe res quæ expetitur; finis *cui* eſt ægrotus, nimirum perſona, cui ſanitas expetitur.

70. *Diſtinctio realis* eſt inter duas vel plures res ſtrictè dictas ſeu ſubſtantias, quarum una abſque altera poteſt clarè ac diſtinctè intelligi, ut inter mentem & cor-

pus humanum, inter Deum & Creaturam.

71. *Modalis* diſtinctio eſt inter modum & ſubſtantiam, cujus eſt modus, aut inter duos modos ejuſdem ſubſtantiæ. Sic differunt contractio & explicatio ejuſdem manus meæ, tum à manu, tum inter ſe, unde pugnus & palma opponuntur. At ſi dextra ſit contracta, ſiniſtra diducta, iſta contractio & diductio realiter differunt, quia rebus inſunt diverſis.

72. *Rationis* diſtinctio eſt inter ſubſtantiam & aliquod ejus attributum, ſine quo ipſa diſtinctè intelligi non poteſt, vel inter duo talia attributa ejuſdem ſubſtantiæ, ut inter rem & ejus durationem, item inter ejuſdem rei exiſtentiam & durationem, h.e. inter eſſe & porrò eſſe.

73. *Oppoſita* ſi ambo *affirmantur*, ſunt vel abſoluta, ut mens & corpus, quæ dicuntur *Contraria*; vel relata, ut pater & filius, quæ *Relatè oppoſita*.

74. Si alterum oppoſitorum *negat*, & quidem ubique, ut homo, non homo, vocantur *Contradicentia*, contradictoriè oppoſita; ſi negat in certo duntaxat ſubjecto, ut viſus & cæcitas in animali, dicuntur *Privantia* ſeu privativè oppoſita.

75. *Paria* ſeu æqualia ſunt, quæ in quantitate conveniunt, *Imparia* contrà; horum unum

unum majus, alterum minus. *Similia* ſunt, quæ in qualitate conveniunt, *Diſſimilia* contrà. Hæc omnia communi nomine dicuntur *Comparata*.

76. *Ordo* eſt inter prius & poſterius, & ea quæ ſunt ſimul. Sic mens corpore ex q. 75. Deus homine ex §. 55. prior eſt *dignitate*; eſſentia exiſtentiâ ex §. 45. prior eſt *cognitione*; orationis exordium confirmatione prius eſt *diſpoſitione*; flos prior eſt fructu *tempore* ſeu duratione; unitas prior eſt binario *naturâ*, quia unitas eſſe poteſt ſine binario, at non binarius ſine unitate.

77. Duo diſtincta, imò oppoſita poſſunt eſſe *idem* vel *unitate natura*, ſic intellectus & voluntas ad eandem mentis naturam pertinent; vel *unitate compoſitionis*, ita mens & corpus eundem hominem componunt.

78. *Subjectum* eſt cui aliquid præter eſſentiam accedit: ita menti adjungitur corpus, corpori veſtimentum.

79. Subjectum eſt vel *inhærentiæ* (materia in qua) quod recipit adjunctum in ſe, ut manus calorem; vel *adhærentiæ*, quod recipit adjunctum ad ſe, ut manus chirothecam; vel *continens*, quod recipit adjunctum intra ſe, ut volâ aquam.

80. *Objectum* (materia circa quam, ſubjecta materia) eſt circa quod verſatur & exer-

cetur ſeu occupatur adjunctum: ſic objectum auditûs eſt ſonus.

81. *Signum* eſt quod potentiæ cognoſcenti, h. e. ſenſui vel intellectui, aliquid repræſentat: ſic idea (generaliori ſignificatione) ſeu conceptus cujuſvis rei in mente, repræſentat rem intellectui.

82. Fumus eſt ſignum ignis *naturale*, quia ſua natura repræſentat; ſed hedera ſignum eſt vini vendibilis *arbitrarium*, quia ad id ſignificandum inſtituta eſt à cauſa intellectuali.

83. Signum, per quod cognoſcitur magnitudo aut multitudo rei, propriè dicitur *menſura*, quæ vel *externa*, ſic ulna menſura eſt panni; vel *interna*, ut numerus multitudinis, §. 47.

84. *Totum* eſt quod conſtat plurium rerum conjunctione: res illæ, quæ junctæ totum conſtituunt, ſunt *Partes*.

85. Totum *eſſentiale* eſt, quod partes habet, quarum una eſt in alia, quæ ſunt materia & forma, ſic homo è corpore & mente conſtat, ſapiens ex homine & ſapientia. Quamvis enim ſapientia hominis accidens ſit, eſt tamen ſapienti eſſentialis.

86. Totum *integratum*, integrum, eſt quod habet partes extra partes, & hæ vocantur integrantes, vel etiam membra: ita caput & manus partes ſunt noſtri corporis.

87. Ex

87. Ex his partibus alia eſt *principalis*, ſine qua totum eſſe nequit, ut caput in corpore humano; alia *minùs principalis*, qua ablata totum quidem non interit, ſed mutilatur; uti manus.

88. *Vniverſale* totum vocatur genus reſpectu ſpecierum, aut ſpecies reſpectu individuorum: ſic animal hominem & beſtiam, homo Petrum, Paulum & alios virtute continet. Sed univerſalia etiam ſpectari poſſunt ut *partes inferiorum*: ſic homo compoſitus intelligitur ex genere & differentia, ut ex animali & rationali. Verum de univerſalibus capite ſequente.

CAP. VII.

Res & attributa rerum communiter in Vniverſalia *&* Singularia *diſtinguuntur. Scientia eſt univerſalium, experientia ſingularium.* Vniverſalia *ſunt Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens, è quibus ſingula iterum* diſtinguuntur; *at omnia in eo* conveniunt, *quòd nil aliud ſint, quàm diverſi de re eadem cogitandi modi.*

89. Sic intelleximus ſigillatim cùm Re-

rum, tum maximè Attributorum ad claram diſtinctamque perceptionem facientes differentias: ſed eſtne alia inſuper eandem ad rem utilis diviſio, quæ rebus pariter & attributis accommodetur? *Reſp.* Eſt, nimirum ut diſtinguamus utrobique *Vniverſale*, quod multis inferioribus eſt commune, ut homo, figura; & *Singulare*, individuum, quod multis inferioribus commune eſſe nequit, ut hic homo, hæc figura: atque adeo teneamus, ſingulare naturâ ſuâ de pluribus dici non poſſe, univerſale poſſe, unde & *Prædicabile* nuncupatur: ita homo de Petro, Paulo & aliis prædicatur; at hic homo non niſi de uno dicitur.

90. Magiſne univerſalium, an vero ſingularium cognitio mentem noſtram perficit? *Reſp.* Si generaliter loquamur, atque excipiamus illa ſingularia, quæ ſic unica ſunt, ut ſimul cauſæ univerſales exiſtant, qualia e. g. ſunt Deus & Sol; univerſalium cognitio magis mentem perficit, quoniam univerſalia magis ſunt in rerum natura (Ariſtoteli *μᾶλλον ὄντα*) quatenus neque oriuntur, neque intereunt, ut ſingularia, neque temporis differentiâ aut ſpacio loci ullo definiuntur, unde *æterna* dicuntur: ex. cauſa, non homo, non animal; ſed hic, ille homo, hoc, illud animal generatur, interit, & hoc tantùm loco & tempore exiſtit. Accedit, quòd ſingularia

nullo

nullo nec numero nec ſcientia comprehendi à nobis poſſunt, at poſſunt univerſalia, quibus ſingularia omnia, prout inter ſe conveniunt, intellectui offeruntur. Hinc *ſcientiæ* non particularium, ſed univerſalium eſſe perhibentur, & ſapiens inter homines (diſpar enim eſt ratio Dei) ille cenſetur, qui omnia novit universè, non qui multorum ſingularium habet *experientiam*.

91. Mittamus igitur ſingularia, tanquam obſervatione & experientiâ potiùs, quam per ſcientias cognoſcenda, dictaſque ob cauſas Vniverſalium differentias Logicas ſpeculemur. *Reſp.* Prædicabilium differentiæ exemplis hunc ad modum declarari poſſunt: Homo prædicatur de Petro, Paulo, Iohanne & aliis individuis in quæſtione, quid eſt, atque inde vocatur *Species*. Verùm de homine dicitùr Animal, quod item de beſtia dicitur, quando quæritur, quid eſt; hinc animal ceu univerſalius quid præcedente (ſpecie) vocatur *Genus* hominis & beſtiæ. De animali, dum quæritur quale eſt, dicitur quod ſit rationale vel irrationale, & hæ ſunt *Differentiæ*, quæ dividunt illud genus, animal, & conſtituunt has ſpecies, nempe hominem & beſtiam. Præterea de homine, dum quæritur qualis eſt, dicitur, quòd facultate loquendi inſtructus, quòd doctus ſit, quorum illud *Proprium* appellatur, quia ab

homine ne cogitatione quidem ſeparari poteſt, quippe eſſentiam illius neceſſariò conſequens; hoc *Accidens* nuncupatur, quia ſine hominis interitu nunc adeſt nunc abeſt, aut ſaltem cogitatione ab eo poteſt abſtrahi, utpote eſſentiam illius contingenter conſequens.

92. Clarum eſt ex dictis, quinque eſſe univerſalia: Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, Accidens: ſed an ſingula etiam ex his aliquo modo dividuntur? *Reſp. Species* illa, quæ de individuis immediatè prædicatur, ut homo de Petro, Paulo, vocatur *ſpecialiſſima* ſeu infima, quia nullam ſpeciem inferiorem habet: ſicut contrà nominatur *Genus generaliſſimum* ſeu ſummum, quod nullum ſuperius genus habet, quale eſt Mens inter res intelligentiâ præditas, ex q. 33. At genera & ſpecies *ſubalterna* dicuntur, quæ, inter ſummum genus & infimam ſpeciem interjecta, reſpectu inferiorum ſunt genera, reſpectu ſuperiorum ſpecies: ita beſtia eſt ſpecies animalis, ſed eſt genus equi, aſini, leonis &c. Et animal quidem eſt genus *proximum* beſtiæ, ſed genus *remotum* equi, aſini, leonis. Et vice verſâ Leo eſt ſpecies animalis *remota*, ſed beſtia eſt ſpecies animalis *proxima*.

93. Ita quidem genus & ſpecies, quæ prædicantur de ſuis inferioribus in quæſtione quid eſt, diſtinguuntur; quomodo autem res

ſe

ſe habet cum cæteris, quæ prædicantur in quæſtione quale eſt? *Reſp. Differentia* dicitur conſtitutiva & diviſiva pro diverſo reſpectu, uti colligere eſt ex antecedentibus q. 91. *Proprium* quatuor modis dicitur: 1. quod ſoli convenit, ſed non omni, ſic muſicum eſſe convenit homini. 2. Quod omni convenit, ſed non ſoli, ut eſſe bipedem homini convenit. 3. Quod ſoli & omni convenit, ſed non ſemper, ut homini convenit actu loqui. 4. Quod ſoli & omni & ſemper convenit, ut homini convenit potentia loquendi, h. e. facultas animi cogitata verbis, nutibus, geſtibus aliisve ſignis externis manifeſtandi. Et hoc propriè proprium eſt, ſicuti liquet è ſuperioribus: tres præcedentes modi pertinent ad *Accidens*.

94. Supereſtne alia Accidentis diviſio? *Reſp.* Accidens aliud *ſeparabile* vocatur, quod facile à re abſtrahi poteſt, ut ſedere ab homine; aliud *inſeparabile*, quod à re, cui ineſt, naturaliter abſtrahi nequit, ut nigror ab homine, v. g. Æthiope. Omne tamen Accidens à ſubjecto ſuo, ſeu à re cui ineſt, cogitatione ſeparari poteſt, in quo differt à Proprio, quemadmodum ſupradictum fuit. Hominem enim ſine nigrore eſſe poſſe facilè cogito; at hominem eſſe, qui loqui h. e. ſignis quibuſdam cogitationes ſuas aliis aperire nequeat, non percipio.

95. Iam itaque univerſalium tum inter ſe diviſionem, tum ſingulorum ſubdiviſiones perſpexi: ſed animadverto ex præcedentibus, unam rem pro diverſo conſiderandi modo diverſum facere prædicabile, v.g. quod reſpectu inferioris genus eſt, reſpectu ſuperioris ſpeciem dici: an verò ſimile quid in reliquis prædicabilibus licet obſervare? *Reſp.* Licet, nam quæ ſunt propria vel accidentia uno reſpectu, alia ratione etiam genera vel ſpecies vel differentiæ eſſe poſſunt: e.g. facultas ſentiendi ſive ſenſus proprium eſt animalis, at genus eſt reſpectu visûs, auditûs, odoratûs, guſtûs, tactûs: ſcientia eſt accidens hominis, ſed ſpecies eſt cognitionis ex q. 5. & genus Metaphyſicæ, Phyſicæ, Mathematicæ ex q. 7. & differentia conſtitutiva ſcientis ex §. 85. Adde quòd eadem differentia diverſa conſideratione diviſiva & conſtitutiva eſt, quamvis dividere & componere ſeu conſtituere ſint contraria. Adde denique, quod unum idemque univerſale ejuſdem inferioris reſpectu poteſt ſpectari vel ut pars, vel ut totum, ex fine capitis præcedentis. Ex quibus omnibus intelligitur, *Vniverſalia, prout hic tractantur, nihil aliud eſſe, quàm diverſos cogitandi modos, quibus res eadem aliter atque aliter mente concipitur & conſideratur.* Dico, prout hîc tractantur, nam in ſcientiis agitur de rebus, quæ univerſales ſunt, uti de homine,

mine, de temperantia: Logica vero agit de ipſa univerſalitate, ut ſciatur, quid genus, quid ſpecies, differentia &c. quæ duo differunt, ut materia & forma.

CAP. VIII.

Vniverſalium uſus *in diſcernendis rei eſſentialibus & accidentalibus, in reducendis ſingularibus ad univerſalia, & contrà, in definiendis rebus obſcurioribus.* Definitio *conſtat genere & differentia, vel attributo communi & proprio, & quidem tali quod inter reliquas proprietates emineat.*

96. Quem uſum in clara ac diſtincta perceptione, ad quam omnia in hoc primo Logicæ gradu referuntur, habet iſta univerſalium conſideratio? *Reſp.* Generatim admonet, ut quæ rei eſſentiam conſtituunt, ab iis, quæ eam conſequuntur, ſecernamus, atque in his cujuſque rei propria & accidentia dignoſcamus: e.g. ad eſſentiam Petri *conſtituendam* pertinet, quòd ſit animal, quòd rationalis, quòd homo, ubi habes genus, differentiam, ſpeciem, quæ omnia in noſtro quidem cogitandi modo diſtincta ſunt, in re verò ipſa, nempe Petro, planè idem. At potentia

tentia loquendi & ipſa loquela conſiderantur ut *conſequentia* eſſentiam Petri, qui jam, ut homo, per id, quòd animal & rationalis eſt, conſtitutus fuit. Et loquendi quidem facultas *proprium* hominis eſt, ipſe verò loquendi actus *accidens.* Sæpius tamen propria revera non differunt ab iis, quæ rei eſſentiam conſtituunt, quemadmodum ex q. 101. & ſeq. pleniùs intelligetur.

97. Quem ſpeciatim uſum præſtant univerſalia rem conſtituentia? *Reſp.* Siquidem res ſit *ſingularis*, clarioris perceptionis ergo examinare poſſumus, ſub qua ſpecie collocetur, quæ genera habeat, ad ſupremum uſque adſcendendo; ſin *univerſalis* ſit, diſtinctioris notitiæ cauſâ inquirere convenit, quas contineat differentias, quas ſpecies, ad individua uſque deſcendendo. Sic *adſcendendo* cognoſco Gabrielem eſſe Angelum, Angelum eſſe rem intellectualem, rem intellectualem eſſe ſubſtantiam. *Deſcendendo* autem comperio ſubſtantiam vel intellectualem vel materialem eſſe; intellectualem vel infinitam, ut Deus eſt, vel finitam; & hanc vel à corpore liberam, uti Angelus eſt, vel corpori adjunctam, uti mens humana, ſub qua ſpecie mens mea tanquam res ſingularis continetur.

98. Verùm ſi rei naturam mihi obſcuriorem, h. e. de qua incertus ſim, ex quibus conſtitua-

ſtituatur, clarè ac diſtinctè velim cognoſcere, quænam ex univerſalibus aſſumenda? *Reſp.* Si ſpecies ſit, quam velis cognoſcere, primò ejus inveſtigandum eſt *genus proximum*, quo percipitur, quid res cum aliis maximè cognatis rebus commune habeat; deinde quærenda eſt *differentia*, qua percipitur, quomodo res à maximè vicinis diſtinguatur. Hæc duo conjuncta *Definitionem* rei animo exhibebunt, quæ declarabit quid res ſit, eritque re definita nec latior nec anguſtior, ſed ei adæquata.

99. Declara rem exemplo. *Reſp.* Definitio vulgaris Hominis eſt, *animal rationale*: hîc habes genus Hominis proximum, animal, quod homini commune eſt cum rebus illis, quæ maximam cum eo inter res apud nos conſpicuas convenientiam habent, nempe cum beſtiis. Animal enim ſignificat rem corpoream vitâ, ſenſu & motu præditam. Deinde habes differentiam ſpecificam, (ſic dictam, quòd ſpeciem faciat ſeu conſtituat) rationale, per quam homo differt ab omnibus beſtiis. Adæquata Homini eſt definitio; quia omnis homo eſt animal rationale, & reciprocè, omne animal rationale ſeu ratione præditum eſt homo.

100. Quare *genus proximum* in definitione requiritur? *Reſp.* Quia hoc reliqua omnia genera ſuperiora in ſe comprehendit, adeo

ut

ut eo poſito reliqua ſimul poſita intelligantur, utili ſtudiis humanis compendio, ſecundùm quæſt. 11. Nam qui hominem animal eſſe dicit, ſimul indicat, eum eſſe ſubſtantiam, corporeum, viventem &c. Adhæc nullum genus differentiæ ſpecificæ aptiùs copulari poteſt, quàm proximum. Cùm enim differentia rem non à quibuſvis aliis (quia res valde diſſimiles diſtinguere nullius artis eſt) ſed à maximè ſimilibus immediatè diſtinguat, genus tunc demum æqua proportione ei reſpondebit, ſi convenientiam rei definitæ cum iisdem ſimilibus proximè indicet. Interim ipſum illud genus proximum, quia remotiora omnia includit, conſequenter etiam deſignat convenientiam, quam res definita habet cum aliis rebus diſſimilioribus. Invenitur autem genus proximum, nec non differentia ſpecifica per diviſiones à ſupremo genere deſcendendo, ut patet ex antè dictis.

101. Quomodo verò res illæ definiendæ ſunt, quarum genus & differentia propriè ſic dicta aut nulla ſunt, aut non facilè reperiri poſſunt? *Reſp.* Si genus proximum non inveniatur, ſaltem cavendum eſt, ne ſumatur nimis remotum. Imò remotiore potiùs utendum, quàm propinquiore, ſi claræ rei perceptioni faciliùs illud inſerviat. Non enim brevitatem tantùm & proportionem juſtam; ſed

ſed vel maximè facilitatem & perſpicuitatem Methodus exigit. vide q. 11. ſeqq. Deinde loco generis & differentiæ perſæpe adhibetur *attributum aliquod commune & proprium*, hæc enim ſi non idem ſunt, ſaltem idem præſtant. Sic Deus deſcribitur, quòd ſit Mens infinita, ſeu Ens ſummè perfectum. Vbi tamen differentia, *ſummæ perfectionis* nomine expreſſa, non unam duntaxat proprietatem Dei ſignificat, ſed omnia ejus attributa propria (non ſecus ac genus unumquodque proximum cuncta genera communiora) commodiſſimè involvit. Nam qui ſummè perfectus eſt, omniſcius eſt, omnipotens, immenſus, æternus, infinitus, optimus, maximus, &c. Denique ex cauſis ſuis interdum res ita deſcribitur, ut genus nullum conſideretur. Quæ definitio *cauſalis* dicitur, & ab *eſſentiali*, quæ genere & differentia conſtat, diſtinguitur.

102. Cùm *attributi proprii* in re definienda potior ratio habenda ſit ex q. 39. attributa verò propria in re una occurrant plura, quodnam ex iis eligendum eſt, ut eſſentiæ rei declarandæ aptiſſimum? *Reſp.* Eligendum eſt ejuſmodi attributum, quod reliquis omnibus prius & potius, quodque radix quaſi & fundamentum reliquorum. Id enim ſolum eſſentiam rei exhibet, quæ primum eſt & intimum eorum, quæ ipſi inſunt, principium: e. g.

e. g. ſi velis *definire Mentem* (non quidem ut refertur ad corpus, verùm ut ſeorſum ſpectatur, quia ſic meliùs cognoſcitur, ex q. 38.) optimè dices, eſſe ſubſtantiam ſeu rem cogitantem. Nam ſi Mentis attributa propria dividendo percurramus univerſa, cogitandi actum, ſive vim & principium internum appellare malis, primum in ea & potiſſimum inveniemus. Mens enim ſi vult cogitat, ſi non vult cogitat, ſi affirmat cogitat, ſi negat cogitat, ſi odit cogitat, ſi dubitat cogitat, atque ita in qualibet ejus functione cogitatio involvitur atque implicatur: at non vice verſa, ſi cogitat, etiam amat, etiam affirmat, etiam negat &c. Ergo cogitatio reliquis attributis eſt naturâ prior, ex §. 76. Aliud exemplum *definitiò Dei*, in fine ſuperioris reſponſionis allata, ſuppeditat.

CAP. IX.

Ad definiendum opus eſt Diviſione, *opus eâdem ad res omnes diſtinctè percipiendas, nec tamen has ideo compoſitas eſſe neceſſe eſt: Diviſionem oportet eſſe* adæquatam, *ſive primaria ſit ſive ſecundaria.* Optima *illa, quæ ab ipſa rei natura petitur, & partes accuratè diſtin-*

ſtinctas, & proportione quadam ſibi reſpondentes continet.

103. Satis elucet è præcedente capite, nec genus rei proximum, nec differentiam vel attributum proprium eſſentiæ declarandæ idoneum poſſe aliter quàm dividendo reperiri, unde à definitione ad diviſionem pergens, de hujus uſu & conditionibus uberiùs erudiri cupio. *Reſp.* Non ſolùm ad definiendum *diviſionis* inſtrumento opus eſt, verùm toties adhibenda diviſio, quoties uno conceptu ſeu cogitatione rem non poſſumus commodè ſatis, & quantum neceſſe eſt, complecti, ad eorum exemplum, qui unâ palmâ menſuram aliquam exæquare non valentes plures tantiſper adhibent, dum ad finem perveniant. Atque idem in *definitione* obtinet, quia dum rem non licet ex una notione ſatis clarè percipere, duabus utimur, generis ſcilicet & differentiæ.

104. An verò ſæpius accidit, ut *rem ex uno conceptu bene intelligere* nequeamus? *Reſp.* Id ferè ſemper accidit, plerumque enim generaliter & confusè nimis rem univerſam totam ſimul concipere ſolemus, quæ diſtinctiùs & per partes fuerat noſcenda, confer q. 39. Et in omni ferè imperfecta cognitione, qualis noſtra eſt ab ineunte ætate, contingit ut multa ſimul inſtar unius apprehen-

dan-

dantur, (ſic *Viſum* à prima infantia tanquam unum quid animo concepimus) quæ poſtea per accuratius examen omnino diſtinguenda ſunt & animo ſeparanda, ſicut in Viſu tria diſtinximus, fin. q. 42. Adhæc pluribus ſimul pari attentione vacare non licet ex q. 21. At plura occurrunt in objecto quolibet conſideranda, ſuas ſingula difficultates habentia, quas cum enodare una eademque opera nequeas, in partes ac particulas reſolves omnia, ſingula minutatim penſiculando, haut ſecus ac Arithmetici majores numeros facilioris enunciationis causâ in certas periodos ſeu membra diſtinguere conſueverunt.

105. Si diviſio ubivis locum habet, ſequi videtur, rem omnem quæ à mente noſtra percipitur, eſſe *diviſibilem & compoſitam*? *Reſp.* Dum res, quæ conceptu aliquo repræſentatur, in partes diſtribuitur, non ſequitur ipſam rem ex iis partibus compoſitam, ſed compoſitum eſſe noſtrum conceptum. Sic in Deo, ente ſimpliciſſimo, multa attributa dividendo cognoſcimus q. 36. ſimplicitate ejus illibata. Simile eſt, quòd palmas in re menſuranda multiplicantes rem ideo non multiplicamus nec dividimus.

106. Quænam conditio eſt diviſionis bonæ? *Reſp.* Vt partes omnes & ſingulas perfectè enumeret, nullam ex iis, quæ ad rem examinandam pertinent, omittendo, nullam

à re

à re alienam admittendo, nempe ut diviſio rem diviſam, quantumcunque ejus diſtinctè concipi poteſt ac debet, *adæquet*, perinde ut definitio rem definitam. Sic numerus dividitur in parem & imparem, linea in rectam, curvam & mixtam, manus in dextram & ſiniſtram. Confer q.30.

107. Quotuplex eſt diviſio? *Reſp.* Multiplex admodum: *primariæ* tamen diviſiones ſunt totius eſſentialis, integrati & univerſalis, id eſt, generis & ſpeciei infimæ. Ex. gratiâ: diviſio Hominis in corpus & animam eſt totius eſſentialis; diviſio corporis humani in oſſa, nervos, muſculos, venas, ſanguinem & pelles, eſt totius integrati in partes integrantes; diviſio animalis in hominem & beſtiam eſt generis in ſpecies; diviſio hominis in Petrum, Paulum, &c. eſt ſpeciei in individua.

108. Si diviſiones iſtæ ſunt primariæ, quæ igitur *ſecundariæ*? *Reſp.* Secundaria diviſio iterum triplex, vel ſubſtantiæ per attributa, vel attributi per ſubſtantias, vel attributi unius per alia attributa: e.g. hominum alii liberi, alii ſervi, alii docti, alii indocti, alii boni, alii mali, eſt diviſio ſubſtantiæ per accidentia; bona alia corporis, ut robur, valetudo, alia animi, ut ingenium, ſapientia, eſt diviſio accidentis per ſubſtantias; flavum aliud dulce eſt, ut mel, aliud amarum,

rum, ut fel, eſt diviſio accidentis per accidentia.

109. Quæ diviſiones quibus *meliores*? *Reſp*. Quæ ab interna rei cujuſque natura deſumuntur, longè præſtant iis, quæ ab externis accidentibus aut relationibus petuntur: ita potior eſt diviſio animalis in hominem & beſtiam, quàm in terreſtre, aquatile, volatile, quoniam illa in ipſius eſſentiæ, hæc in loci tantùm differentia fundatur. Item, quò partes dividentes magis inter ſe diſtinctæ ſunt, ſaltem animo & cogitatione clara, eò diviſio accuratior diviſumque captu facilius redditur. Sic res meliùs dividuntur in materiales & intellectuales, quàm in viſibiles & inviſibiles, quia res quædam inviſibiles (nempe corporeæ ſubtiliſſimæ, ut aër valde ſerenus, halitus oris tempore æſtivo) ejuſdem ſunt naturæ, cujus viſibiles: at rerum materialium & intellectualium naturæ planè ſunt contrariæ & oppoſitæ. Tandem opera danda eſt, ne membra dividentia nimis ſint inæqualia: ex. gr. ſi totum hoc Univerſum in Terram & Cælum dividas, perinde facis ac ſi mundum in punctum & omnia maxima diſtingueres. Quia tamen in terra plura nobis mortalibus ſpectanda & agenda proponuntur, quàm in cælo, recepta eſt iſta diviſio tanquam ad nos relata, non, quaſi ad res ipſas ſatis eſſet accommodata.

CAP. X.

Per diviſionem ex uno fiunt multa, in quibus cognoſcendis ne confundamur Ordine *opus eſt, quo à facilioribus ad difficiliora pedetentim & gradatim perveniamus. Hujus* regulæ *ſpecialior applicatio in ſimplicibus & compoſitis percipiendis, in rebus à prima origine ad poſtremum naturæ complementum perveſtigandis, in pluribus unius rei diviſionibus ſe invicem excipientibus, in ſingularibus & univerſalibus, cauſis item & effectibus, lucem ſibi ipſis reciprocam infundentibus, utili regreſſu intelligendis. Vnde* Ordinis diviſio *in Syntheticum & Analyticum, Vniverſalem & Particularem, Naturalem & Arbitrarium.*

1,10. Verum enimverò ſimul ac dividere aliquid in plura cœperis, quo pacto plura iſta eo quo decet modo *juncta* percipies, cùm ſuperiora præcepta non niſi in ſingulis *ſeorſum* percipiendis menti viam monſtrare videantur, præſertim etiam, quia in multitudine rerum mens ad confuſionem ſolet eſſe procli-

vis?

vis? *Reſp.* Statim ſollicitum eſſe oportet de Ordine, quo cogitationes meas ſine confuſione ulla provehens diſtinctè ſingula, & tamen debita ratione inter ſe cohærentia omnia concipere valeam, præcedentibus viam ad ſequentia planam atque expeditam facientibus.

111. Quo pacto obtinebitur, ut præcedentia quæque viam ad ſequentia muniant? *Reſp.* Si ubique *à facilioribus incipiamus, atque inde paulatim & quaſi per gradus quoſdam, ad cognitu difficiliora progrediamur.* Hæc generalis & princeps ordinis regula eſt, quæ ratione habita cognitionis noſtræ ſeverè prohibet, ne deſultoriè ac temerè ab uno ad aliud tranſiliamus.

112. Quæ verò cognitu faciliora, quæ difficiliora ſunt exiſtimanda? *Reſp.* Illud apud noſmetipſos experiri poſſumus ac debemus, non ſecus ac gravitatem & levitatem rerum portandarum humeri noſtri & manus ipſæ ſentiunt. Ita quia mens noſtra ſe ſolam cognoſcit faciliùs, quàm ſe unà cum corpore, & faciliùs adhuc corpus ſibi junctum, quàm aliorum hominum corpora, facilius item unius alteriuſve hominis notitiam ſibi comparat, quàm integræ alicujus civitatis, hinc generatim diſcitur, *ſimplicia magis compoſitis, propinqua remotioribus, pauca multis priùs eſſe cognoſcenda.*

113. Vt

113. Ut generaliora hæc pro varietate rerum cognoſcendarum ſpecialioribus accommodare diſcam, quæro primùm, quis ordo tenendus *in rebus, quæ fiunt & naſcuntur*, aut ſaltem ejus ſunt naturæ, ut fieri & naſci quocunque modo poſſint, accuratè percipiendis, cujuſmodi ſunt v. g. Corpus humanum in Phyſicis, Reſpublica in Politicis, Eccleſia in Theologicis? *Reſp.* Faciliùs feliciuſque res ejuſmodi intelliguntur, ſi non ut abſolutæ jam & perfectæ, ſed ut paulatim orientes ac naſcentes ſpectentur: e. g. *Corporis humani* fabricam meliùs ille capit, qui expendit, quomodo paulatim in utero matris formetur, tandemque in lucem edatur, quàm qui ut conſummatum jam in Adamo primo aliove homine adulto conſiderat. Simili ratione in aliis rebus naturalibus ordine inveſtigandis progrediendum, ut non ſolum principia earum & cauſæ, ſed via etiam ac modus generationis, totuſque proceſſus, per quem omnes in materia variationes efficiuntur, à prima origine ad ultimum uſque formationis complementum innoteſcant.

114. Pertexe reliqua exempla, ut, quæ placere jam cœpit regula, magis placeat. *Reſp.* Naturam *Reipublicæ* penitiùs perſpicies, ſi ordiendo à primis ac ſimpliciſſimis ejus principiis, ad partes ordine majores progrediendo, conſideres initio maris & fœminæ conjun-

ctionem exſtitiſſe, hos deinde liberos procreaſſe, liberorum porrò ſeſe paulatim multiplicantium liberoſque generantium alios imperaſſe, alios ſerviiſſe, hinc familias, ex familiis civitates, è civitatibus regna atque imperia prodiiſſe. *Eccleſiam*, ſi ſtatum ejus ab origine velis cognoſcere, ſpectabis primò ante legem velut œconomicam, adſtrictam certis Patriarcharum familiis uſque ad mortem Joſephi in Ægypto; deinde ſub lege ut nationalem in populo Judaïco, jam Ægyptiis numeroſiore & ab iis poſtea egreſſo; denique ſub Euangelio tanquam Catholicam ſeu univerſalem, ad omnes gentes extenſam. Hac via ſi in rebus, quæ fiunt & naſcuntur, conſiderandis procedatur, ſimplicia priùs compoſitis, pauca multis, ut jubet regula noſtra, cognoſcentur.

115. Quomodo *in rebus jam factis & natis* ſecundum datam ordinis regulam *dividendis* procedendum eſt? Nam de diviſionibus quidem ſingulis formandis capite ſuperiori actum fuit: at quomodo plures ad rem unam ſpectantes, ſicubi occurrant, digeri oporteat, ad hanc de ordine tractationem pertinere videtur. *Reſp.* Quoniam propiora præmitti debent remotioribus & pauca multis, ideo totum quodcunque primò dividendum eſt in partes, deinde in partium particulas, & ſic porrò, ſive primò quidem in partes

pro-

proximas, gradatim verò in remotiores, donec tandem veniatur ad ultimas. Ita capite ſeptimo de Univerſalibus agentes primò diviſionem eorum quinquemembrem (in genus, ſpeciem, differentiam, proprium, accidens) proponebamus, deinde ſingula univerſalia ſubdividebamus, ut genus in remotum & proximum, generaliſſimum & ſubalternum, &c.

116. Quam *in ſingularibus & univerſalibus* (de his enim cogitandi occaſionem jam præbuiſti) ordine cognoſcendis viam tenebimus? *Reſp.* Quia mens faciliùs intelligit particularia & exempla (vide q. 91. & 112.) quàm univerſalia & regulas, & faciliùs poſtea percipit quæ regulis illis conformia ſunt, quàm quæ ab illis abeunt & excipiuntur, hinc universè colligere licet, ſingularia prius cognoſci univerſalibus, exempla regulis, regularia irregularibus ſeu anomalis.

117. Proba quidem videntur hactenus dicta pleraque; ſed quòd particularia univerſalibus priùs & faciliùs cognoſci reſponſum fuit, dubio apud me non caret, leviori quippe negotio arborem, quæ genus eſt, cognoſco, quàm fagum aut quercum, aut pinum, aut corylum aliamve ſpeciem; quinimò multæ fortaſſis exiſtunt arbores, quas ne quidem unquam ſum cogniturus, & tamen arborem in genere jam pridem cognovi.

Reſp. Verum quidem illud eſt quod dicis: ſed tamen & hoc certum, quòd ineunte ætate non cogitaveris priùs de arbore, quatenus genus vel univerſale quid eſt, quàm hanc aut illam adſpexiſſes, ideóque à ſingulari omnino incepiſti, ac poſtea propter ſimilitudinem hujus & illius, quam videras, arboris, univerſalem ſeu communem de arbore notionem animo concepiſti, quam deinde, prout occaſio tulit, ad hanc illamve arborem antè non viſam accommodâſti, & hac demum ratione univerſale tibi notius fuit particularibus, non omnibus, ſed quibuſdam. Et jam olim ſimili prorſus modo ex paucis quibuſdam exemplis generales Grammaticæ regulas didiciſti, ex quibus regulis poſtea quomodo tibi, quomodo aliis loquendum eſſet cognoviſti, nova ſcilicet exempla è jam cognitis regulis eliciendo. Concludo itaque, abſolute affirmans, *particularia prius univerſalibus cognoſci, & tamen cognita ſemel univerſalia aliis particularibus cognoſcendis inſervire.*

118. Facile conquieſcit animus in reſponſione tam dilucida, quare ad alia orationem convertens ſcire cupio, quomodo *in cauſis & effectis* recte cognoſcendis ordinis regula, multum jam declarata, obſervanda ſit? *Reſp.* Ordo hîc talis obſervatur, qualis in univerſalibus & ſingularibus: nempe ab ef-

fectu nobis propinquiore ac notiore deducimur in cognitionem cauſæ, ab hujus deinde notitia aliorum effectuum ſcientiam derivamus. Ita ex mentis noſtræ conſideratione, notionum ei inſitarum ductu, in cognitionem Dei Creatoris aſſurgimus, ab hujus porrò notitia ad rerum creatarum ſcientiam deſcendimus.

119. Ex omnibus hucuſque reſponſis addiſco, in quovis ordine facilioris notitiæ perpetuò haberi rationem; attamen video non eodem ſemper modo procedi, quæ igitur inde oritur ordinis diverſitas? *Reſp.* Cùm à particularibus ad univerſalia, ab effectis ad cauſas, à fine ad media, à toto ad partes (de quo q. 115.) progredimur, ordo vulgò in Scholis vocatur *Analyticus* ſeu reſolutivus: cùm autem contrariam viam inſiſtimus, ab univerſalibus ad ſingularia, à cauſis efficientibus ad effecta, à mediis ad finem, à ſimplicibus & partibus ad compoſita & tota euntes, ordo dicitur *Syntheticus* ſeu compoſitivus.

120. Detur exemplum utriuſque ordinis. *Reſp.* Grammatica incipit à fine, quem ſibi proponit, nimirum emendate loqui: pergit ad ea, quæ emendatum ſermonem efficiunt; & hîc agit primum de literis, tum de ſyllabis, adhæc de vocibus, tandem de ſententiis ac periodis rectè formandis atque efferendis. Ergo Grammatica, ſi tota ſpectetur, ordinem

ſervat analyticum, at ubi de rebus agit, ex quibus oratio gradatim componitur, ordine gaudet ſynthetico. Et hinc oritur ordinis diviſio in *Vniverſalem*, qui eſt diſciplinæ totius, & *Particularem*, qui eſt ſingularum diſciplinæ alicujus partium.

121. Supereſtne alia adhuc ordinis diviſio? *Reſp.* Tertia ordinis diviſio eſt in *Naturalem*, qui locum invenit quoties rerum, quas conſideramus, aliæ alias ex natura ſua præcedunt aut ſequuntur, & *Arbitrarium*, qui à mentis diſpoſitione pendet, non à rerum anteceſſione vel conſequentia, uſumque habet quoties rerum ipſarum nullus naturalis nexus obſervatur. Illius exemplum habes q. 110. hujus q. 116.

CAP. XI.

Ab ordine percipiendi ad ordinem & modum judicandi, à ſimplicibus ad complexa, à primo Logices gradu ad ſecundum adſcenditur. Summa regula *eſt, ut nil niſi perceptione prævia judicemus. Hæc à ratione dictata, ab omnibus etiam agnita, non tamen obſervata infantibus, imò nec adultis. Inde* præjudicia & errores, *à quibus ut libe-*

liberemur, opinionum temerè antea receptarum novum examen inſtituendum, cognitis ſolis dandus aſſenſus, incognitis denegandus, nec tamen his abjudicanda exiſtentia, quia ſunt incognita, nec de illis, quod alia habent admixta incognita, dubitandum, nec denique laborandum niſi de perceptione propria *recte formanda. Quæ omnia in rebus* cognoſcendis *ſemper debent, in* agendis & faciendis *rarò poſſunt obſervari.*

122. De ordine in rebus percipiendis tenendo ſatis, opinor, vidimus: quis autem ordo inter ipſam perceptionem & judicium ſit obſervandus, nunc videtur inquirendum. *Reſp.* Rectè mones, quandoquidem partitionis Logicæ ductu, quæſtion. 16. de *judicio* expoliendo agendum eſt, poſtquam ea, quæ claram diſtinctamque *perceptionem* promovent, cum in rebus ſingulis *ſeorſum* (quæ ſunt attentio, reductio rei ad claſſem ſuam, attributorum conſideratio, ſingularis & univerſalis diſtinctio, definitio, diviſio) tum in pluribus *conjunctim* ordine intelligendis, enumerata fuerunt. Imò cum de *ſimplici* themate hactenus actum fuerit, jam ad *complexum* ac-

cedere ordo jubet Syntheticus, ex qq. 28. 112. 119. ut triplex omnino ſit hujus capitis cum ſuperioribus catenatio, proxima cum præcedente decimo, remota cum initio quarti, remotiſſima cum fine ſecundi. Sed ad rem.

123. Regulam de judicandi ordine certam requiro, eamque primam & generaliſſimam. *Reſp.* Ordo, de quo interrogas, eſt ita à recta ratione ſtatutus, ut ſemper intellectus antecedat judicium, ſeu, ut nihil judicemus h. e. *nihil affirmemus aut negemus, in Veritatis inveſtigatione occupati, niſi de re clarè ac diſtinctè percepta.* Nimirum perceptioni tuæ examuſſim reſpondere debet judicium, nec ſatis tibi erit ad recipiendam aliquam ſententiam, quòd in ea inſit veritas, niſi tu ipſam capias & ineſſe agnoſcas, ſic ut tua tibi, & alii cuique ſua perceptio ſit veritatis unica norma & regula. Pro certiſſimo itaque habeant omnes veri ſcrutatores, tum demum ſecurum fore progreſſum in ſcientiis, cùm aſſenſus non ulterius gradum protulerit, quàm evidens perceptionis veritas ei præluxerit.

124. Quæ ratio hujuſce regulæ, quam efficacibus adeo verbis inculcas? *Reſp.* Omne judiciū fit per axioma ſive ſententiam animo conceptam. Omne autem axioma duobus conſtat terminis ſeu partibus, quarum prior, de qua aliquid dicitur, *ſubjectum*, poſterior,

quæ

quæ dicitur, *prædicatum*, Latiniùs attributum vocatur, ut hoc in exemplo videre eſt: mens cogitat. Atqui non poſſum rectè judicare, hos terminos inter ſe cohærere, vel à ſe dirimi, niſi bene intellexero utrumque, ſimplicia prius ex ordinis lege q. 112. apprehendens, quàm affirmando aut negando comprehendens ſive componens. Eademque de cauſa in hac Logica prius formandę perceptionis modū, quàm judicii propoſuimus. Sed & omniū penè hominum ſuffragio regula iſta comprobatur, quando negant ignotâ causâ judicium eſſe ferendū, ac fruſtra eſſe cæcū, qui de coloribus judicare velit, proverbii loco uſurpant.

125. At cùm regulam illam omnes homines admittant, an omnes quoque eandem obſervant? *Reſp.* Certe nemo eſt, quin *ineunte ætate* ſæpiſſime illam negligat. Nempe nullus noſtrum revera percepit unquam, terram eſſe planam, eſſe majorem ſole, ſtellas tam parvas eſſe, quàm nobis apparent, lunam diſci habere figuram; & tamen ſic ab infantia omnes judicavimus. Et ſimilia alia judicia, aut verius præjudicia (quippe perceptionem veram non ſequentia, ſed *anticipantia*) innumera à teneris annis fecimus, partim cæco propriæ voluntatis impetu abrepti, partim aliorum falſa loquentium ductu in nimia facilitate ſecuti, & verbis, quæ rebus accuratè non reſpondent, decepti.

126. Cæterum cùm prima ætas nondum ſit integrum rationis uſum adepta, cauſa evidens eſt, cur à regula noſtra ſubinde recedat; ſed *maturæ ætati* nihil tale metuendum eſſe videtur. *Reſp.* Imò verò plurima, quæ ab ineunte ætate malè judicavimus, propter longam iſtam ea pro veris habendi conſuetudinem, nullo reliquæ vitæ tempore corrigimus. Quin etiam à conſuetudine infantiæ eſt, quam philautia auget in præcocibus ingeniis, ut quàm frequentiſſimè etiamnum *præcipitemus* judicia noſtra, nec ſatis temporis ad rem debita cum attentione examinandam ſumamus, unde variis erroribus imbuimur.

127. Qua igitur ratione *liberari* poſſumus illis infantiæ præjudiciis, aliiſque erroribus inde procedentibus? *Reſp.* Nulla alia ratione, niſi ut eo tempore, quo ad philoſophandum ſeu ad veritatem rerum ſeriò inveſtigandam accingimur, firmiter propoſitum nobis habeamus, nihil eorum, quæ ante id tempus affirmavimus vel negavimus, nunc in philoſophando affirmare vel negare, antequam ea rurſus ad novum atque accuratum examen revocaverimus, idque ſecundùm ſuperiores claræ ac diſtinctæ perceptionis acquirendæ canonas. Ita fiet, uti ex præſcripto regulæ, quam in præſenti tractamus, de clarè diſtinctéque cognitis *judicando* veritatem aſſequamur; in reliquis verò non ita perceptis *judi-*

judicium ſuſpendendo, quamdiu ea non percipimus, errorem vitemus. Suſtinentes quippe aſſenſum non erramus, at bene intellectis aſſentientes non modò non erramus, ſed etiam verum amplectimur.

128. Placet omnino, nihil ut judicem, de quo nihil percipio: at ſimiline modo licebit judicare, nihil ibi eſſe, ubi nihil percipio? *Reſp.* Aliud eſt *non judicare*, ubi nil percipis, quod eſt rationi conſentanea judicii ſuſpenſio, aliud eſt *judicare*, ibi nil eſſe ubi nil percipis, quod eſt præcipitis judicii conjectura incerta, cum multa talia exiſtant, ut à nobis illico, aut quovis modo, id eſt intellectu, viſu, auditu, tactu, &c. percipi nequeant. Perperam igitur ſtatuis in vaſe nihil eſſe rei, quod nihil in illo videas, quia multa corpora tam minuta ſunt, ut oculorum aciem ſubterfugiant, quæ tamen intellectum ſedulò inveſtigantem propterea non latent. Confer q. 109.

129. Nunquid autem de eo, quod clarè ac diſtinctè percepi, dubitem ſeu aſſenſum cohibeam, ſi quid fortè *adjunctum aut connexum* ei fuerit, quod non ita clarè percepi? *Reſp.* Minimè verò, quoniam illi, quod percipimus, aſſenſum adhibemus; circa id, quod non percipimus, utut conjunctum fuerit, eum inhibemus. Ex. gr. licèt aliquando τὸ διότι neſciamus, non ideo τὸ ὅτι in dubium trahemus, neque negabimus quòd res ſit, etiamſi

ubi, quare aut quomodo ſit ignoremus. Ita non ambiges de exiſtentia DEI, quamvis in eo & ab eo plurima ſint, quorum rationes non intelligis.

130. Eſtne verò neceſſe ut quæ non admittimus, eo quod ignoramus an ſint vera, falſa eſſe putemus aut probemus? *Reſp.* Nullo modo: ſtudiosè tantum cavendum eſt, nequid pro vero recipiamus, quod nunquam percepimus aut probavimus verum eſſe. Nec, ſi judicamus de iis, quæ nobis ipſis evidenter perſpecta, ut aliis quibuſcunque circa eadem hæſitantibus aut errantibus ſatisfaciamus, ulla neceſſitas urget. Cùm enim ſibi quiſque ipſi ſcientiam quærat, *è ſua, non aliena perceptione judicare* debet, & ipſe certus eſſe, rem ita ſe habere: quæ verò alterius animum difficultas ab aſſentiendo abſterreat, dummodo nil officiat perceptioni ſuæ, jure inſuper habebit. Nempe qui ſtruere domum firmam ſibi in ſuo fundo cupit, non idcirco aliorum infirmas dejiciat & ſolo æquet neceſſe eſt: ſufficit enim ut ſibi aream habens complanatam, inſtrumenta idonea & materiam ſolidam comparet.

131. An ergo nullò prorſus caſu à regula noſtra, de ordine inter perceptionem & judicium ſervando, deflectendum eſt? *Reſp.* Nunquam ab illa deſciſcere licet in rebus *contemplandis*, ſeu dum verſamur in veritatis indaga-

gatione. Verum in iis, quæ ad reliquam vitam pertinent, quia neceſſitas aut commoditas rerum *agendarum faciendarumque* accurati examinis moram non ſemper concedit, ſæpe etiam ea amplecti aut fugere, probare aut improbare tenemur, quæ non clarè ac diſtinctè, ſed quovis obſcuriore vel confuſiore modo percipimus. Ex. gr. perſæpe damus eleemoſynas pauperibus, quos eſſe pauperes & liberalitate dignos arbitramur, etſi tales eſſe vix unquam accuratè percipiamus. Sic iter ſine comite facientes, vel hoſtes à tergo habentes, ſicubi regia via in ſemitas plures divaricata excurrat, unam ex illis tenemus & tenendam decernimus, quantumvis an ſatis rectè ad metam propoſitam nos deductura ſit, incerti ſimus ac dubii. Sic credimus nos eſſe baptizatos, hos ſuſceptores, hos parentes & majores habere, hoc tempore quo dicunt parentes, & hoc loco natos eſſe, & alia multa ad fidem & vitam, non ad ſcientias ſpectantia; ex q. 90. ideoque nec ea claritate aut evidentia, qua philoſophica decreta cognoſcuntur, intelligenda.

Cap. XII.

Non omnia dicto modo judicata ſunt æquè certa ac vera. Minùs tale eſt axioma

contingens, *cujus certitudo moralis. Magis tale axioma* neceſſarium. *Neceſſitatis gradus primus in axiomate* de omni, *cujus certitudo phyſica, ſecundus & tertius in axiomate* per ſe, *&* univerſaliter primùm. *Vtriuſque certitudo eſt metaphyſica, quæ ex manifeſto ſubjecti & prædicati nexu aut pugna dependet. Illuſtrantur hæc ex* univerſalibus, *quamvis etiam locum habeant in ſingularibus.*

132. E ſuperiori capite jã conſtat, quomodo vera axiomata mente formare (nondum enim de enunciatione verbis efferenda agimus) & à falſitate nobis cavere queamus: ſed ut judicia noſtra eò firmiora reddantur, placet interrogare, num quæ iſto quo dictum eſt modo judicamus, æquè omnia vera ac certa exiſtant? *Reſp.* Alia aliis magis minuſve talia ſunt, unde varii certi ac veri gradus differentiæque oriuntur. De iis loquor, quæ modo antè dicto, nempe ex perceptione propria, judicamus, non, quæ ex revelatione divina aut humana relatione habemus. Omnia enim reſpicientes dicere poſſumus, illud nobis eſſe certius, quod naturæ ſimul & Scripturæ S. lumine oſtenditur, quàm quod alterutro tan-

tùm,

tùm, & quod viri boni ac ſapientes teſtantur verius eſſe, quàm quod alii &c. Neque de *certitudine* rei prorſus agimus, quæ immutabilitas quædam eſt in objecto cognito (*objectiva*) ſed de illa imprimis, quâ certa ſit mens cognoſcentis (*ſubjectiva*) cùm quid judicat eſſe aut non eſſe abſque ullo periculo aut ſuſpicione erroris, judicio ſtabili, quod eſt de clarè diſtinctéque perſpectis, non autem vacillante, quod eſt de confusè & obſcurè ſolùm apprehenſis.

133. Ut igitur ab infimo gradu incipiamus, quænam axiomata minimum habent veritatis ſeu certitudinis? *Reſp. Contingentia* ſeu contingenter vera, h. e. quæ ita vera ſunt, ut falſa eſſe poſſint: ut, ſi judicem matres amare liberos ſuos, aut vicinum meum virum eſſe bonum, quia quotidie cum eo converſans nil niſi honeſta agere eum animadverto. Horum axiomatum certitudo vocatur vulgò *Moralis*, non quòd in rebus tantùm ethicis ſeu moralibus locum habeat, ſed quòd aliter de talibus ſtatuendo contra bonos mores plerumque peccetur, vel, quia ſufficit ad mores gubernandos. Interim facilè intelligo, non modò aliter illa mente concipi poſſe, verùm etiam rerum naturam pati, ut aliter ſe habeant, nempe contingere poſſe, ut matres quædam non ament liberos ſuos, ut vicinus meus non ſit vir bonus &c.

ideo-

ideoque vix certitudo (niſi alia major accedat) appellanda eſt, & ſequentium illuſtrandorum gratiâ tantùm hic memoratur, cùm ne quidem dici poſſit id clarè ac diſtinctè perceptum eſſe, de quo ſic judicatur.

134. Quænam ergo magis vera ac certa ſunt? *Reſp.* Axiomata *neceſſaria* ſeu neceſſariò vera, h. e. quæ ita vera ſunt, ut falſa eſſe nequeant, cujuſmodi ſunt tria hæc: homo binas habet manus, binarius eſt numerus, bis bina ſunt quatuor. Ex his primum quidem eſt neceſſariæ veritatis, at ſecundum magis, tertium maximè neceſſarium. Unde tres dantur gradus neceſſitatis, quorum ſecundus primum, tertius primum & ſecundum includit.

135. Quis eſt primus gradus? *Reſp.* Eſt ille, à quo axioma vocatur *de omni*, nimirum, quando prędicatum omni ſubjecto, & ſemper convenit: ut ſubjecti univerſalitas cum temporis perpetuitate conjungatur. Axiomatis hunc neceſſitatis gradum ſolum habentis certitudo dicitur *Phyſica*, quia ſecundùm ordinem naturæ res aliter ſe habere non poteſt: e.g. concipere quidem poſſum hominem, qui vel nullam, vel unam, vel duabus plures (quod de centimano Gyge poëtæ fingunt) habeat manus; ſed tamen naturaliter omnis homo perpetuò duabus eſt præditus. Quando verò rem ne concipere quidem aliter poſſum, ut

in

in duobus reliquis exemplis, binarius eſt numerus, bis bina ſunt quatuor, certitudo nominatur *Metaphyſica* vel *Mathematica*; & hujus reſpectu certitudo etiam Phyſica, ab iis, qui ſummam & prorſus inconcuſſam certitudinem quærunt, interdum Moralis appellatur.

136. Unde verò exiſtit ſumma illa ſeu Metaphyſica de axiomatibus nonnullis in animo noſtro certitudo? *Reſp.* Certitudo axiomatis affirmantis proficiſcitur è ſubjecti & prædicati *nexu indiſſolubili* à mente clarè diſtinctèq; percepto; negantis oritur ex utriuſque *repugnantia manifeſta*: e.g. quia binarius non poteſt clarè intelligi, niſi ut ſpecies numeri, hinc axioma Metaphyſicè certum efficitur affirmans: binarius eſt numerus. Et quia pari numero manifeſtè repugnat imparitas, hinc axioma Metaphyſicè certum conſtituitur negans: par non eſt impar. Utriuſque generis axiomata propter immutabilem iſtum terminorum conſenſum aut diſſenſum vocantur *æternæ veritatis*. Judicium verò mentis ex evidentia connexionis aut repugnantiæ terminorum naſcens propriè *intelligentia* nominatur.

137. Eſtne verò certitudo hæc Metaphyſica uniuſmodi? *Reſp.* Non ſolùm pro rerum perceptarum majori minorive claritate, verùm etiam pro nexûs inter ſubjectum & prædicatum varietate gradus differentiaſque admittit.

mittit. Res quidem quo intellectui ſunt notiores, eò & judicium de iis habetur certiùs. *Nexus* verò ſubjecti & prædicati eſt vel tantùm à parte alterutrius, vel à parte utriuſque ſimul, & hinc magis, illinc minùs neceſſarium efficitur axioma. E. g. magis judico eſſe neceſſarium, bis bina eſſe quatuor, quàm binarium eſſe numerum, quia licet binarius neceſſariò ſit numerus, non tamen numerus neceſſariò eſt binarius, cum poſſit eſſe ternariùs, quaternarius &c. at bis bina ſunt neceſſariò quatuor, & quatuor ſunt neceſſariò bis bina, non plura, nec pauciora. Hinc igitur ſecundus & tertius neceſſitatis gradus oritur.

138. Quis eſt ſecundus gradus? *Reſp.* Eſt ille, à quo axioma vocatur *per ſe*, nempe cùm prædicatum non tantùm omni ſubjecto & ſemper convenit; ſed etiam conſtituit eſſentiam ſubjecti, ſicut in his exemplis: homo eſt animal, homo eſt rationalis, homo eſt ſubſtantia, homo eſt finitus; vel eſſentiam neceſſariò conſequitur, ut homo ridere poteſt. Duorum igitur dicitur eſſe modorum, qui tamen, uti dictum q. 96. in ipſa re vix differunt. In primo modo prædicatum continetur in ſubjecti, in ſecundo modo ſubjectum continetur in prædicati definitione, ſeu clara ac diſtincta perceptione.

139. Quis eſt tertius gradus? *Reſp.* Eſt ille, à quo axioma dicitur *univerſaliter primum*,

mum, quando attributum non ſolùm omni ſubjecto, eique perpetuò & per ſe, ſed etiam quatenus ipſum ineſt h. e. quando prædicatum tribuitur illi ſubjecto, in quo omni & ſolo ſemper & ubique, & extra quòd nunquam & nuſquam reperitur: e.g. omnis homo eſt a*nimal* rationale. Itaque tale axioma terminis conſtat æquè latè patentibus & reciprocis, atque in eo ſuperat hæc neceſſitas neceſſitatem ſecundi gradus, quæ non ſemper eſt mutua, uti manifeſtum eſt exempla data conſideranti.

140. Cùm ex doctrina de univerſalibus conſtet, quid de quo prædicari ſeu dici aptum ſit, poſſuntne axiomatum, de quibus in præſentia agimus, differentiæ ac gradus inde lucem aliquam mutuari? *Reſp.* Poſſunt omnino, ſi cogites in enunciatis *contingenter veris* prædicatum eſſe accidens ſeparabile; in prædicatione tantùm *de omni* eſſe accidens inſeparabile; in prædicatione per *ſe primi modi* eſſe genera & differentias, tum remota, tum proxima, ac definitiones ipſas genere proximo & differentia junctis conſtantes; in prædicatione *per ſe ſecundi modi* eſſe propria; denique in axiomate quod *univerſaliter primùm* vocatur, prędicata eſſe differentias proximas, definitiones integras, propria. Conferantur hæc cum exemplis ſuperioribus, tamque negantibus quàm affirmantibus axiomatis accommodentur.

141. Nul-

141. Nullane igitur axiomata contingentia aut neceſſaria ſunt, niſi quorum *prædicata univerſalia? Reſp.* Quæ modò dicta ſunt de contingentia & neceſſitate axiomatum prædicata univerſalia habentium, ſimili quapiam ratione de iis etiam accipienda, quorum prædicata ſunt *ſingularia.* Nam in his quoque differentiæ, definitiones, attributa propria, nec non accidentia occurrunt, id quod exempla iſta declarant: Deus eſt infinitus, eſt omnipotens, ego hanc Logicam ſcripſi. Ubi primum & ſecundum axioma eſt neceſſarium, tertium verò contingens.

CAP. XIII.

Ut res, ſic axiomata univerſalia ſunt aut ſingularia, & in hoc eorum quantitas, *at* qualitas *in affirmatione & negatione conſiſtit. Axiomata univerſalia, particularia, ſingularia jam* diſtinguuntur, *jam* confunduntur, *ſibi verò invicem* ſubordinantur, *hinc judicii corroborandi cauſa è particularibus univerſalia, & viciſſim ex his illa colligenda.*

142. Equidem experior quantum illa de axiomatum diſcrimine & gradibus proſint ad ju-

judicium formandum ac firmandum: at ſuntne aliæ inſuper differentiæ, quæ ad idem conducunt? *Reſp.* Sunt, & quia præcedentes è doctrina de univerſalibus jam jam illuſtravimus, commodè hic obſervabitur, ut in rebus, ſic in axiomatibus univerſalia & ſingularia diſtingui, quamvis non eadem prorſus ratione. Appellatur autem axiomatum *quantitas*, & diſcernitur ab eorum *qualitate*, quæ in affirmatione & negatione conſiſtit, quarum illa componere, hæc dividere dicitur: ut, quando axioma *verum* deſcribunt, quod componit quæ componenda, aut dividit quæ dividenda ſunt; *falſum* verò, quod componenda dividit, aut dividenda componit.

143. Unde verò æſtimatur axiomatum, qua de agere inſtituimus, quantitas? *Reſp.* Æſtimatur è ſubjecto, nam ſubjectum axiomatis, ſive id, de quo judico, eſt vel univerſale, vel ſingulare. Si eſt univerſale, velut in his: omnis homo eſt mortalis, nullus homo eſt quadrupes, axioma vocatur *univerſale* ſeu generale. Sin ſubjectum eſt ſingulare ſeu individuum, tum eſt vel certum ac definitum, & axioma inde vocatur *Singulare* ſeu proprium, ut Petrus currit, hic homo non canit; vel eſt incertum & vagum, unde axioma dicitur *Particulare* ſeu ſpeciale, ut quidam homo currit, aliquis homo non canit. Interim particulare & ſingulare axioma quandoque confun-

ſunduntur, & pro uno eodemque habentur, quia utrumque de individuo loquitur.

144. Suntne univerſalia axiomata æquè talia? *Reſp.* Quemadmodum in neceſſariis, ita in his gradus dantur, nam univerſalium axiomatum talis eſt latitudo, qualis rerum eſt univerſalium, nimirum ut alia magis, alia minùs talia ſint, hinc *particularia* ſæpe dicuntur ea, quæ minùs ſunt univerſalia, quod ipſum quoque in rebus obtinet: e.g. ſicut homo, rationale animal, particulare quid eſt reſpectu animalis in genere: ita illud axioma, homo ſentit, particulare dici queat reſpectu hujus, animal ſentit.

145. Quoniam ergo ſingularia & particularia axiomata ſub univerſalibus, & minùs univerſalia ſub iis, quæ magis talia ſunt, ordine collocantur, uſuſne aliquis ad judicium firmandum inde oritur, ſimilis illi, quem è rerum ſingularium univerſaliumque *ſubordinatione* ad perceptionem adjuvandam redire ſuprà q. 97. conſpeximus? *Reſp.* Omnino: plurimum enim ad incorruptè atque integrè judicandum refert diligenter inveſtigare, ad quod generale axioma hæc aut illa particularia revocari poſſint: ac viciſſim, quæ particularia ex hoc illove generali proveniant, confer q. 117. fine. Cùm enim ſæpe eveniat, ut attributum aliquod, in paucis particularibus cognitum, ad omnia, quibus convenit,

ſub-

ſubjecta universè extendere neſciamus; ſæpe contrà, ut attributum, generatim quodammodo apprehenſum, ad hæc & illa, quibus ineſt, ſubjecta ſpeciatim accommodare negligamus, (reſpice q. 104) utrique defectui talibus *judicandi* exercitiis poterit occurri.

146. Da exemplum prioris reductionis. *Reſp.* Si mente expendamus, quanta vocabulorum copia ex paucis literis oriatur, & quot numeri ex decem figuris, imò ex ipſa unitate exſurgant, & quomodo à puncto in Geometria omnis fluat magnitudo, linea primò, deinde ſuperficies, tandem ſolidum, & quanta ex parvo ſemine arbor creſcat &c. mox generaliter *judicabimus*, principia maximarum etiam rerum parva eſſe & exigua. *Univerſalis ejuſmodi è particularibus inductio* magnopere neceſſaria eſt, nam cum propter vitæ brevitatem & captus noſtri anguſtiam ſingularia omnia comprehendi nequeant, q. 90. opus eſt ex q. 11. ut quorundam ſingularium adminiculo mens ad univerſale ſe elevet, atque experimentis è ſingularium obſervatione collectis trahatur ad acquirendam de his potiùs quàm de aliis objectis è certis principiis ſcientiam.

147. Da exemplum poſterioris. *Reſp.* Qui tenet axioma illud, principia rerum eſſe parva, non mirabitur, ſi cognoſcat à tenuiſſimis quandoque initiis ampliſſimas originem habuiſſe

buiſſe civitates, ſcientiarum item & artium primordia admodum anguſta exſtitiſſe, & olim homines in ſpecubus ac tuguriis habitâſſe, cùm nunc diſtega ac triſtega ædificia incolantur &c. Talis *particularium ex universali collectio* ad rationes & cauſas, multaque alia in rebus particularibus attendenda mentem noſtram utiliter promovet, cùm illa demum fructuoſa ſit ſcientia, quæ rei cauſam generaliter cognitam ſpecialiter applicare novit.

148. Quæ eſt ratio reductionis iſtud exercitium feliciùs promovendi? *Reſp.* Si res diverſas ac diſciplinas de rebus variis percurrendo earum inter ſe in pluribus paucioribuſve convenientiam ſtudiosè ſcruteris, ſimul attendens, qui termini ſimplices, quibus ſuperiores, quibus ſint inferiores, Univerſalium doctrina inveſtigationem ordinante. Nam ſub generalibus ſubjectis & prædicatis ſpecialiora, atque ex oppoſito ſupra ſpecialia ſubjecta & prædicata generaliora inveniri neceſſe eſt, veluti ex datis exemplis elucet.

CAP. XIV.

Collectio illa unius axiomatis ex altero dicitur Argumentatio, *quæ duas habet* partes. *Hæ in eo differunt, quod præ-*

præmiſſæ notiores ac certiores concluſione; in eo conveniunt, quòd idoneo nexu *oporteat eſſe colligatas, ita ut vel ab effectu ad cauſam, vel à cauſa ad effectum, vel à particulari ad univerſale, vel ab univerſali ad particulare mens ratiocinando progrediatur vel regrediatur.*

149. Sed quale iſthoc eſt judicium, quando ex uno axiomate colligitur atque infertur aliud? *Reſp.* Eſt judicium dianoëticum, quod vulgò *diſcurſivum* vocant, quia mens hic ab uno quaſi currit ad alterum, diſtinguiturque ab eo, quod ſimpliciter eſt *axiomaticum* ſeu enunciativum, h. e. quod fit ſine collectione tali. Aliter dicitur *Argumentatio* & ratiocinatio, magnamque ſimilitudinem habet cum numeratione Arithmeticis propriè ſic dicta, quæ è datis numeris alium adhuc ignotum inquirit. Atque ut in primo Logicæ gradu primò de ſingulis ſeorſum percipiendis, deinde de omnibus conjunctim ritè in animo diſponendis actum fuit: ita ſuperiores de judicio formando præceptiones axiomata ferè ſingula ſpectant *ſeorſim dijudicanda*, quæ autem nunc proponimus, ad axiomatum *plurium inter ſe connexionem*, uniuſque ex altero rectam deductionem pertinent. Et

quidem in ratiocinatione recta præcipuè ſitum eſt *humanæ ſcientiæ vinculum* & firmamentum, quod nullum erit, niſi ſciamus accuratè nectere & ordinare judicia noſtra omnia, quæ axiomata priora, quæ poſteriora, quæque ſint omnium prima, à quibus reliqua non interrupta ſerie deriventur, propria mentis experientia edocti.

150. Quot autem & quibus *partibus* conſtat Argumentatio? *Reſp.* Duabus, utpote antecedente & conſequente, ſeu, ut in Scholis loquuntur, parte inferente & illata: illa proponitur ac præmittitur ad aliud quid confirmandum, & pluribus ferè axiomatibus conſtat, quæ inde *præmiſſæ* (ſcil. propoſitiones) appellantur, vel etiam principia: hæc verò, ubi jam certa & cognita fuerit, vocatur *Concluſio*; at ſi adhuc dubia ſit, cognoſcendaque & inveſtiganda ejus veritas, dicitur *Quæſtio*. Nec quæſtio & concluſio aliter, quàm diverſo iſto idem axioma conſiderandi modo, diſtinguuntur.

151. Cujuſmodi vero oportet eſſe membrum Argumentationis *antecedens*, ut è quæſtione dubia mihi faciat concluſionem certam? *Reſp.* Imprimis requiritur, ut mihi ſit *notius ac certius*, ſecus enim ad aliud cognoſcendum certumque de eo reddendum judicium meum non poterit prodeſſe. Nec generale præceptum de ordine aliud habuimus

q. 111.

q. 111. Itaque ad expeditè ratiocinandum opus eſt, ut axiomatibus, è rerum clarè diſtinctèque perceptarum complexione promanantibus, pluribus inſtructi ſimus. Talibus enim attendendis ac ſeligendis operam dantes, parata habebimus clara principia, ex quibus aliorum exquiſitam ſcientiam deducere queamus. Horum porro axiomatum delectu habito, clariora, quippe quæ in cognitione noſtra priora ſunt, ſeparabimus, donec perveniamus ad principium ita clarum ac certum, ut nulli prorſus dubitationi ſit obnoxium, quo dato legitimæ ratiocinationis initio, inde procedatur ad alia claritate proxima, & ſic paulatim ad alia magis abſtruſa, ſollicita ſemper cautione, ne ad ulteriora judicanda præcipites feramur, quàm prioris cujuſque principii lux perceptionem conſequentium reddiderit quàm maxime perſpicuam.

152. Quid propriè vocas hoc loco *Principium*? *Reſp.* Propoſitionem, quæ duas has conditiones habet: 1. ut valdè clara ſit ac certa. 2. Vt omnia alia, quorum dicitur principium, ab ea deduci ac derivari poſſint, h. e. ut ſit concluſionibus inde deducendis adæquata.

153. An verò ſufficit propoſitiones in promtu habere notas ac certas, ut ad alia quælibet ratiocinando progrediamur? *Reſp.*

Non datur à quolibet noto ad quodlibet ignotum argumentationis progreſſus, ſed requiritur certus inter ea *nexus*, cujus vi hoc potiùs ex illo, quàm aliud quidvis cogi poſſit, qualis eſt v. g. inter cauſam & effectum, ſignum naturale & ſignatum, totum & partes, genus & ſpeciem &c. Hinc argumentationi cuilibet ſua tribuitur *conſequentia*, imò neceſſitas quædam conſequentiæ, quæ non à cognitionis duntaxat ordine, verùm à naturali inſuper rerum cognoſcendarum connexione pendet, quamvis hæc non ſit unius generis.

154. Quoniam igitur & nexus hujus, & axiomatum ratiocinando nectendorum eſt diverſitas, eſtne etiam argumentationis aliqua differentia? *Reſp.* Eſt ſanè multiplex, nam 1. pro varietate *præmiſſarum*, alia eſt ex contingentibus, quæ tamen non magni momenti q. 133. alia ex neceſſariis propoſitionibus &c. 2. pro varietate *concluſionis*, alia gignit opinionem ſeu qualem qualem cognitionem, quæ etiam minoris æſtimanda ex q. 5. alia certam ac ſolidam parit notitiam; alia *τὸ ὅτι* ſolùm oſtendit ſeu quod res ſit, alia *τὸ διότι* inſuper, h. e. cur res ſit &c. 3. pro varietate ipſius *proceſſus* & collectionis, alia à cauſa progreditur ad effectum, alia ab effectu ad cauſam, alia è particularibus colligit univerſale, alia ex univerſalibus particulare &c.

155. Quæ

155. Quæ autem differentiæ hoc loco imprimis obſervatione dignæ? *Reſp.* Quæ ab ipſo collectionis modo & proceſſu, utpote in quo *forma argumentationis* conſiſtit, deſumuntur. Sic primò dividitur Argumentatio in eam, quæ eſt à priori, quæ etiam τοῦ *διότι* dicitur, & eam, quæ à poſteriori, quæ etiam τοῦ ὅτι; deinde in Syllogiſmum & Inductionem.

156. Quam vocas argumentationem *à priori*? *Reſp.* Quando aliquid oſtenditur ac probatur per proximam cauſam efficientem vel finem, quam cauſam quia definitio ſubjecti vel prædicati ſæpe continet, ideo & hinc probatio petitur, & generaliter tandem à priori quid oſtendi dicitur, dum unum attributum, quod in cogitatione noſtra poſterius eſt, colligitur ex alio ejuſdem rei attributo, quod ſecundùm diſtinctam cognitionem noſtram prius eſt. E. G. ſi probes res omnes creatas eſſe contingentes, quia dependent à cauſa liberè agente, nempe Deo, argumentum capitur *à cauſa efficiente proxima*: ſi concludas doctrinam de attentione, quàm vulgò omittunt Logici, pertinere ad Logicam, quia quàm maximè ducit mentem ad rerum cognitionem, probatio ſumitur *à fine proximo*: ſi ſtatuas hominem eſſe capacem Logicæ, cùm ſit animal rationale, argumentum eſt *à definitione ſubjecti* cauſam præ-

dicati continente: ſi judices, ſenarium eſſe numerum parem, quoniam dividi poteſt in duas partes æquales citra fractionem, argumentum ſumitur *à definitione prædicati* cauſam indicante, cur hoc tribuatur ſubjecto: ſi probes omne corpus quantumvis parvum eſſe dividuum, propterea quia extenſum eſt, demonſtras attributum conſequens *ex antecedente.*

157. Quam dicis argumentationem à *poſteriori* ? *Reſp.* Quando quid probatur per cauſatum proximum, nempe per effectum aut medium: v. g. ſi animal quodpiam monſtroſum videns colligas eſſe hominem, quia loquitur articulatè de rebus cujuſcunque generis, argumentum petis *ab effectu proximo.* Huic valde affinis eſt ille argumentandi modus, quo quid demonſtratur per *ſignum naturale*, ut ſi colligas mentem humanam non eſſe omnino perfectam, quia ſæpe dubitat & optat: ſi probes Logicam nos liberare ab errore, quoniam perceptione magiſtra formare docet judicium, argumentum ducitur *ex medio proximo.*

158. Quid intelligis per Inductionem & Syllogiſmum ? *Reſp. Inductio* eſt argumentatio à particulari ad univerſale, vel à partibus ad totum: *Syllogiſmus* eſt argumentatio ab univerſali ad particulare, vel à toto ad partem. Et quia duplex iſte proceſſus in fine

præ-

præcedentis capitis indicatus, deſcripta ſimul utriuſque neceſſitate & uſu, de Argumentatione agendi occaſionem nobis dedit, omneſque argumentandi formæ ad eorum alterutrum revocari poſſe videntur, (non ſecus ac omnis numeratio in Arithmeticis ad *Additionem* aut *Subtractionem*) ideo fuſiùs de Inductione & Syllogiſmo tractandum erit in ſequentibus.

159. Sed antequam ab hac generali de judicio dianoëtico doctrina abeamus, ſupereſt ut quæramus, ſitne regreſſus ille in ordine judicandi, qui in ordine percipiendi, ſeu ab effectu ad cauſam, vel contrà, ſeu à particulari ad univerſale, vel contrà, quæſt. 117. 118? *Reſp.* Ejuſmodi omnino *regreſſus* in ratiocinando locum obtinet. Nam etſi de cauſa cogitandi & inquirendi effectus primam ſubminiſtrent occaſionem, ut ipſi hoc pacto ſint ad cauſæ notitiam à poſteriori enitendi neceſſaria plerumque adminicula, tamen ubi cauſam cognovimus, ab illa iterum, & ſic à priori, ad effectus plenius dijudicandos ac plura de iis probanda non ſine utilitate revertimur. Imò cùm cauſa & effectum, utraque bene penſitata, mutuò ſibi intelligentiæ lucem affundant, ſæpe contingit ut aliquo reſpectu effectum nobis notius & prius cauſâ, alia verò conſideratione eadem cauſa ſit notior ac prior eodem effecto, unde modò ab

illo ad hanc, modo ab hac ad illud argumentamur. Ac denique omnis veræ demonſtrationis, catenatas rationes plures continentis, ea eſt ratio, ut non ſolùm priora poſterioribus, ſed viciſſim poſteriora quoque prioribus & lucem fœnerentur & fidem faciant. Haut aliter ac in Arithmeticis additio per ſubductionem, & hæc viciſſim per illam, multiplicatio per diviſionem, & hæc vice verſa per illam examinari probarique conſuevit. Quæ verò de cauſa & effectis modò diximus, pari quodammodo ratione de univerſalibus & ſingularibus ſunt capienda.

CAP. XV.

Veritas ut ratiocinando inveniatur incipiendum eſt à particularibus. Ex illis, ad colligendum univerſale (quæ collectio vocatur Inductio*) ſæpe unum ſufficit perſpexiſſe, ſæpe requiritur enumeratio omnium. Quæ ſi inſtitui non poſſit, concluſio aut ſit de pluribus, ita ut excipiantur pauciora, aut etiam de omnibus, contra quæ exceptio nulla eſt, vel pro quibus ratio ſimilis militat, quam ob rationem quan-*

doque

doque ſingulare unum ex alio infertur, quæ argumentatio Exemplum *nuncupatur.*

160. Verùm enimvero dum propoſitionem unam ex altera, vel una vel pluribus, mens colligere inſtituit, primone à particularibus, an verò ab univerſalibus inchoare debet? *Reſp.* Ab illis, naturâ enim mens noſtra fertur ad generales propoſitiones ex particularium cognitione deducendas, ſic totum ſingulis ſuis partibus majus eſſe, ter terna novem conſtituere, & ſimilia ex iis quæ occurrebant exemplis natura duce pueri primùm didicimus. Hæcque methodus etiam ordinis legibus, à paucis ad multa, à ſimplicibus ad compoſita, & ſic ab aliquo ad omne, *à particulari primò ad univerſale* (vide cap. x) procedendum eſſe jubentibus, omnino conſentanea eſt. Et in Arithmetica numerationis prima ſpecies eſt *Additio*, quæ in eo Inductioni Logicæ ſimilis, quòd è datis partibus totum inquirit. Ita, quia ego apud me experior cogitando, fieri non poſſe ut cogitem, niſi exiſtam, ex eo infero: illud omne, quod cogitat, exiſtit, & porrò, quicquid agit, neceſſe eſt eſſe. Sic ſcilicet à me ipſo, re ſingulari, mihi notiſſima & proxima, incipio, & alius quilibet ſimiliter à ſeipſo ex q. 130. At non poteſt quis è contrario ordiri

ab univerſali hoc modo: quicquid cogitat eſt, ego cogito, ergo ſum, quoniam univerſalis illa propoſitio illi non eſt tam nota (deberet autem tùm eſſe notior ex q. 151.) quàm particularis de ſemetipſo formata, cùm præſupponat exiſtere res plures cogitantes, de quo aliquando dubitare poteſt, cùm de ſui ipſius exiſtentia, vel eo quod dubitat, ſemper ſit certiſſimus, neque enim dubitare poſſet, vel alio quovis modo cogitare, niſi exiſteret.

161. Sed an *ex uno ſingulari* ſtatim univerſale licet colligere? *Reſp.* Ita quidem licet, quoties ſingulare illud experimur in nobis ipſis, connexioniſque neceſſariæ inter ſubjectum & prædicatum probè nobis conſcii ſumus, quod in propoſito jam exemplo obtinet, nam ipſe perſpicuè experior animum meum cogitare, & connexionis neceſſariæ inter hoc ſubjectum, ego cogitans, & hoc prædicatum, exiſto, optimè mihi conſcius ſum: imò nunc ſuperioribus edoctus ſcio, hoc axioma, ego actu cogitans ſum res exiſtens, eſſe *per ſe primi modi*, non ſecus ac illud, homo eſt ſubſtantia, quia prædicatum, res exiſtens, conſtituit eſſentiam ſubjecti, quod eſt actu cogitans, eſtque ipſius genus generaliſſimum. Cùm autem axioma per ſe includat axioma de omni, ab illo ad hoc tutò argumentum transferre licet, vide qq. 134. 136.

136. 138. 140. Ita vel ex uno exemplo digitorum tuorum diſces, quælibet bis quina eſſe decem. De ſimilibus idem eſt judicium.

162. At, quid obſervandum, ſi res illæ particulares de quibus agunt propoſitiones, non ſint ejuſmodi, ut mens noſtra eas ipſa experiatur, aut nexum earum indiſſolubilem videat? *Reſp.* Cavendum ſummopere eſt, ne contra principalem judicii regulam plus hic judicemus quàm intelleximus, quod quàm facillimè poteſt accidere, quia jam inde ab infantia valde *proclives ſumus ad id de omnibus exiſtimandum, quod in multis vel etiam in nonnullis duntaxat animadvertimus*. Nempe ita perfunctoriè collectionem vulgo inſtituimus, ut ſolùm quæ & qualia ſponte ſe ſenſibus ingerunt quotidie, coacervemus in ſummam, ac tædio ulterioris inquiſitionis pleniorem recenſionem abrumpamus, cæterorum, quæ recenſita non ſunt, ſimilem eſſe rationem credentes, quod fallit ſæpiſſimè. Sic falluntur pueri in Europa nati, dum, nondum viſo Æthiope, ex eorum quos viderunt Europæorum colore concludunt, omnes homines albæ cutis eſſe. Sic falluntur etiam adulti plurimi, quando ex eo, quòd videant illa, quæ hic apud nos moventur, tandem quieſcere, inferunt, hanc eorum omnium, quæ moventur, eſſe naturam, ad extremum uti quieſcant, de motu cæleſtium alio-

rumque corporum perpetuo minimè cogitantes.

163. Quid ergo faciendum, ne in ejuſmodi errorem incidamus? *Reſp.* Vt legitima ſit inductio, ſecundùm diviſionis regulam q. 106. *particularia omnia priùs enumeranda* ſunt, ſicuti fit in hoc exemplo: viſus non cognoſcit Deum, non auditus, non odoratus, non guſtus, non tactus: nec ſunt plures ſenſus externi. Ergo nullus ſenſus externus cognoſcit Deum. Plura hujus rei exempla monſtrabit capitis ſequentis quæſtio ultima. Eſt autem hujuſce Inductionis, quâ à particularibus ad univerſale progredimur fundamentum illud: quicquid dicitur de ſubjectis particularibus, ad unum collectis omnibus, idipſum dicitur etiam de ſubjecto univerſali, ſub quo particularia iſta omnia continentur. Illius verò Inductionis, qua ex partibus concluditur totum, fundamentum, cum Additionis Arithmeticæ fundamento conveniens, eſt hoc: poſitis omnibus partibus, iiſdemque junctis, ponitur totum. Exemplum eſto: corpus hominis per peccatum eſt corruptum, anima itidem: ergo totus homo per peccatum eſt corruptus.

164. An verò poſſunt particularia ſemper cognoſci & enumerari omnia? *Reſp. Non poſſunt ſemper*: alia quidem *propter nimiam multitudinem*, quis enim Iuriſprudentiæ caſus

omnes

omnes animo comprehendat, aut quis Phyſicis ſtudiis vacans ſtellas, aut plantas, aut animalia cuncta recenſeat? Alia licèt non adeo ſint multa, ejuſmodi tamen ſunt, ut in ſingulis *obſervare non liceat* idem illud, quod quidem deprehenditur in aliquibus: e. g. Lunam cognoſcimus ea tantùm parte ſplendere, quam Soli habet obverſam, adeóque proprio lumine deſtitui, idemque de Venere perſpicillorum ope obſervatur, de reliquis planetis, id eſt Marte, Mercurio, Jove, Saturno, non item.

165. Quid igitur hîc facto opus eſt, ut rectè procedat inductio? *Reſp.* Si maxima particularium pars nobis fuerit cognita, *inferri poteſt, ut plurimum rem ita ſe habere*, quamvis fortè rarior ſpecialiorve in quibuſdam caſus dari queat, qui, ſicubi occurrat, communi obſervationi ſubjiciendus fuerit, perinde ut in Grammaticis exempla plura regulam, pauciora exceptionem faciunt. Sic in A deſinentia primæ declinationis ſtatuuntur eſſe feminini generis, quamvis nonnulla, ut Planeta, Cometa &c. excipiantur. Sic è pluribus experimentis vulgò judicatur, nivem eſſe albam, corvum nigrum, mel dulce, quantumvis alicubi nix etiam rubra, corvus albus, mel amarum reperiatur. Sic pro communi quaſi notione habetur, linguâ deſtitutum loqui naturaliter non poſſe, & tamen re-

pertus ante aliquot annos in Gallia fuit, qui linguam non habens articulatè loqui, imò omnes Alphabeti literas, nullo adhibito artificiali inſtrumento, pronunciare potuit.

166. Sed iſtâ quidem viâ de plurimis communis quodammodo infertur concluſio, non tamen prorſus univerſalis de omnibus. *Reſp.* Etiam *prorſus univerſalem poteris inferre*, ſi diligentiſſimè circumſpicienti tibi exceptio, quam vulgo *inſtantiam* dicunt, h. e. exemplum aut experimentum contrarium iis, quæ perſpecta & enarrata ſunt, occurrat nullum. Ita probatur omnem numerum augeri poſſe, quia & hic, & ille, & iſte, uti centenarius, millenarius, myrias &c. augeri poteſt, nec ullum datur exemplum contrarium Hîc rectè procedit inductio, utcunque numerorum ſpecies omnes enumerari nequeant.

167. At quia in faciendis aliis inductionibus accidere poteſt, ut dubitemus, an fortaſſis concluſio noſtra univerſalis exceptioni alicui, quæ nobis non occurrat, ſit obnoxia, velim ſcire, quomodo firmiſſimè poſſem, & ſine omni planè erroris periculo, univerſalem inferre. *Reſp.* Firmiſſimè concludetur, *ſi ratio ſit* in promtu, quæ de cæteris ſub univerſali concluſionis ſubjecto contentis perſuadeat idem, quod experientia & obſervatione cognovimus de quibuſdam: v. g. Planetas omnes à Sole lucem mutuari colligo

ex

ex eo, quòd cùm in Luna & Venere perſpicuè ſatis illud obſervetur, de cæteris idem ſtatuendum hæ rationes mihi perſuadeant, primò, quòd lumen eorum obſcurius ſit quàm fixarum, quæ propria luce fulgent: ac deinde, quod inter Solem & ipſas non tantum ſit intervallum, quin poſſint ab eo illuminari. Sic ea, quæ experientia cognoſcimus de attributis corporum ſenſibilium ac majorum, ſimiliter judicamus convenire inſenſibilibus & minoribus corpuſculis, quoniam hæc æquè ac illa naturam corporis ſeu rei extenſę participant, unde generales de omnibus concluſiones colliguntur in Phyſicis. Huc referri quodammodo poteſt ille argumentandi modus, qui Logicis *Exemplum* dicitur, quum ex uno ſingulari, propter parem ſimilemve rationem, colligitur aliud ſingulare: v.g. judico interdum alios errare circa ea, quæ ſe ſcire arbitrantur; inde colligo, & me falli poſſe in iis, quæ me ſcire puto, cùm meus æquè ac illorum intellectus humanæ ſit infirmitatis particeps.

CAP. XVI.

Sed rationis ea applicatio fit Syllogiſmo *ab univerſali ad particulare progrediente, qui ſi perfectus ſit, tres habet*

pro-

propoſitiones, *tres item* terminos, *ac ſemper ad primam*, *ſecundam vel tertiam* Figuram, *nec non ad aliquem ex quatuordecim* Modis *refertur*. Fundamentum *generale idem eſt omnibus figuris*, *at ſpeciale inſuper ſibi vindicat prima*, *quæ reliquis perfectior*. *Reliquæ ſyllogiſmorum* regulæ *ex figurarum & modorum exemplis facilè colliguntur*.

168. At ſi ratio particularium enumerationi adjiciatur, probans idem de non enumeratis, quod de enumeratis eſt obſervatum, fitne illud Inductionis ope? *Reſp.* Non fit Inductionis, verùm Syllogiſmi, ab univerſali ad particulare deſcendentis beneficio, qui ut defectum præmiſſarum ad Inductionem neceſſariarum quandoque ſupplet, rationem univerſalem particularibus accommodando: ita viciſſim ab Inductionis concluſione ſæpe fundamentum ſuum accipit: v. g. ſi ſumas concluſionem ſuperioris Inductionis, Omnes Planetæ à Sole lucem mutuantur, & ſubſumas, Saturnus eſt Planeta, atque inde concludas, ergo Saturnus à Sole lucem mutuatur, perfectum habebis Syllogiſmum.

169. Quot ergo & quæ partes ſunt perfecti Syllogiſmi? *Reſp.* Ex dato jam exemplo

patet,

patet, tribus eum conſtare propoſitionibus; quarum prima *Major* propoſitio vel abſolutè propoſitio, ſecunda *Minor* ſive aſſumtio, tertia *Concluſio* ſive complexio appellatur. Non ſecus ac in ſubductione Arithmetica duo ſunt numeri dati, major & minor, ex quibus inquiritur reliquus. Quia autem propoſitio quælibet duobus conſtat terminis, ſubjecto & prædicato q. 124. & quia idem terminus bis ponitur in eodem Syllogiſmo, ut apparet in exemplo dato, hinc tres etiam terminos perfectus habet Syllogiſmus. Qui eſt concluſionis prædicatum ponitur in majore propoſitione (ut, lumen à Sole mutuari) atque inde *Major*; qui eſt concluſionis ſubjectum ponitur in minore propoſitione (ut, Saturnus) atque inde *Minor*; qui ſemel cum majore, ſemel cum minore termino in præmiſſis ponitur, concluſionem autem non ingreditur (ut, Planeta) terminus *Medius*, ſeu argumentum tertium, reſpectu duorum præcedentium, vocatur.

170. Ergone ſemper tres iſtæ propoſitiones ordine perpendendæ, quoties mens apud ſe ratiocinatur? *Reſp.* Non eſt opus, niſi cum conſequentia minus eſt perſpecta ſeu cum mens dubitat, num rectè & legitimè unum ex altero colligat. Tunc enim non Syllogiſmi tantùm partes, remotæ & propinquæ, ſeu *Materia*; ſed etiam *forma* imprimis conſideranda venit.

171.

171. Poſtquam igitur de materia egimus, dicatur in quo conſiſtat forma Syllogiſmi? *Reſp.* In eo conſiſtit, ut medius terminus cum extremis, h. e. majore & minore aptè diſponatur, utque propoſitiones ſecundum quantitatem & qualitatem q. 142. rectè deſcribantur. Prior illa terminorum diſpoſitio *Figura*, poſterior propoſitionum deſcriptio *Modus* Syllogiſmi nuncupatur.

172. Quot ſunt Figuræ Syllogiſmorum? *Reſp.* Tres: *prima*, ubi medium eſt majoris propoſitionis ſubjectum & minoris prædicatum; *ſecunda*, ubi medium eſt utriuſque præmiſſæ prædicatum; *tertia*, ubi medium eſt utriuſque præmiſſæ ſubjectum. Tot nempe modis terminus medius cum extremis diſponi poteſt aptè, non pluribus, nec paucioribus.

173. Quot ſunt Modi Syllogiſmorum? *Reſp.* Quatuordecim, ſequentibus verſiculis incluſi:

Barbara, Celarent primæ, *Darii, Ferioque.*
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco ſecundæ.
Tertia *Darapti ſibi vindicat atque Felapton.*
Adjungens Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

174. Quid ſibi volunt mira iſta vocabula? *Reſp.* Eorum ſingulæ ſyllabæ ſingulis propoſitionibus præfiguntur earumque quantitatem & qualitatem ſua *vocali* indicant. A notat

tat univerſalem affirmantem, E univerſalem negantem, I particularem affirmantem, O particularem negantem, ſecundum rhythmos:

Aſſerit A, negat E, verum generaliter ambo:
Aſſerit I, negat O, ſed particulariter ambo.

175. Sed ut omnia illa melius capiam ac memoriâ teneam, cupio exempla mihi dari figurarum & modorum omnium. *Reſp.* Typum ſequentem oculis luſtra, & habebis quod petis.

PRIMA FIGURA.

BAR *Omnis* numerus *multiplicari poteſt.*
BA. *Omnis millenarius eſt* numerus.
RA *E. omnis millenarius multiplicari poteſt.*

CE *Nullum* indiviſibile *eſt extenſum.*
LA *Omne punctum eſt* indiviſibile.
RENT *Nullum igitur punctum eſt extenſum.*

DA *Omne* rectum *eſt ſimplex.*
RI *Quadam linea eſt* recta.
I *Quadam igitur linea eſt ſimplex.*

FE *Nullum* curvum *eſt ſimplex.*
RI *Quadam linea eſt* curva.
O *Quadam igitur linea non eſt ſimplex.*

SE-

SECUNDA FIGURA.

CE *Nullum infinitum* augeri poteſt.
SA *Omnis numerus* augeri poteſt.
RE *Ergo nullus numerus eſt infinitus.*

CA *Omnis numerus* partes habet finitas.
ME *Nullum infinitum* partes habet finitas.
STRES *Ergo nullum infinitum eſt numerus.*

FE *Nullum centrum* eſt extra figuram.
STI *Quoddam punctum* eſt extra figuram.
NO *Quoddam igitur punctum non eſt centrum.*

BA *Omnis numerus* eſt diviſibilis.
RO *Quoddam multiplicabile non* eſt diviſibile.
CO *Quoddam ig. multiplicabile non eſt numerus.*

TERTIA FIGURA.

DA *Omne* extenſum *ſemper poteſt minui.*
RA *Omne* extenſum *ſemper poteſt augeri.*
PTI *E. aliquid ſemper potens augeri, ſemper poteſt minui.*

FE-

FE *Nullus* numerus *continuò poteſt minui.*
LA *Omnis* numerus *continuò poteſt augeri.*
PTON *E. aliquid continuò potens augeri non poteſt continuò minui.*

DI *Quædam* cifra *valorem auget numeri.*
SA *Omnis* cifra *per ſe eſt invalida.*
MIS *E. quoddam per ſe invalidum auget valorem numeri.*

DA *Quicquid in* notatione dextræ locum tenet, *valorem auget numeri.*
TI *Aliquid* in notatione dextræ locum tenens *eſt cifra.*
SI *Ergo quædam cifra valorem auget numeri.*

BO *Quædam* figura multilatera *non habet bis ternos angulos.*
CAR *Omnis* figura multilatera *dividua eſt in duo triangula.*
DO *E. quoddam dividuum in duo triangula non habet bis ternos angulos.*

FE *Nulla* unitas *eſt diviſibilis.*
RI *Quædam* unitas *eſt multiplicabilis.*
SON *E. quoddam multiplicabile non eſt diviſibile.*

176. Quodnam eſt *fundamentum* quo Syllogiſmus *cujuslibet figuræ nititur? Reſp.* Eſt

Eſt hoc: quæcunque in uno tertio conveniunt, ea inter ſe conveniunt, & quæ in uno tertio non conveniunt; ea nec inter ſe conveniunt. Exem. grat. Hæc duo, multiplicari poſſe & millenarium eſſe, conveniunt uni tertio, nempe numero, ergo quoque inter ſe conveniunt, ita ut affirmare liceat, millenarium poſſe multiplicari. Hæc autem duo, lineam eſſe & ſimplex eſſe, non conveniunt uni tertio, nempe curvo, itaque etiam negamus, ea inter ſe convenire, concludentes, quandam lineam non eſſe ſimplicem.

177. An verò tres figuræ illæ, ſicut eodem nituntur fundamento, ita ſunt æquè omnes perfectæ? *Reſp.* Sive concluſionem, ſive conſequentiam Syllogiſmi ſpectes, *perfectiſſima eſt prima figura.* Nam primò omnia quæſtionum genera, & ſingula quidem ſemel tantùm, in ea concludi poſſunt, affirmantia, negantia, univerſalia, particularia, cùm in ſecunda tantùm negantia, in tertia tantùm particularia inferri valeant, & ſingula horum quidem ſæpius, adeò ut in prima figura neque defectum, neque exceſſum, in ſecunda ac tertia utrumque liceat deprehendere. Deinde vis ac neceſſitas conſequentiæ non modò ex generali fundamento jam dicto, verum etiam ex alio ſpeciali evidentiſſimè in ea comparet.

178. Quodnam eſt ſpeciale *primæ figuræ fun-*

fundamentum? Reſp. Eſt Dictum de Omni & Nullo, utrumque directè oppoſitum Inductionis fundamento q. 163. quemadmodum & ipſe Syllogiſmus directè opponitur Inductioni q. 158. *Dictum de Omni* eſt, quando quicquid universè affirmatur de univerſali, etiam de eo, quod continetur ſub illo univerſali, affirmatur: v. g. de numero generatim affirmatur, quòd poſſit multiplicari: atqui ſub numero continetur millenarius: ergo poſſe multiplicari etiam de millenario affirmatur. *Dictum de Nullo* eſt, quando quicquid universè negatur de univerſali, etiam de eo, quod continetur in illo univerſali, idipſum negatur: v. g. de indiviſibili universè negatur, quòd ſit extenſum: atqui ſub indiviſibili continetur punctum: igitur de puncto quoque negatur, quòd ſit extenſum.

179. Suntne aliæ Syllogiſmorum regulæ obſervandæ? *Reſp.* Quæ inſuper tenendæ ſunt, ex figurarum & modorum prolatis exemplis facili inductione diſcuntur. Nempe ex eorum omnium inſpectione liquet 1. è præmiſſis ſaltem alterutram, & quidem in figura prima & ſecunda majorem, ſemper eſſe debere *univerſalem*. Unde regula: ex meris particularibus nihil ſequitur. 2. Ex præmiſſis alterutram, niſi tales ambæ ſint, eſſe debere *affirmantem*, & quidem in prima figura ac tertia minorem ſemper. Inde canon: ex

meris

meris negativis nihil ſequitur. 3. ſi præmiſſarum altera ſit univerſalis, altera particularis, concluſionem eſſe particularem; ſi altera affirmans, altera negans, concluſionem eſſe negantem. Hinc regula: concluſio ſequitur partem antecedentis *debiliorem* ſeu deteriorem.

CAP. XVII.

Sin imperfectus *fuerit Syllogiſmus, neque enim requiritur ſemper ad figuras & modos compoſitus, poterit eſſe* hypotheticus, deducens ad incommodum, disjunctivus, dilemma, ſorites, *aut* alius cujuſcunque generis.

180. Jam certè non poſſum non probare quod reſpondebatur antea, q. 170. non ſemper in ratiocinatione, qua ad ſuam quiſque mentem informandam utitur, perfectis ſyllogiſmis opus eſſe, quandoquidem figuras iſtas & modos omnes vocabulis illis fictis denotatos percenſere, non ſatis expeditum & facile, ſed moleſta difficultate involutum & grave ſibi eſſe mens mea experitur. Ut igitur liberiùs ſecum diſputet, ac perceptionis potiùs claritate inclinetur ſponte ex q. 13. quàm for-

formulis ejuſmodi illaqueata cogatur ad aſſenſum, quibus argumentandi modis præter Inductionem utetur? *Reſp.* Dummodo in cauſarum inveſtigatione diligenter te exerceas, ut omnia judicia tua ab immotis principiis continuo nexu deducta ſatis firmentur, neque concluſione quicquam complectaris, cujus rationem non habeas certam atque exploratam, ſic ut principalis judicandi regula ſemper animo obverſetur, perinde ferè eſt quocunque modo procedas, quia multiplicem adeo habet argumentatio varietatem, ut non ſit neceſſe certis formulis adſtringi, ſed optio detur menti, delectum inſtituere ſi voluerit.

181. Cùm igitur tam varii præter ſupra memoratos ſint argumentandi modi, recenſe ſaltem aliquos. *Reſp.* Aut *abſolutè*, aut cum *conditione* aliquid inferimus; aut *directè* rationem menti oſtendimus, aut ad *incommodum*, ſi abnuat aſſenſum, eam deducimus: vel *ponimus* verum principium, ex quo accuratè perſpecto argumentamur, vel *ſupponimus* aliud quodcunque ad verum quodammodo accedens, veritatem referens, aut certè ſecundùm veras regulas in progreſſu corrigendum, tentantes, quid inde ſecuturum in ſcientiæ inveſtigatione, ſi quidem admittatur, non ſecus ac Arithmetici faciunt, quando in dividendis numeris quotum inveſtigant. In-

terdum mens *ad res* tantùm converſa ratiocinando progreditur, ſæpe inſuper *ad ſemetipſam reflexa* accuratioris inquiſitionis ergo ſoliloquium quoddam inſtituit, ſe interrogando, ſibi opponendo, ſibi reſpondendo. Aliàs argumentamur *disjungendo* propoſitiones de rebus è diametro ſibi repugnantibus; aliàs catenâ quaſi factâ de rebus arctè cohærentibus propoſitiones plures *conjungendo*.

182. Ut pleniùs erudiar de ſingulis, quæ breviter attigiſti, rogabo deinceps de iis, quæ difficultatis aliquid habere videbuntur, & primò quidem, quis argumentandi modus *conditionalis? Reſp.* Conditionales ſive Hypothetici ſyllogiſmi tales ſunt: ſi omnia quæſtionum genera in prima figura concludi poſſunt, reliquæ duæ figuræ varietati potiùs & ornatui, quàm neceſſitati inſervient. Atqui omnia quæſtionum genera in prima figura concludi poſſunt, q. 177. Ergo, &c. Si DEUS eſt corporeus, poterit dividi in partes. Atqui DEUS non poteſt dividi in partes. Ergo non eſt corporeus. Prior à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis, poſterior à remotione conſequentis ad remotionem antecedentis bene procedit. Ponere antecedens aut conſequens hîc eſt, illud aſſumere ſervata qualitate, hoc eſt, affirmatum affirmare, negatum negare. At removere eſt affirmatum negare, aut negatum affirmare.

183. Quæ-

183. Quænam illa eſt argumentatio, quâ mens deducitur ad incommodum? *Reſp. Deductio ad incommodum* (abſurdum, impoſſibile) eſt, quando concludimus aliquid hoc illóve modo ſe habere, quia ſi aliter judicaverimus, ex conſequenti apertè falſa admittere oporteret. E. G. Si ſtatuere vellem ſtellas eſſe tam parvas quàm apparent, conſequenter admittere deberem, aliquid æquè magnum apparere dum valde remotum eſt, quàm apparet dum eſt propinquum, quod cùm manifeſtè falſum eſſe doceat experientia, judicare convenit, ſtellas non eſſe tam parvas quàm apparent. Frequenter utilis hæc eſt argumentatio in probanda à poſteriori principiorum veritate. Opponitur ei *demonſtratio oſtenſiva*, cujus exempla in figuris & modis ſuperiori capite poſitis habuimus.

184. Quæ forma ejus eſt argumentationis, quæ fit disjunctione plurium propoſitionum ſibi oppoſitarum? *Reſp.* Illa eſt hujuſmodi: mors accidit aut animæ vitio aut corporis. At non animæ vitio accidit. Ergo corporis. Novenarius aut par eſt aut impar. Atqui eſt impar. Ergo non eſt par. Prior tollit unum, & reliquum concludit, poſterior aſſumit unum & reliquum tollit. Vocantur hi *ſyllogiſmi Disjuncti*. Contingit verò interdum, ut propoſitio disjuncta ponatur duorum membrorum (aliquando plurium) quorum

utrumque adjunctum habet incommodum, unde concluſio exiſtit negans, ut in hoc exemplo: ſi judicio de obſcurè & confusè perceptis locus dandus in recto rationis uſu, eam approbationem merebitur vel ob falſitatem, vel ob veritatem ſententiæ, quæ ſic ſtatuitur. Non ob falſitatem, quia ſic præcipitamus nos in errores. Non ob veritatem: nam quod ea tali ſententiæ inſit, id caſu fit, nec ideo culpa caremus, quia contra principem judicii regulam peccamus, naturalem inter perceptionem & judicium ordinem violando. Ergo judicio de obſcurè & confusè perceptis locus in recto rationis uſu non eſt dandus. Vocatur ejuſmodi ſyllogiſmus propria voce *Dilemma.*

185. Ecquænam tandem argumentatio, quæ fit conjunctione plurium propoſitionum ſibi cohærentium? *Reſp.* Illius exemplum hoc eſt: qui fallitur, errat: qui errat, is affirmat aut negat: qui affirmat aut negat, judicat: qui judicat, cogitat: qui cogitat, agit: qui agit, exiſtit: qui exiſtit, eſt vera res. Ergo, qui fallitur, vera res eſt. Adhibetur hæc argumentatio in rebus inter ſe neceſſariò connexis, quales ſunt genera, ſpecies & individua, item principia & quæ à principiis pendent. Appellatur *Sorites*, ac definitur, quòd ſit argumentatio conſtans multis propoſitionibus ita collocatis, ut prædicatum propoſitionis

tionis præcedentis fiat ſubjectum ſequentis, indéque prædicatum ultimum in concluſione tribuatur ſubjecto primo. Quemadmodum autem inter terminos harum propoſitionum nexus indiſſolubilis: ita inter terminos propoſitionum disjunctarum, de quibus quæſt. præcedente, pugna manifeſta requiritur. Confer q. 136.

CAP. XVIII.

Rationes in Sorite coacervatas, imò in alia quavis longiore animi noſtri diſputatione connexas ſimul menti præſentes ſiſtere, ut primas mediis, medias ultimis cohærere appareat, memoriæ *res primò imprimentis, deinde retinentis munus eſt. Hanc format* Logicæ gradus tertius. *Impreſſio tum rerum, tum mei ipſius ratióne habita promovetur. Retentio variis etiam modis juvatur, qui tamen non ſatisfaciunt, niſi* ſcribendo *memoriam ſublevemus, quod fieri debet hac adhibita cautione, ne ſcriptio ſit nutrix negligentiæ.*

186. Verumenimvero tot rationes inter ſe nexas, quas perſpicio in Sorite poſſe eſſe

plurimas, retinere, ne catena illa ſyllogiſtica in mente rumpatur, opus eſſe video memoriæ, & quia recordor ei firmandæ tertium & poſtremum Logicæ gradum ab initio deſtinatum fuiſſe q.16. nunc poſtquam de judicio, tum axiomatico tum dianoëtico, expoliendo ſatis intellexi, de memoria agendum eſſe opinor. *Reſp.* Probè illud animadvertis, neque enim ſolum in Soritis prolixioribus pertexendis memoria deſideratur, verum etiam in omni propemodum alia demonſtratione abſolvenda, propterea quod rationum catenatarum ſeries in eo creberrimè ſit longiuſcula. Quin imò cum *ſapientia* propriè illa tantum æſtimetur, quæ principiorum intelligentiam & ſcientiam concluſionum unà complectitur, ea autem humanæ mentis ſit imbecillitas, ut principiorum quandoque oblita ſolius concluſionis meminerit, memoria vegeta atque exercitata ultimam animo apud ſemetipſum meditanti ac ratiocinanti perfectionem conferre poſſe videtur.

187. Quænam igitur ſunt memoriæ, ingenii dotis adeo neceſſariæ, ſubſidia? *Reſp.* *Generale* eſt, ut nihil memoriæ mandare tentes niſi quod clarè priùs ac diſtinctè perceperis rectéque dijudicaveris, ordinem ſtudiosè ſervans, quem Logicæ hujus partitio tractatioque rationi congruens docet. Hac enim ſola ratione res eas, quarum meminiſſe cupis, for-

fortiter tibi *imprimere* valebis, quod ipſum primum eſt memoriæ officium. Atque hinc uſu evenit, ut perceptionem judiciumque, ſi utrumque rectum fuerit, non invita ſequatur memoria, nec multa ad eam rem nova præcepta Logica requirantur. Quid enim Medicorum ars poſſit in juvanda & corrigenda memoria, non eſt hujus loci diſquirere.

188. Sed tamen *ſpecialiter* audire velim, quænam illa ſint quæ ſecundùm præcepta Logica impreſſionem imprimis juvant. *Reſp.* Si res claræ ſint & perſpicuæ, ſi ordinatæ & connexæ, ſi cauſarum, effectorum, loci, temporis & ſimilibus circumſtantiis bene veſtitæ, facilè imprimi & mandari memoriæ poſſunt. E.g. hujus Logicæ præcepta non difficulter memoriæ mandabis, ſi dilucidè intellectui tuo fuerint expoſita, ſi quo ordine Logica tota hactenus tradita, quæ ſingulorum capitum, imò quæſtionum fuerit cohærentia, quomodo alia ex alia quæſtione aut reſponſione nata, qua occaſione ſingulæ prolatæ fuerint, ac denique rationes & cauſas rerum Logicarum ita propoſitarum, omniumque finē & uſum, & alia id genus probè excuſſeris.

189. Ita quidem conſideratione *rerum* adjuvari poſſe impreſſionem intelligo, quomodo verò *ipſe* præterea eam promovebo? *Reſp.* Curabis ut mens ſit vacua & quieta, non cogitationibus multis diſtricta, aut variis

conturbata, ut rei cognoſcendæ, ceu novæ & jucundæ deſiderio, amore, admiratione captus, alióve fortiori affectu ſtimulatus accedas, ut intellectu & quibuſcunque potes ſenſibus ad rem apprehendendam utaris, ut eidem immoreris cognoſcendæ, & recognoſcendæ, téque ipſum ſubinde tentes & examines, tacitè quæ didiciſti repetendo, atque ita, num id quod imprimere cœpiſti hæreat, periculum faciendo.

190. Quomodo verò ea, quæ dictis modis impreſſero, memoriâ deinceps *retinebo*, quod alterum eſt memoriæ officium: ſæpe enim contingit, ut facile quidem aliquid imprimamus, ſed minùs diu conſervemus? *Reſp.* 1. Si crebrò rem eandem repetas, ad eam attendendo. 2. Si id, quod minùs notum & intellectum eſt, ad aliud magis nòtum & intellectum reducas: v. g. ſi vocem difficiliorem memoria nequeas retinere, expende, num à voce aliqua notiore originem ducat, an ab ipſa vox aliqua notior derivetur, an aliam quamcunque cum ea ſimilitudinem habeat, an ei opponatur ſignificatione, literis & ſyllabis interim conveniens, &c. 3. Si multa in ſummas, compoſita ad ſimplicia, ſpecialia ad generalia, irregularia ad regulas revocare coneris: quemadmodum in hac Logica longioribus quæſtionum tractationibus breves titulos præfiximus, atque omnia, fuſiùs in illis ſpe-

ſpecialiúſque cognoſcenda, ad hæc tria ſimplicia & generalia, perceptionem, judicium, memoriam, retulimus, adeóque irregulares aliàs mentis humanæ cogitationes certis regulis caſtigavimus, arte conſtitutis. 4. Si ligatæ orationis metro adſtringas, quod præcipuè memoria tenere deſideras, cujus rei exemplum ſupra habuimus, ubi de Syllogiſmorum Modis agebatur.

191. Sed an rebus quantumvis multis memoriâ retinendis hæc ſufficere poſſunt? *Reſp.* Non poſſunt, atque ideo *ſcriptio* id, quòd memoriæ deeſt, ſupplere debet. Etenim non modò longè plurima ſunt, quæ meliùs in libris quàm in memoria aſſervantur, qualia verbi cauſa ſunt obſervationes Aſtronomicæ, tabulæ Geographicæ, linguæ vulgo nunc incognitæ, &c. verùm etiam ad id prodeſt ſcriptio, quòd quò paucioribus memoriam implemus, eò aptius ingenium ad ſcientiam augendam retinemus, quod aliàs nimia rerum ſimul memoriæ impreſſarum copia obruitur & confunditur. Et quàm neceſſaria ſit ſcriptio, etiam ad propriæ mentis operationes adjuvandas, ſatis apparet ex Arithmetica: etſi enim numeratio omnis mente peragatur, plures tamen numeri addi, ſubduci, multiplicari, dividi vix unquam poſſunt, niſi ſuis characteribus fuerint deſcripti ac notati.

192. Eſtne igitur ſcriptio ſupplementum

duntaxat memoriæ deficientis aut feriantis? *Reſp.* Etiam eſt adminiculum memoriæ proficientis, ſeſéque exercentis. Scribendo quippe aſſequimur, ut diutiuſcule uni rei immoremur, ejuſque jam conſignatæ identidem legendæ ac relegendæ occaſionem habeamus. Sed cùm pleriſque ferè accidat, ut libris confiſi minùs memoriæ ſtudeant, nos è contrario ſemper cavebimus, ne præſidio ſcriptionis diligentiam in perdiſcendo atque in rebus quàm maxime neceſſariis imprimendis ac retinendis memoriam remittamus.

CAP. XIX.

E*a occaſione de* Diligentia, *ceu* communi *perceptionis, judicii memoriæque* adminiculo, *agitur. Quibus modis ad eam inſtigandus animus oſtenditur.* Ejus *partes, officia, fructus deſcribuntur.* T*andem* concluditur, *omnia hujus* L*ogicæ præcepta eò ſolùm ſpectare, ut cogitationes noſtræ in cognoſcenda atque eruenda proprio Marte rerum veritate dirigantur.*

193. Quoniam de diligentia mentionem injicis, eaque in ratione excolenda ſummopere neceſſaria videtur, velim corollarii loco mihi indicari, *quo pacto ad eam incitare* valeam

leam animum, nimis plerumque negligentem, & laboris in rebus attendendis memoriæque mandandis impatientem. *Reſp.* 1. Firmo diſcendi propoſito animum munies, & abs te ipſo pœnas exiges, niſi votum, quo te ad laborandum adſtrinxiſti, impleveris. 2. Nec humiles aut mediocres modò, ſed excellentiſſimos ſtudiorum tibi fines propones, excellentiores etiam, quàm fortaſſis unquam conſequi poſſis, uti ad ſummum animo contendens, ibi ubi oportet non ſine fructu & laude tua conſiſtas. Nempe, ſi ad ſupremum eruditionis culmen conſcendere ſit negatum, ad gradum ſaltem vulgari ſublimiorem iſta ratione proveheris. 3. Magno quoque ad diligentiam incitamento erit, ſi prudentem tibi eligas inſpectorem, quem reverearis, & cui rationem ſtudiorum ſubinde reddere tenearis. 4. Eriges animum aliorum exemplo, qui ſtudio atque induſtria ad ſumma pervenerunt, imbecillioris ingenii defectus intentiore diligentia penſantes. 5. Æquales tuos honeſta æmulatione antecellere laborabis, nec parem feres, multò minùs ſuperiorem, aut ſi non poſſis palmam aliis palàm præripere, ſaltem dubiam facere anniteris. 6. A voluptatibus corporeis modum excedentibus abſtinebis, temperanter & rationi congruenter vivendo. 7. Scientiarum dignitatem contemplando, ſtudia non velut opificium ad

vitam tuendam, nec propter alias ſordidas cauſas, ſed propter ipſorum ſtudiorum præſtantiam amanda cogitabis, nihilque eſſe pulcrius, quàm rerum optimarum, quæ cognitæ animũ beant, deſiderio & cupiditate flagrare.

194. At quia non ſufficit animum ad diligentiam compoſuiſſe, niſi ſciatur *in quo vera diligentia conſiſtat*, illud etiam paucis mihi definiri peto. *Reſp.* 1. Explorata ingenii habilitate & libratis viribus ejus, cum ſtudii cujuſque pondere & pretio collatis, unum aliquem præcipuum tibi ſcopum præfiges, ad quem reliqua omnia ſtudia dirigas, & cui tandem dare te totum & conſecrare velis. 2. Varia ad eum finem ducentia ſic diſpones, ne ſimul illa concurrant confuſionem pariendo, ſed ita ut juſto ordine invicem ſe excipiant. 3. Bene incipias, poſitis ſolidis fundamentis, ne, ſi lubricis ſuperſtruere incerto eventu aggrediaris, pòſt de fundamentis ſolidandis ſerò tibi ſit cogitandum. 4. In bene cœpto perſiſtas, donec fuerit abſolutum, ne tibi diutiùs interrumpenti, poſtque intervallum longius revertenti denuò ab initio ſit inchoandum. Etiam poſt minùs longum intervallum ad eadem rediens brevem antecedentium repetitionem inſtitues. 5. Quod ſemel ad umbilicum eſt perductum non planè abjicies, ſed interdum, quatenus id ſine præſentis ſtudii detrimento fieri poteſt, reſumes,

hoc

hoc tanquam ἔργον ſeu opus princeps, illud ut πάρεργον ſeu acceſſorium tractando. 6. Otium tuum religioſè diſpenſando nullam horam ſtudiis impendas, quæ non ſuum probet opus, nullum diem ſine linea, nullum tempus idoneum, nullam diſcendi occaſionem prætermittas. 7. Temetipſum explorabis, ad calculos accuratè revocans, quid die, hebdomadâ, menſe, anno elapſo profeceris, in quo defeceris à propoſito, in quo ſuperaveris votum, conferendo ſcientiam jam acquiſitam cum ignorantia præcedente, initium ſtudii cum termino præſente, ſpem conceptam cum eventu, jam cognita & ratione collecta ab iis, quæ etiamnum ſunt ignota & reliqua, ut minorem numerum à majori ſolent Arithmetici, ſubducendo.

195. Quem vero ex tali ac tanta diligentia *fructum* reportabo? *Reſp.* Hujuſmodi diligentia atque aſſiduitate non perceptio ſolùm & judicium, ſed memoria quoque adjuvatur plurimùm. Idpropter in calce Logicæ has de diligentia regulas præſcribere voluimus, tum quod ea commune ſit perceptionis, judicii ac memoriæ adminiculum, ad ſuperiores Logicæ partes omnes ſe extendens, tum quòd recordandi facultatem, cujus præſidia ac ſtabilimenta poſtremo loco quæſiveramus, potiſſimùm promoveat.

196. Cùm igitur ad finem *hujus Logicæ*

ſic pervenerim, in quem *uſum* omnia ejus præcepta convertam? *Reſp.* Omnia eò diriguntur, ut cogitationes tuas rectè formare aſſueſcas, ſive ut ratione tua rectè utaris apud temetipſum. Nondum enim id agitur, ut aliorum cogitationes examinando aliquid addiſcas, neque ut, interpretando tuas, alios quid doceas: quamvis equidem ad ejuſmodi interpretationem proximè accedendum eſſe ordo à nobis inſtitutus nunc exigere videatur. Poſtquam enim res cognitu dignas clarè ac diſtinctè percipere, rectè de iis judicare, illasque memoriâ retinere docuit Logica, & ſic animi noſtri infirmitates, rerum cognitionem impedientes, tollendi methodum præſcripſit, quid reſtat, quàm ut percepta, judicata ac retenta perſpicuè cum aliis communicandi rationem aperiat? Ut enim priores illæ ſunt animi imbecillitates ratione habita rerum cognoſcendarum: ita contemplatione aliorum hominum magna hominis imperfectio eſt, non poſſe clarè ſatis eloqui quæ mente concepit, ſeu non habere facultatem cogitationes ſuas, quo decet modo, interpretandi, præſertim ſi ad ejuſmodi munus ſit vocatus, in quo alii voce aut ſcripto docendi ſunt. Igitur ad Hermeneuticam primo quoque tempore accedamus, ut ea, quæ in hac Logicæ parte conſultò fuerunt prætermiſſa, ibi videamus, cùm jam parata via ſit.

LOGICÆ

PARS SECUNDA.

Docens, quomodo quis ſuas cogitationes rationi congruenter aliis hominibus poſſit explicare.

CAP. I.

A priore Logicæ geneticæ *parte, qua noſtras formamus cogitationes, tranſitur ad poſteriorem ſeu* Hermeneuticam, *qua cogitationes interpretari docet. Hujus cum illa* connexio, dignitas, utilitas *multiplex oſtenditur. Tum virtutes docentis enarrantur, quarum prima eſt,* res tradendas *cum traditionis* fine *perpendere; ſecunda, cùm ſui ipſius, tum maximè* auditorum, *ætatem, ingenia, profectus intueri.*

1. QUi rectè cogitationes ſuas formavit, rebus quàm plurimis bene perceptis, judicatis memoriaque retentis, eſtne illi meritò, tanquam re bene geſta

geſta & conſummata, quieſcendum? *Reſp.* Ulteriùs tendere, neque ſcientiam acquiſitam in ſe veluti ſepelire, verùm ad alios propagare debet. Quippe cùm homo hominis cauſa factus ſit, neque poſſit melius alteri beneficium præſtare, quàm ſi eum ab errore liberatum ad cognitionem veritatis adducat, nihil præſtantius eſſe poteſt, nil optabilius, quàm aliorum mentes illuminando Patrem luminum quodammodo imitari. Quin etiam qui communicat cum aliis ea quæ cognovit, ſcientiam in animo ſuo firmiorem ac ſolidiorem efficit. Nempe dum alios inſtituit, ipſe rebus diutiùs immorando, magiſque ad eas attendendo, perceptionem ſuam clariorem diſtinctioremque reddit, memoriam roborat. Præterea ſemper accuratiori ſtudio in eo elaborando verſamur, quod cum pluribus communicatum iri novimus, & in quo ſi erraverimus, multorum reprehenſionem incurrimus, quàm quod privato duntaxat uſui, ubi nullum reprehenſionis periculum, deſtinamus. Ac denique communicatione illa, ſententiarum noſtrarum certitudinem experimur, ſi ab aliis eruditis examinatæ nulla in parte falſæ reperiantur, aut certè errorum admonemur, ut eos, meliora docti, emendemus & cum veritate monſtrata commutemus.

2. Quoniam igitur tanta ineſt in communica-

nicatione ſeu traditione rerum cognitarum præſtantia, tanta utilitas, ut ea rectè procedat, quæ *ſummatim* ſunt ſpectanda? *Reſp.* Expendere oportet primò, quid ſit tradendum & quo fine, deinde, quis traditurus, quis accepturus; denique, quomodo quid tradere conveniat.

3. Ad primum ut accedamus, quæro, *quid & quale* ſit illud, quod tradendum? *Reſp.* Si quæris, quid ſit, reſpondeo eſſe vel proximè cogitationes noſtras, vel verba noſtra aut aliena, quæ cogitationum & rerum animo conceptarum ſigna ſunt. Si quale ſit interrogas, dico eſſe debere tradenti notum, illi cui traditur ignotum, quod illi dicere, huic audire conveniat, utrique cognitu neceſſarium aut ſaltem utile.

4. Quis *finis traditionis? Reſp.* Vel ideo aliquid tradimus, ut intelligatur tantùm, veluti cum adverſarii noſtri alteriuſve ſententiam ſimpliciter interpretamur, aut hiſtoriam, cujus fides penes authorem, recenſemus; vel ut examinetur inſuper, verumne ſit an falſum, ut cùm quæſtionem diſceptandam in medium proferimus; vel ut perſuadeatur verum aut falſum eſſe, ut fit in docendis ſcientiis, & in omni ſermonis genere, quo quid probamus aut refutamus, ſive id fiat exquiſitè, ſive populariter. Et hinc oritur diviſio traditionis in Accuratam & Popularem, item

item in Didacticam, quæ docet & confirmat veritatem, atque Elencticam, quæ dedocet ac refutat falſitatem.

5. Eſtne igitur unius Hermeneuticæ *tradere* ſimul & *aſſerere* inventam veritatem? *Reſp.* Eſt ſanè, non enim verè traditur ulla cognitio, niſi accipiatur ac teneatur ab auditore cum animi fiducia ac perſuaſione. At ſic non tenebitur, neque verè accipietur, antequam ejus veritas in conſpectu illius adverſus oppugnantes defenſa fuerit ac vindicata. Et quemadmodum ille, qui Logices ope latentes veritates eruit, non priùs concluſiones ipſas mentis aſſenſu amplectitur, quàm rationes in utramque partem judicii lance trutinaverit: ita qui tradit veritates erutas Hermeneuticæ hujus adminiculo, tum ipſas promet ſententias, tum rationes ſuas cum adverſariorum exceptionibus contendere faciet, ſi uſus erit.

6. Quænam requiruntur in *tradente*, ut à ſe hauſtam notitiam ad aliorum mentes ritè transfundat? *Reſp.* Primò antequam ad tradendum aliquid, imprimis in accuratioribus diſciplinis, ſe accingat, maturam exſpectabit *ætatem*, quæ aut ſcientiam, aut certè authoritatem & prudentiam, ad ſcientiarum propagationem neceſſarias virtutes, ei majores conciliat.

7. Quænam ſecunda eſt docentis virtus? *Reſp.*

Reſp. Ingenio præditus ſit, niſi velocis admodum ingenii auditores habeat, non nimis excellente, aut ſaltem ad captum diſcentis demittere ſe non recuſante. Quò quis enim eſt ſolertior & ingenioſior, hôc docet iracundius & laborioſiùs, quod enim ipſe celeriter arripuit, tardè arripi videns diſcruciatur. Nempe doctiſſimus quiſque non etiam doctor bonus, quia paucis datum eſt imitari Deum, qui ſapientiſſimus cùm ſit, ad imperitæ tamen plebis captum ſe novit accommodare. Præter iſtam ingenii dexteritatem & lenitatem requiritur in docente induſtria ac diligentia, qua ita ſe oſtendat auditoris ſtudioſum, ut nullâ invidiâ tactus illud perpetuo meditetur: omne bonum, quod aiunt, eſſe ſui communicativum.

8. Quid tertio loco docenti obſervandum? *Reſp.* Ut *profectus* non ſolùm in veri cognitione fecerit ſufficientes, ſed etiam in ſermonis, quo traditurus eſt ſcientiam, notitia, ut animi ſenſus perſpicuè aliorum notitiæ inſinuare valeat. Et de ſermonis quidem perſpicuitate poſtea agetur. De profectu in rerum tradendarum ſcientia hoc loco illud obſervandum, quòd, cum propriarum cogitationum rectrix Logica ordine antecedat Hermeneuticam, nemo feſtinare debeat ad ſcientiam in aliorum animos tranſplantandam, niſi in ſuo radices eam egiſſe ac maturuiſſe ſen-

ſenſerit. Nec modò ſollicitum eſſe decet priùs de invenienda, quàm de tradenda veritate, verùm etiam ſcrutandi non reperta, quàm jactandi reperta, cuique bonæ mentis ſtudioſo cura ſemper erit potior.

9. Hæc de virtutibus tradentis, quid autem in eo, *cui quid traditur*, reſpiciendum? *Reſp.* Illius etiam *ætas* conſideranda eſt in primis, ne maturiùs debito, neque ſeriùs ad illa quæ tradenda ſunt admittatur. Et juventus quidem ductilis ac docilis eſt, ſenem verò aliis opinionibus totâ vitâ imbutum tam difficulter meliora docueris, quàm annoſam arborem tranſplantaveris, aut, ſi tortuoſa excreverit, correxeris. Dediſcit animus ſerò, quod didicit diu.

10. Quæ ſecunda diſcentis virtus? *Reſp.* Ut *ingenio* valeat, animum habeat excitatum & cupiditate doctrinæ ſingulari teneatur, aut ſaltem culturæ, ut cum Poëta loquar, patientem præbeat aurem: tùm ut aliis diſcendi inſtrumentis & virtutibus inſtructus ſit, ut ſenſu, manu, lingua &c. pro rei diſcendæ ratione & modo tradendi, quatenus hic aut viva voce aut ſcripto perficitur.

11. Quid in diſcente tertio loco requiritur? *Reſp.* Ut artibus illis, quæ ad ulteriora diſcenda ſunt neceſſariæ, ſit imbutus ac præparatus. In omnibus enim diſciplinis quędam ſunt præcognoſcenda, in aliis plura, in

aliis

aliis pauciora, cùm nullum ignotum, niſi beneficio illius, quod notum eſt, addiſcatur.

12. Atque hæc quidem in unoquoque diſcente conſideranda cerno, quid autem ſi *plures* ſint ſimul informandi? *Reſp.* Hoc propter docendi compendium atque æmulationem in diſcendo quàm maximè eſt optabile, dummodò diſpiciatur, ut haberi queant *æquales*, ſi non ætate, at certè ingenio, ſi non ingenio, certè profectu ac diligentiâ. Nam æqualitas etiam fuerit, ſi quantum alter ingenio ſuperat, tantum alter diligentiâ compenſet.

13. Cùm ſecundùm ea, quæ hactenus diximus, & rerum tradendarum, & ſui, & auditoris rationem habere debeat, qui ſibi cognita aliis exponere conatur, quid in Hermeneutica reſpiciendum potiſſimùm? *Reſp.* Omnis traditionis moderatrix eſſe debet *ratio auditoris*, ſic ut non quantum ipſe tenes, nec quantum eſt in re, ſed quantum auditor capere poteſt communices, non oſtentandi ingenii cauſa multa & ſublimia quibuſvis paſſim; ſed utilia duntaxat & ſalutaria, tempori, loco, perſonis accommodata proponas, maximam doctoris virtutem ratus, diverſa ingenia tractandi prudentiam.

CAP. II.

Tertium eſt, modum tradendi *rectum tenere, id eſt, plena & rebus conformi brevitate facilique jucunditate auditorem ſic imbuere, ut veras* opiniones non velut alieni ingenii fetus adoptare, ſed ut ſuos proprio animo concipere atque eniti *videatur. Hæc generalis de modo tradendi obſervatio. Speciatim ejus differentiæ variæ. Nam traditio alia ſit* voce viva, *alia* ſcripto, *ſuntque & illi præ hac, & huic præ illa ſuæ prærogativæ. Deinde alia eſt* didactica *pro ignaris & magis docilibus, alia* elenctica *pro errantibus vehementiuſque adverſantibus, quarum illa potior eſt* & *ſapientiæ doctori honorificentior. Traditio inſuper alia* acroamatica *pro aſſiduis auditoribus, alia* exoterica *pro turba promiſcua. Hæ pro ingeniorum varietate jam ſejungi, jam conjungi debent. Interim acroamatica præſtantior, cujus virtus eſt*, inventionis

ſcien-

ſcientiæ modum ſimul cum ipſa docere.

14. Quoniam igitur in eo maximè laborandum, ut captui auditoris omnia attemperentur, quid generatim illius præcipuè intuitu de *tradendi modo* obſervandum? *Reſp.* Generalia de modo cognoſcendi præcepta ex præcedentis Logicæ capite ſecundo huc ſunt referenda. Requirit enim tradendi methodus brevitatem & facilitatem, plenitudinem inſuper rebus tradendis conformem. Requirit jucunditatem, ut non magis defatigatum *ſe ſentiat* auditor iis, quæ tradita fuere, quàm accenſum ad reliqua cognoſcenda. Itaque docens orationem, lectionem, diſputationem quamcunque ſic terminabit, ne ad faſtidium uſque ſatiati diſcedant auditores, ſed plura continuò expetant atque exſpectent. Adhæc *ſummum Hermeneuticæ artificium* eſt, diſcentem ad Logicæ primam partem, ſive ad modum ex ſemetipſo diſcendi revocare, ut ſua perceptione cuncta explorando, ſua ſponte perceptis aſſenſum prębendo non tam ab alio accipere ſcientiam, quàm proprio labore invenire videatur. Et hac etiam de cauſa fidelis præceptor operam navabit, ut omnia ſponte quaſi fluant, ne quid affectatum, ne qúid coactum appareat, quo ſenſu illud recipimus: artis eſt celare artem.

15. Ve-

15. Verùm ut ad ſpecialiora procedamus, inquirendum eſt, quotuplex ſit tradendi modus, & quis ad ſcientiæ propagationem utilior? *Reſp. Variis* quidem modis interpretari quis poteſt aliis cogitationes ſuas, geſtibus, nutibus, factis, verbis, & ſæpe conducit pluribus ſimul uti, nimirum, ut geſtus verba juvent, nec verbis modò, ſed etiam rebus & factis ſcitu neceſſaria doceamus: attamen communiſſimus & optimus tradendi modus eſt, qui fit *externo ſermone:* is enim convenientiſſimus eſt ſermonis intus concepti cogitationumque interpres: atque ita *triplex traditionis diviſio* præcedenti capite notari potuit, nempe primò, quòd vel viva voce fiat, vel ſcripta; deinde, quod alia didactica, alia elenctica; denique, alia acroamatica, alia exoterica, de quibus omnibus ad ingenium & captum auditoris accommodandis quærere deinceps oportebit.

16. Quæ differentia inter traditionem, quæ fit *viva voce*, & eam, quæ *ſcripto? Reſp.* Illius uſus eſt ad præſentes & viventes, hujus ad abſentes & poſteros, cumque ſic innumeri fermè ſint, ad quos ſcripta perveniunt, pauci verò, ad quos vox viva penetrat, & illa diutiſſimè perennare poſſint, hæc autem citò tranſeat, manifeſtum evadit, plus in ſcriptis expoliendis operæ ponendum, quàm in iis expendendis, quæ viva voce traduntur.

17. Eſt-

17. Eſtne igitur ſcriptura vivæ voci ſemper anteferenda? *Reſp.* Quamvis ad plura loca, tempora & perſonas illa ſe extendat, ſunt tamen & huic ſuæ prærogativæ. Certè enim vox viva viventis & præſentis magis afficit ac movet auditorem, quàm ſcriptura abſentis aut mortui lectorem, unde etiam muta ac mortua hæc interdum dicitur. Et quemadmodum ſcripturam & picturam requirunt demonſtrationes Opticæ & Geometricæ, item Orthographia & ſimilia: ita multa ſunt, quæ vivâ voce commodiùs quàm ſcriptâ traduntur. Talis eſt recta linguarum pronuntiatio, quæ aurium judicium & oris conformationem certam deſiderat. Sic initia Matheſeos, ut Arithmeticæ, Geometriæ, niſi vivo præeunte magiſtro, vix puer capiet. Nec ſine gravi cauſa collegia fundata, ſcholæque & Academiæ inſtitutæ ſunt, in quibus viva voce profundiùs inſtillatur atque inculcatur ſcientia, negligentia meliùs excutitur, difficultates citiùs ſuperantur, quàm ſolitaria plurium librorum lectione, qua domi quidam contabeſcunt. Optimum verò eſt, ut ſcriptioni breviori fuſior addatur oris explicatio, ut illa memoriæ conſulat, hæc perceptionem juvet, utraque collata judicium acuat.

18. Quæ differentia inter traditionem *Didacticam* & *Elencticam*? *Reſp.* Didactica

 igna-

ignaros docet rerum veritatem, Elenctica dedocet errantes opinionum falſitatem. Si ergo mentem liberam ac veluti tabulam raſam ſeu chartam puram, vel correctam ſaltem priori diſciplinâ afferat auditor, inſtitutio ejus erit didactica; at ſi inſcriptam habeat falſis opinionibus & præjudiciis obſeſſam, didacticam præcedet elenctica. Et hæc imprimis contra protervos adverſarios, qui non niſi elenchis ac pudore ſuffuſo repelli ſe patiuntur, aſſumenda, ut ſedatioris didacticæ incolumitatem, ab eorum importunitate liberatam, ſartam tectam conſervemus. Neque poterimus in ejuſmodi hominum animis exſtruere ſcientiæ domum, niſi erectam ibi inſcientiæ & erroris antè diruamus. Et quia in errantibus erudiendis geminatum onus doctori incumbit, & quidem dedocendi gravius ac prius quàm docendi, ob duplicatam in eluendis, quæ ſemel inſederint, vitiis difficultatem, ideo religiosè cavebunt juventutis moderatores, ne in mentes teneras falſa aut dubia ingerantur, aut ſi ingeſta fuerint, vel naturæ ipſius ad lapſum pronæ depravatione, vel nutricum, ancillarum aut matercularum nugacium inſtillatione, ſimul cum rationis uſu ſe exſerente, nullâ interpoſitâ morâ, egerantur.

19. Vtrum verò traditionis genus tradenti magis conveniens ac decorum cenſes? *Reſp.*

Reſp. Didacticum ſemper magis commendatum erit, quia ſicut accenſa luce ſponte ſua tenebræ evaneſcunt: ita clarè monſtrata veritate errores per ſe mox facilè ceſſant. Neque per ruinam & cladem falſitatum erui verum, ſed potiùs hoc eruto iſtas ultrò agnitum atque exploſum iri credendum eſt. Proinde laus eſt ſapientiæ doctoris non minima, *falſa non contentionibus*, *ſed vero admoto refutâſſe.* Porrò & majorem affert dignitatem, & majoris artis eſt, defendere quàm accuſare, ædificare quàm deſtruere. Adhæc Didactica ſunt eſſentialia ſcientiæ, & neceſſaria quibuſvis eam expetentibus: Elenctica accidentalia & neceſſaria ſolùm aliquibus. Illorum ratio, numerus, ordo faciliùs iniri poteſt, horum difficiliùs, cùm veritas ſimplex ſit & uniformis, perpetuoque ſibi ſimilis, errorum verò creſcentium ac decreſcentium, jam plus, jam minùs quàm in re eſt dicentium, figuræ ſint innumeræ.

20. Quæ differentia inter Acroamaticum & Exotericum tradendi modum? *Reſp.* Ille rerum penetralia reſolvens ad exquiſitam & ſolidam earum cognitionem aſſiduè auſcultantes promovet docendo, unde *Analyticus*, *Acroamaticus*, *Didaſcalicus* appellatur. Hic ſecundùm opiniones hominum probabiliter diſſerendo qualemcunque rerum notitiam adfert, etiam parum attentis & auditoria non

frequentantibus, unde *Dialecticus*, *Popularis*, *Exotericus* dicitur. Priore utitur cujuſque diſciplinæ Doctor & Profeſſor genuinis auditoribus ſapientiæ ſtudio ritè initiatis, artis filiis ac diſcipulis, excluſo vulgo profano, lampada tradens. Poſteriore utitur Dialecticus, Orator, Poëta, Diſputator populum & promiſcuam turbam admittens in congreſſibus, orationibus, poëmatis, diſputationibus ſcholaſticis. Et quemadmodum ille locum ſolummodo invenit in contemplatione veritatis: ita hic potiſſimùm obtinet in uſu vitæ, ubi major pars eorum, quibuſcum agendum, imperitorum eſt, apud quos exquiſitæ rationes ſæpe parūm valent, neque etiam peritis, ut in eas quod ſatis inquirant, ſemper otium concedunt præcipites agendi occaſiones.

21. At nunquid propter ingeniorum atque auditorum ſæpe concurrentium diverſitatem unus explicandi modus cum alio oppoſito commutandus aut permiſcendus interdum, ut captui uniuſcujuſque accommodetur interpretatio? *Reſp.* Omnino ſic fieri par eſt, prout enim auditor alius atque alius, ita modus tradendi alius erit. Et in commixtione quidem didaſcalicæ dialecticæque tractationis (nam de didactica & elenctica in capite de Ordine commodiùs agetur) *Dialectica præcedunt*, quoties res tractanda occurrit

rit difficilior, magnuſque de ea contendentium eſt numerus: *ſequuntur* autem, quoties res cognitu facilior minuſque controverſa proponitur. Dialectica præcedunt, ut mens auditoris, difficultate rei percepta, ad inquiſitionem attentam præparetur, & ab imperfectiori veriſimilium, ad perfectiorem veri notitiam gradatim ducatur: ſequuntur verò, ut ex natura rei ſubtiliùs expoſita illuſtrentur quodammodo, dum communi hominum judicio comprobari intelliguntur. Exemplum præ cæteris evidens habes Log. I. 124.

22. Cùm verò acroamaticus tradendi modus ſit præcipuus, quemadmodum haut difficulter ex modò dictis intelligitur, quid generatim & præcipuè in eo mihi obſervandum? *Reſp.* Id ages unicè, ut probè intelligaris, auditoreſque non invitos in eoſdem tecum ſenſus & cogitationes leniter inclines: Hoc verò obtinebis, ſi ita cognitam veritatem communices, ut abs te fuit inventa, & quibus argumentis tu perſuaſus es, etiam alios coneris perſuadere. Vt igitur ſcientiam traditione tua acceptam diſcipuli æquè ſuam reddant, ac ſi ipſi eam inveniſſent, *artificium inventionis detegendo* narrabis, qua methodo ad hoc illudve cognoſcendum perductus fueris, quo pacto te dubiis exſolveris, difficultatum tricis extricaveris, ab errorum anfra-

ctibus in viam rectam ac regiam delatus; quibus argumentis animum confirmaveris. Nam ſi per varias ambages in præparando ingenio antea circumactus fueris, ad ſcopulos quandoque alliſeris, eos notâſſe proderit auditori, eoque magis gaudebit, quòd induſtriâ tuâ factum ſit, ne ad eoſdem impegerit. Sin rectius poſtea iter tenuiſti, ex Logicæ ſuperioris præſcripto, non eſt dubium, quin alii ſit profuturum, quod profuit tibi. Itaque etiam ſicut initio animum tuum, ad percipiendum aliquid ſe applicantem, antequam judicaret, ad attentionem compoſuiſti: ita oportet animum auditoris, à judicando, donec perceperit, abſtinentem, primò attentum reddere.

CAP. III.

Ad eo modo tradita percipienda auditori, etiam ſpeciali de cauſa, neceſſaria eſt Attentio, *quam & doctor parat, & res docenda, & ipſe etiam auditor, qui ea quæ docentur ſuo judicio* examinare, *de iis rogare, viciſſimque à docente examinari atque interrogari debet modis appoſitis.*

23. Quæ *neceſſitas* attentionis in alio paran-

randæ ? *Reſp.* Præter alibi de attentionis in nobis excitandæ neceſſitate dicta, illud præcipuè hoc loco notandum eſt, quod multa ſint v. g. quæ ad mentem noſtram ejuſque actiones & conceptus, voluntatis item libertatem &c. ſpectant, quæ non poſſunt oſcitantibus obtrudi, nec rationibus ſatis perſuaderi à doctore quantumvis induſtrio, cùm ab auditoris tantùm cogitatione pendeant, & in ipſa mentis conſcientia ſeu teſtimonio conſiſtant. Vt liceat Hippocratis illud huc trahere: non ſatis eſt medicum ſuum feciſſe officium, niſi ſuum quoque ægrotus &c.

24. Quæ ratio eſt attentum reddendi auditorem ? *Reſp.* Attentio ut *concilietur*, quædam notanda ſunt ratione docentis, alia ratione *ipſius* rei docendæ, alia ratione auditoris, qui docetur.

25. Quæ præſtanda ſunt doctori, ut attentionem ſibi conciliet ? *Reſp.* Autoritatem ſibi talem, virtutisque & eruditionis laudem vita doctrinaque acquirat, ut offendere eum auditor religioni ſibi ducat; oculos habeat auditoribus obverſos, ut adſpectari ſe ſentiant; indeſinenter præeat, & omnes quaſi manu ducat, ut eſſe quem ſequantur animadvertant; denique in ipſo docendi aut differendi actu cogitatè atque alacriter procedat, inſtitutionis efficacia at-

que ἐνεργεία, diſputationis acrioris calore nauſeam omnem diſpellat.

26. Quomodo *rebus ipſis* attentio parabitur? *Reſp.* Doctrinam nonniſi bene diſcentibus commendatam aggreditor, ſpecimine aliquo pulcritudinis vel utilitatis priùs monſtrato. Fac guſtum habeant, ut rem eſſe notatu dignam, & quanti ſua interſit eam intelligere, omnes agnoſcant. Dices, multa eſſe & opinione majora, quæ circa rem propoſitam ſint conſideranda, ut omnia mirabundi ac meditabundi circumſpiciant. Monebis, alios in ejusmodi rebus cognoſcendis hoc vel illo modo cæſpitâſſe, ut eò accuratiùs ſibi caveant auditores, ne ſimili caſu labantur. Ita viator attendit ad viam diligentiùs, ſi moneatur, periculum eſſe cadendi, latrones iſtis in locis deliteſcere ſolere, multos in ea regione ſpoliatos fuiſſe vel interfectos.

27. Quomodo *ratione auditoris* attentio movebitur? *Reſp.* Fac ne ſit nudus auditor, Pythagoricum præſtando ſilentium, ſed ut ipſe quoque ad operandum ſe accingat, agere, laborare teneatur. Etenim ſicut ille, qui geſtatur aut vehitur, viæ non attendit, at cui incedendum eſt ipſi, is circumſpectat, ne cadat aut aberret: ita qui ſentit ſibimet ipſi agendum eſſe, ut eruditionem conſequatur, attentus eſt atque induſtrius, non ille, cui ſilendum eſt & quieſcendum ſemper, aut qui autho-

authoritate faſcinatus omnem curam præeunti relinquit, quà & quò ducat perceptione propria aſſequi negligens.

28. Quo autem pacto ad actionem & praxin invitabuntur auditores? *Reſp.* Ante omnia moneantur, ut proprio ſuo judicio rem examinent, quod facientibus libera detur facultas cùm dubia & quæſtiones ſuas de rebus minùs intellectis docenti proponendi, tum etiam inter ſeſe interrogationibus diſputationibuſve concertandi. Nec facultas ſolùm detur alacrioribus, ſed neceſſitas etiam ſegnioribus latis legibus imponatur. Viciſſim docens rogando atque examinando profectus diſcentium identidem exploret. Nam & attendent vigilantiùs, ſi requiſitum à ſe iri metuent, & percipient meliùs, ſi non percepiſſe deprehenſi, ac velut pudefacti diligentiùs denuò advertent.

29. Quis eſt *modus examinum* ritè inſtituendorum? *Reſp.* Examina tum ſtatis temporibus, tum inopinata & extra ordinem inſtituantur. Examinentur illa maximè, quæ aut parum conſiderata, aut non ſatis intellecta, aut quæ intellecta quidem, at minùs firmiter memoriæ infixa videntur, atque ab iis talia repetat examinans, quos minùs attentos fuiſſe autumabit. Si auditor modeſtus bene reſpondeat, doctor reſponſionem approbet & collaudet; ſin malè, placidè cor-

rigat, aut in meliorem ſenſum trahat. Sin auditor ſit arrogantior, multumque ſibi ſapere videatur, talia ex eo quærantur, qualia minimè exſpectâſſet, & quæ eum neſcire veriſimilis conjectura eſt. Tum defectum in reſponſione data, etiam parvum, examinans annotabit, eumque magnum eſſe declarabit, aut motis novarum difficultatum ſcrupulis longè aliud reſpondendum fuiſſe oſtendet, quò reſpondens ejuſmodi confuſus ignorantiam ſuam ſuo bono diſcat agnoſcere. Si primus nihil reſpondet, rogetur ſecundus, ſi & hic ſileat, pergatur ad tertium, atque ita deinceps, ab uno ad alium, loco valde ſæpe remotum, tranſeundo, ut æmulatio inter omnes atque attentio major excitetur.

CAP. IV.

Attentis animis interpretamur ea, quæ tradimus, externo ſermone, cujus ſumma virtus perſpicuitas, *quæ comparatur vocabulis & phraſibus rebus exprimendis & intellectui informando accommodatis.* Hæc *ſi* deficiant, *fingenda ſunt, aut aliunde mutuanda; ſin* abundent, *delectum habebimus meliorum, aut pluribus aſſumtis quod uni deeſt altero penſabimus,*

mus, diſcrimine ſemper inter philoſophicum popularemque *ſermonem obſervato.*

30. Vbi inventa tua ſecundùm præcepta Logicæ præcedentis diſpoſuiſti, auditoris item animum ab aliis cogitandis averſum ad te convertiſti, quomodo explicanda ſunt cogitata, ut auditoris attentionem conſerves? *Reſp.* Interpretatio (ut conſtat è ſuperioribus) ut plurimum fit beneficio ſermonis externi, quem à Grammatica emendatum, aut etiam à Rhetoricâ ornatum, Logica inſuper tum ad conceptus animi ſimplices, tum ad judicia complexaſque notiones aliis *perſpicuè*, id eſt clarè ac diſtinctè, explicandas, ut ſine mora intelligantur, methodo ſcientiis tradendis conveniente applicat. Nam cùm loquamur hac de cauſa ut intelligamur, nulla potior ſermonis virtus datur quàm perſpicuitas, cujus officium eſt efficere, ut auditores diſcant celeriter. Confer Log. I. 11. Adde quòd perſpicua dictio attentum facit auditorem, obſcuram verò & confuſam quis diu attendat?

31. Quomodo autem fiet ut perſpicua reddatur interpretatio? *Reſp.* Si vocabula adhibeas rebus exprimendis *apta*, & *uſitata* inter homines, quibus loqueris, quique ante te iisdem de rebus locuti ſunt, recepta eorum

ſignificatione retenta; ſi rectè ea *conſtruas*, non præpoſterè efferas, aut nimis trajicias; ſi diſtinctis rebus *diſtincta* nomina indas, aliter ſubſtantiam, aliter attributum ſubſtantiæ, aliter univerſale, aliter ſingulare appellando; ſi abſtineas tum à vocabulis, tum à ſententiis ambiguis; ſi nec *brevitate* nimia, nec moleſta *prolixitate* ſermonem obſcures; ac denique, ſicubi voces aut phraſes obſcuriores vel ambiguæ fuerint uſurpandæ, eas definiendo declares, vel diſtinguendo ab ambiguitate liberes, utrobique aptiora magiſque convenientia adferendo.

32. Verùm cùm apta & convenientia rerum nomina cum alibi, tum maximè in definitionibus diviſionibuſque aliorum nominum, utpote declarationis ergo adhibitis, requirantur; talia autem, experientia teſte, ſæpenumero deſint (quando non pari paſſu ambulant apta & uſitata; ſed apta quandoque inuſitata, & uſitata haud raró inepta) quo pacto *defectus* ille corrigendus, ut clara fiat ac diſtincta conceptuum judiciorumque interpretatio? *Reſp.* Optimum quidem foret, *novam* plane *linguam* ad ſcientiarum uſum condi à ſapientibus, rebus & intellectui meliùs accommodatam, quàm ulla ſit ex iis, quibus hodie utimur. Sed quamdiu talis optatur ſolùm, non datur, licebit cujusvis diſciplinæ doctori nova ſubinde *vocabula* excogitare.

tare,ut diſtinctius intelligatur, magiſque rebus conſentanea ſit explicatio. Hæc verò novarum vocum excogitandarum cura non tangit *Dialecticum* diſſertatorem, qui etiamſi verba rebus diſſonent, non recedit à communi loquendi conſuetudine. Adde quòd de rebus obviis ad vulgarem captum diſſerenti non eſt opus tanta vocum ſupellectile, quantam deſiderant diſciplinarum *profeſſores* ad res omnes, etiam maximè abſtruſas, plenè atque accuratè interpretandas.

33. Poſſumuſne verò in linguis & vocabulis jam inventis, ſine ulla novorum excogitatione, acquieſcentes vocum defectum aliqua ratione ſupplere? *Reſp.* Poſſumus, nam 1. ſi in una lingua nomen non exſtet ullum, vel non exſtet idoneum, *aliam linguam* adibimus: ita omnes ferè artes, quamvis Latinis jam conſcriptæ ſint literis, quia tamen Græciæ originem debent, plurima Græca retinent nomina. 2. Si in *una eademque lingua* perſiſtere allubeſcat, plura vocabula pro uno adhibebimus, aut unius rei nomen ad aliam deſignandam traducemus, ſicubi illud ſine confuſionis, errorisve periculo fieri poterit, denique inepta vocabula errandi occaſionem præbentia corrigemus, eorum ſignificationes rei, quam tractamus, applicando, eaque reſtringendo, dilatando, prout uſus flagitabit, aut ſi nullo modo poſſimus corrigere,

clarè dicemus, eſſe inepta, ne lector vel auditor iis decipiatur.

34. Satis jam percepiſſe videor, quomodo penuriæ vocum occurrere debeat, qui cogitationes ſuas rectè aliis interpretari velit; verùm cùm contra ea vocum etiam laboremus nimia copia, quandoquidem & linguæ diverſæ ſunt, & in una lingua unius rei appellationes ſæpe diverſæ, nilne haberi inde poteſt, quo uberior interpretationi lux accedat? *Reſp.* Præterquam quòd delectum hîc poſſimus ac debeamus habere *meliorum*, clarior etiam erit explicatio, faciliuſque in auditorum lectorumve animos influet cognitio 1. Si *pluribus* interdum utamur vocabulis idem ſignificantibus, ſive ex eadem lingua, ſive ex diverſa accitis. 2. Si diverſo loco ac tempore, conſcio tamen auditore, de re eadem agentes aliud atque *aliud* vocabulum, aliam phraſin ac loquendi formulam uſurpemus. 3. Si nunc hac, *nunc illa* lingua proferamus aut conſcribamus eam, quam profitemur, ſcientiam. Quælibet enim lingua, & quodvis ferme vocabulum peculiare quid habet, ita ut ex his verbis, hac lingua quidpiam diſcatur, quod ex aliis non æquè facilè aut commodè. Et alius hanc, alius illam linguam ac vocem citiùs ac faciliùs capit.

35. Ita etiam perſpexi, quomodo in uſum meum convertere poſſim linguarum ac vo-

cum

cum abundantium multitudinem: ſed plenius adhuc erudiri velim de *differentiis inter analyticum & dialecticum, ſive philoſophicum & popularem interpretandi modum ratione ſermonis externi,* cujus hîc generalis eſt conſideratio, obſervandis, de quibus parciùs actum videtur in præcedentibus. *Reſp.* Dialecticus verboſus eſt & quodammodo garrulus, variiſque digreſſionibus atque amplificationibus utens ad ſplendorem elocutionis omnia componit. Analyticus autem ſimplicitatem ſermonis amat & brevitatem, potiuſque rerum & ſententiarum ponderi, quàm verborum numero navat operam, quippe qui omnia refert ad docendam veritatem, cujus oratio, veteri proverbio, ſimplex eſt. Et hinc Dialecticus vocabula uſurpat figurata & metaphorica, utpote quæ objectis variis imaginibus affectus commovent: Contrà ea Analyticus rariſſimè à propria & nativa verborum ſignificatione recedit, memor illius verſiculi: ornari res ipſa negat, contenta doceri. Neque tamen elegantiam ac nitorem dictionis omnem aſpernatur Analyticus, ſi is cum proprietate & perſpicua ſimplicitate conjungi poteſt: at ſicubi hæc violetur, mavult uti verbis, quæ rem bene ſignando juvent intelligentiam, quàm quæ bene ſonando tantummodo aures oblectent.

CAP.

CAP. V.

Generaliùs de ſermone externo dictá ad efferenda ſimplicia, *ad ſubſtantias, ad attributa, imprimis ad compoſita & relativa, nec non ad alia quælibet ſpeciatim ita ſunt applicanda, ut* ſermo exterior reſpondeat interiori.

36. Poſteaquam generalia de externo, quo cogitationes animi interpretamur, ſermone cognovimus, accedamus ad ſpecialia, viſuri, quomodo ſingula, in Logices prima parte nobis tractata, per hanc Hermeneuticam ritè efferri debeant, quod ut ordine ibi obſervato fiat, quæro primùm, quomodo illud exprimendum, quod concipitur ut ſimplex & *incomplexum? Reſp.* Plerumque, & id quidem rectiùs, voce una utimur, aliquando autem pluribus; idque vel neceſſitatis causâ, quia deeſt una, v. g. ſi mentem humanam, aut amorem parentum erga liberos nomines; vel majoris perſpicuitatis ergo, ut ſi apud hominem Geometriæ & Græcæ linguæ ignarum pro pentagono dicas, figuram quinque lateribus comprehenſam; vel ornatûs gratiâ, ut ſæpe in periphraſi.

37. Quænam eſt *Subſtantia*, quæ item *Attri-*

Attributi conveniens appellatio? *Reſp.* Subſtantia ut per ſua attributa cognoſcitur, ita nomen inde haut immeritò ſortitur, & quidem ex attributo inſigniori potiùs, quàm ex alio minùs principali. Sic Jehova Hebræis dicitur ab havá, quod ſignificat eſſe, quoniam Deus ſimpliciter, abſolutè, & maximè eſt. Vox autem ea, quæ ſubſtantiam cum attributo, quod ei ineſt, deſignat, vocatur *concreta*, ut ens, unus, juſtus. Attributum ſeorſum conſideratum voce effertur *abſtracta*, qualis eſt eſſentia, unitas, juſtitia. Cavendum verò in acroamatica tractatione eſt magnopere, ne appellationes rerum materialium confundantur cum nominibus rerum intellectualium, cùm res iſtæ toto genere diſtinguantur. Ideo cùm ad explicandum judicium, quod vocant *diſcurſivum*, vocabulo currendi, ad res corporeas propriè pertinente, utendum mihi eſſet ad mentis operationem deſignandam, adjeci voculam improprietatis, *quaſi*, Log. I. 149. Alibi ſum alia excuſatione uſus, ut Proleg. 29.

38. At ſi quid efferendum, quod valdè eſt compoſitum, aut multa includit, quæ universa ſimul exprimi nequeunt, à quonam attributo, gradu vel parte petenda appellatio? *Reſp.* Tenenda vulgaris regula: *à potiori fit denominatio:* e. g. Cùm caſus nominum ſinguli multa ac diverſa connotent, Grammatici

tici eos denominant à ſignificatis *notioribus* & *frequentioribus*, quemadmodum dativum, ablativum caſus eos vocârunt; qui non ſemper quidem, at plerumque tamen dandi atque auferendi habent ſignificationem. Sic litus maris Juriſconſultis dicitur, quatenus hibernus fluctus *maximus* excurrit.

39. Cùm attributorum reſpectivorum ſive *relationum* maxima ſit copia, vocum autem è contrario magna ſæpe inopia, eſtne ſpecialiùs quiddam in illis efferendis annotandum? *Reſp.* 1. Equidem quoad fieri poteſt relatum & correlatum diſtinctis nominibus appellabis, quemadmodum facimus patrem & filium nominantes. 2. Sin diſtincta vocabula deficiant, relatum & correlatum eodem nomine inſignire oportebit, ita hoſpitem referimus ad hoſpitem (quæ Germani meliùs per gaſt & wirt diſtinguunt) amicum ad amicum. Illa relata vocantur heteronyma ſeu *diſquiparantia*, hæc ſynonyma ſeu *æquiparantia*. 3. Si verò Synonymia hæc, ſive nominum convenientia confuſionem pariat, aut nimis ſit incommoda, fingenda ſunt vocabula, quibus correlata nominemus: v.g. dicendo caput eſſe capitati caput, ſquamas referri ad ſquamatum.

40. Adde ſi quid habes præterea de rebus & attributis quibuſcunque rectè efferendis. *Reſp.* Ut ſermo rebus magis conveniat, meliùſ-

liúſque eas menti repræſentet, ſimplicia ſimplicibus, compoſita compoſitis, poſitiva affirmativis, negativa negativis, abſoluta abſolutis, relata relatis, communia communibus, propria propriis vocabulis nuncupanda. Nempe id unicè agendum eſt paſſim, ut quemadmodum cogitatio ope artis Logicæ rebus: ita oratio, Hermeneuticæ hujus beneficio, cogitationi reſpondeat. Denique notanda eſt generalis regula: *nomina rebus imponi non propter ipſas, ſed tantùm ut cogitationes noſtras de iis explicemus.* Unde efficitur, ſi una eademque res diverſis omnino modis conſideretur, diverſa quoque ei imponenda eſſe nomina. Sic eadem propoſitio pro diverſo reſpectu quæſtio & concluſio appellatur, ex Log. I. 150. Ita Servatorem noſtrum, ſi ſalutem, quam nobis paravit, reſpicias, commodè Jeſum appellabis; ſi rationem & modum redemtionis attendas, rectiùs Chriſtum dices; ſi de mandatis ejus agatur, Dominum nuncupabis; ſi conſideretur tanquam auctor illius communionis, quæ eſt inter nos & Patrem ejus, Filium Dei nominabis. Ex eadem regula intelligitur, ſi fortaſſis res & cogitationes diſcrepent, verba potiùs cogitationibus, quàm rebus accommodanda eſſe. Reſpice q. 3. hujus partis.

CAP.

CAP. VI.

Individua *quomodo vel certo vel incerto ſigno exprimenda: quidnam deficiente nomine* generis *aut* ſpeciei *faciendum: quando generalibus, quando ſpecialibus vocabulis utendum.*

41. Qua vocabulorum forma utar in rebus attributiſve *ſingularibus* ſeu individuis efferendis? *Reſp.* Si res exigat, ut individuum clarè explicetur, id eſt, cùm illud ipſum diſtinctè cognoſcendum exhibetur, utendum eſt vel nomine proprio (qualia Petrus, Paulus) vel nomen commune reſtringendum eſt adjectâ particulâ demonſtrandi aut ſimili, ut hic, ille homo, mens mea, noſtrum collegium. Fit hoc quoties nomen proprium aut nullum exſtat, aût memoriæ non occurrit, aut quoties illius repetitio moleſtiam dicenti, vel nauſeam auſcultanti creat. Aliquando etiam periphraſi circumſcribitur individuum, e.g. ſi quis inter diſſerendum Apoſtolum gentium appellet, Paulum intelligendo. At ſi non ſit neceſſe individuum accuratè indicari, id eſt, cùm tantùm confusè proponitur, vel cùm attributum potiùs, quàm ſubjectum orationis attenditur, aut res ipſa, vel nomen ejus

pro-

proprium ignoratur, uteris pronominibus, aliquis, quidam, & ſimilibus. His notis confuſiùs repræſentatum individuum vocatur *vagum*; at cum diſtinctiùs expreſſum eſt, *ſignatum* dicitur. Interdum quoque nomen commune propter rei ſingularis exprimendæ excellentiam (κατ' ἐξοχὴν) pro proprio uſurpatur, ut ſi Poëtam dicas pro Virgilio. Ita Bibliorum & Codicis communia antè nomina, jure quodam excellentiæ, ſacra Biblia & Juſtiniani Codex propria nunc ſibi vindicarunt. Denique ipſis quandoque individuis, proprio nomine deſignatis, dictas adjicimus particulas, ut vel majorem emphaſin recipiant, v. g. ſi dicamus hunc Petrum, illum Deum; vel vagi individui naturam quodammodo induant, ut, ſi aliquem Deum, quendam Petrum ſignificemus, loquentes de ignotiore, aut quaſi in tranſitu aliquid de eo memorantes.

42. Quid deficiente nomine, quo *genus* aut *ſpecies* aliqua ſignificatur, faciendum eſt? *Reſp.* Quoties abſque erroris aut confuſionis periculo fieri poteſt, nomen ſpeciei ad genus, aut contrà generis nomen ad ſpeciem notandam transfertur. Et hoc poſterius fit vel ſimpliciter, ſic Axioma in Logicis nunc quodvis enuntiatum denotat, nunc illud propriè, quod per ſe fidem meretur; vel (quod præſtat) adjectione epitheti reſtringentis, quomodo pec-

peccatum originale, mentem humanam nuncupamus.

43. Quia hîc de ſingularibus & univerſalibus oratione exprimendis agitur, poteſtne quadantenus definiri, quando generalibus, quando ſpecialibus vocibus potiùs utendum? *Reſp. Generalibus* utendum vocabulis, ubicunque ſpecialia poſſunt dare occaſionem errandi; *ſpecialia* uſurpanda, ubi generalia confuſionem & ambiguitatẽ videntur invehere. Prius obſervarunt Latini Theologi in SS. Trinitate Patrem principium Filii dicentes, non cauſam, ne fortè ob ſpeciale cauſæ nomen uſurpatum Filius minor Patre à quibuſdam crederetur. Poſterius in eodem myſterio explicando & propugnando Patres orthodoxi conſiderarunt, ſpecialia nonnulla vocabula adhibentes, ad hæreticorum & ſophiſtarum, in verbis generalibus captiosè ludentium, ſtrophas detegendas ac refutandas, cujuſmodi ſunt eſſentia, perſona, trinitas, &c.

CAP. VII.

In Definitionibus, *tum* rei, *tum* nominis, *generatim requiritur* brevitas *dictionis*, *magis tamen* perſpicuitas; *ſpeciatim in illis genus proximum & differentia appoſitis vocibus exprimenda;*

da; harum verò conſtructio vocabulis vulgo communibus aut diſciplinarum propriis accommodanda eſt.

44. Quæ ratio definitionis rectè efferendæ? *Reſp.* Primò videndum, quibus verbis exprimenda definitio *rei*, quam prioris Logicæ Caput VIII. animo formare docuit: deinde definitio *nominis* bene contexenda, ſi neceſſitas exigat, ex q. 31. fine. Non rarò autem nominis & rei definitio coincidunt, nam qui nomen explicat, rem etiam nomine iſto deſignatam quodammodo declarat, quamvis nunc realis, nunc nominalis definitio appelletur, prout vel rei, vel nominis obſcuritas major definiendi cauſam præbet.

45. Quid de rei & nominis definitione notandum eſt communiter? *Reſp.* Cùm illa quid res ſit, hæc quid nomen ſignificet accuratè declarare debeat, 1. requiritur in utraque valde perſpicuum, bréve & exquiſitum dictionis genus, voces autem ambiguas, obſcuras & obſoletas procul abeſſe par eſt. 2. Neceſſum eſt ut ex antè declaratis, aut ſaltem antè notis, non ex poſtea demum cognoſcendis, arceſſatur. Attamen 3. cùm vox idonea una non ſuppetit, aut non ſufficit, plures adhibentur conjunctione copulatæ, & ſic *brevitati antefertur claritas* ex q. 30. e.g. Amicitia eſt mutua quorundam, efficax & aperta

ta benevolentia. Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.

46. Quid ſpeciatim in efferenda *rei definitione* tenendum? *Reſp.* 1. Si genus proximum nomine caret, exprimitur genus remotum cum differentia illud limitante: v.g. *Angelus* eſt mens finita à corpore libera. 2. Quoties multæ ejuſdem generis ſpecies definiendæ ſimul occurrunt, in ſingulis genus ipſum repetere non eſt neceſſarium, cùm facilè intelligatur: v.g. ſi quis de affectibus animi agat (amore, odio, cupiditate, lætitia, triſtitia, &c.) nimiæ fuerit diligentiæ, ſi in ſingulorum definitionibus nomen affectus velit reponere. 3. Genus plerumque exprimitur voce ſubſtantivâ, differentia verò adjectivâ, ut, cùm *Homo* animal rationale definitur.

47. Quis uſus eſt, quæve conſtructio *definitionum nominalium? Reſp.* Uſus earum eſt explicare, quid voces tum ſingulæ, tum conjunctæ valeant in mente eorum, qui illis uti conſueverunt. Itaque cùm quædam voces ſint notionum toti hominum generi communium, aliæ verò propriæ certas diſciplinas profitentium, in illis attendendum, quid omnes promiſcuè intelligere ſoleant, (unde *Verum* bene definitur, quod non eſt fictum, *Bonum*, quod appetitur) in his inquirendum, quid illarum diſciplinarum magiſtri per eas denotare conſueverint: ita *Sacramentum*

Theo-

Theologis eſt viſibile ſignum inviſibilis gratiæ. Utrumlibet fit vel per etymologiam voces declarando, vel per voces quaſcunque alias notiores eas illuſtrando: v. g. ſi dicas, *diſſitum* non ſignificare remotum, ſed diſperſum, à diſſero, id eſt, ſparſim ſero; *ſeducere* eſſe ſeorſum ducere; *ſubditum* appellari, quod ſuppoſitum; *ſubalternare* barbaris dici, pro, nunc ſuperiorem, nunc inferiorem eſſe. Vide Log. I. 92.

CAP. VIII.

Studendum porrò diviſionibus *rectè exprimendis, quæ ſimiliter aut* rerum *ſunt, duobus pluribuſve membris dividentibus conſtantes; aut* vocum *tum ſingularum, tum conjunctarum.*

48. Quid in diviſionibus oratione efferendis obſervandum? *Reſp.* Cùm diviſio, perinde ut definitio, alia *rei* ſit, de qua mente formanda Log. Cap. IX. actum; alia *nominis* (vulgo vocis diſtinctio dicitur) quam interdum requiri ſuprà quæſt. 31. fine vidimus, ideo de illa primùm, deinde de hac interpretanda paucis agendum erit, ſi quid commune habent ſuis locis indicando.

49. Quid igitur in *rerum diviſionibus* exprimendis attendendum? *Reſp.* Cùm per diviſio-

viſionem plura fiant, ſæpe in pluribus illis efferendis vocabulorum deprehenditur defectus: ideóque primò, ubi duo ſunt membra dividentia, quorum alterum careat nomine, quamvis abſolutum & poſitivum ſit, denominare hoc ſæpe cogimur à priore oppoſito, præfixâ negandi particulâ aliâve oppoſitionem indicante. Sic *lex* dividitur in ſcriptam & non ſcriptam. Sic ea, *quæ dicuntur de aliis*, dividit Ariſtoteles in ea, quæ ſecundùm complexionem dicuntur, & quæ ſine complexione, h. e. in complexa & incomplexa. Vide Log. I. 28.

50. At ſi plura duobus ſint membra dividentia nominibus propriis deſtituta? *Reſp.* Quoties certus numerus & ordo in talibus intelligitur, appellantur numeralibus ordinis: ita *declinatio* nominis, ita *figura* ſyllogiſmi prima, ſecunda, tertia dicitur. Et hoc ad ipſa etiam vocabula extenditur, v. g. ad nomina propria: ſic cùm fuerint plurimi Galliarum reges nomine *Ludovici* appellati, diſtinguuntur adjectis numeralibus ordinis à Ludovico primo ad decimum quartum, qui hodie regnum tenet. Sic Romani olim plures in eadem familia *ſorores* diſtinguebant adjectione harum vocum, prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta, vel etiam per diminutionem Secundilla, Quartilla, Quintilla. Aliquando etiam à quantitate vel gradibus nomina

mina ſpecierum vel partium deſumuntur. Ita *culpa* dividitur Juriſconſultis in latam, levem & leviſſimam; *terminus* Logicis in majorem, minorem & medium.

51. At ſi multa adeo ſint diviſionis membra, ut numerum, ordinemque eorum inire ſit impoſſibile, aut minùs ad rem præſentem neceſſarium? *Reſp.* Tum adjici poſſunt formulæ, quibus reliqua non expreſsè poſita generaliter quodammodo indicentur, quales ſunt: & ſi quæ ſunt alia, & ſimilia, & ſi quæ ſunt ejuſmodi, &c. Sic poſtquam Euclides *figuras* trilateras & quadrilateras recenſuiſſet, ne reliquarum rectilinearum infinitatem cogeretur perſequi, communi omnes nomine vocavit multilateras. Sic Log. I. 40. *aliæque tactiles qualitates* dicuntur omnes, quæ ſunt præter frigus & calorem.

52. Quomodo *diſtinctio vocum*, ambiguitati earum tollendæ inſerviens, proferenda? *Reſp.* Quando vox una multa ſignificat, vel oratio aliqua plures admittit ſenſus, ſignificationes illæ omnes, aut certè earum præcipuæ, enumerandæ ſunt, atque indicandum, quænam ex iſtis menti noſtræ, qui loquimur, & materiæ, quæ tractatur, ſit conveniens: v. g. ſi quæratur in Phyſicis, an detur vacuum? dicas, *Vacuum* ex uſu quidem vulgi ſignificare locum, in quo nulla ſit ex iis rebus, quas in eo eſſe debere cogitamus, dicen-

tes piſcinam vacuam, navigium vacuum, ob piſcium & mercium abſentiam; ſed in propoſita quæſtione, & ex uſu Philoſophorum, denotare locum, in quo nulla planè ſit ſubſtantia corporea. Porrò non modò ad claram rerum cogitationumque interpretationem pertinet, ut ejuſdem vocis diverſæ ſignificationes enarrentur; verùm etiam perſæpe neceſſe eſt, ut vocabula valdè affinia inter ſe diſtinguantur, quæ facilè aliàs ab imperitioribus confunduntur. Ita Politici diſtinguunt urbem, civitatem & rempublicam; Jurisperiti, domum & domicilium, confundere & miſcere, ſatisfacere & ſolvere, eſſe ſervum & eſſe in ſervitute &c.

CAP. IX.

Ordo *doctrinæ ſeparat* heterogenea, *conjungit* homogenea, *utrorumque intuitu jam dividit, jam componit* didactica *atque* elenctica, *præmittit* communiora *& notiora, ſubjungit* propria *magiſque difficilia, tandem omnia* tranſitionum *vinculis ligat*.

53. Quid in multis ac diverſis ordine tradendis præſcribit Hermeneutica, præter ea,

quæ

quæ de ordine rerum animo percipiendarum docuit pars prima Logicæ? *Reſp.* Sciendum eſt, quæ in tradendis maximè diſplicinis ſeparanda ſint, quæ conjungenda, quæ in ordine traditionis antecedere, quæ ſequi, & tandem quomodo omnia aptè inter ſe colligari oporteat.

54. Quid de *ſeparatione* tradendorum generatim cenſes? *Reſp.* Quæ ſingularem attentionem deſiderant, & ſeparatim ab aliis conſideranda ſunt, ea in ſingulos articulos, aphoriſmos, quæſtiones, capita aut libros, pro majore minoreve diſtinguendi neceſſitate referantur, ut paſſim in hac diſciplina tradenda factum cernis. Et omnino heterogenea ſecernenda.

55. Quid de *conjunctione* tradendorum judicas? *Reſp.* Quæ magna generis affinitate juncta, vel ſub eodem genere oppoſita ſunt, facilioris doctrinæ ergo ſimul explicantur, v. g. ubì agitur de Amore, agatur etiam de cupiditate, quæ amorem comitatur, nec non de odio, quod amori opponitur. Ibi ſimilia ſe illuſtrant, hîc oppoſita juxta ſe poſita magis elucent.

56. Hæc gènératim de ſeparandis, aut conjungendis dogmatis: cùm verò traditio alia didactica ſit, alia elenctica, de iis ſigillatim quærendum videtur, ſintne conjungendæ an ſeparandæ; nam de acroamatica & exo-

terica ſuprà vidimus? *Reſp. Didactica ſegreganda ab elenctica* 1. ſi diſcenti ſufficiat perſpectam habere nudam rerum veritatem, nec opus ei cum adverſariis certamen inire, vel errores refellere. 2. Si didactica ob rerum plenitudinem corpus doctrinæ ſatis amplum ſeparatim poſſit conſtituere, poſſit etiam, ob errorum atque errantium multitudinem, ſeorſum ſpectata elenctica. 3. Si errores refutandi ſint ejuſmodi, ut non tam ex propriis didacticæ fundamentis & principiis, quàm ex aliis communioribus elidi debeant, aliarumve diſciplinarum auxilia & ſuppetias refutatio flagitet. 4. Si propter longiores crebrioreſve, ad opiniones diſſidentium ingeniorum recenſendas & redarguendas, digreſſiones ordo didacticæ turbetur, nec adeò concinnus appareat, & nexus dogmatum minùs fiat conſpicuus.

57. Ecquando autem *miſceri poſſunt elenctica & didactica* tractatio? *Reſp.* Si errores refellendi ſint pauci, ſi è principiis didacticæ propriis, ſine aliunde mutuandorum ope, ſolubiles, (ubi tamen ſicco pede tranſiri poſſunt, quos etiam non admonitus diſcipulus è dictis facilè evertat) ſi viam occludant per veſtigia didacticæ incedenti, greſſus impediendo, injectis dubitationum ſcrupulis, aut rationes didacticæ noſtræ difficultatibus premere & exceptionibus earum robur enervare videantur.

58. Quid

58. Quid de *anteceſſione & conſequutione* tradendorum admones? *Reſp.* 1. Fundamentis humanæ cognitionis jactis, factoque primo à re ſingulari initio ex Log. I. 117. & 160. in reliquis incipiendum eſt à communioribus magiſque univerſalibus, quæ tamen *adjectis* illico exemplis declaranda. Sic factum videbis & in hoc ipſo capite & in toto ferè hoc libro. Ratio eſt, quod magis univerſalium exempla ſint plura, magis obvia & notiora nobis, quodque minùs univerſalia definiri & perfectè percipi nequeant ſine magis univerſalibus. 2. Exempla meliùs præmittuntur regulis, cùm his non modò inveniendis inſervierint priùs, ſed etiam declarandis jam uſui ſint: ſi tamen ſubjiciantur, mens auditoris inde ad regulam reverſa perfectè demum eam cognoſcet. 3. Quandoque initio facto à definitione, ſubſequens tractatio in ejus enucleatione occupatur, ſed commodior ordo fuerit, ſi fuſiùs antea diducta tandem brevi definitionis gyro conſtringamus. 4. Sæpe per diviſiones ac ſubdiviſiones initio poſitas res illa, quæ in ſcientia aliqua aut parte ſcientiæ tractatur, *ὡς ἐν τύπῳ* quaſi contracta adumbratur, ut faciliùs deinde ac diſtinctiùs percipiatur explicatione largiore tradita. Sic in prolegomenis egimus de partitione Logicæ: & aliæ ſæpe ſcientiæ ſimili ratione inchoantur à ſciagraphia totius diſ-

poſitionis, per diviſiones delineata, ad ipſam pleniùs perdiſcendam. Sic enim numerus diſtinctioque partium meliùs innoteſcit, dum partes cohærentes & oppoſitæ ſimul omnes paucis oſtenduntur ac definiuntur, antequam ad ſingularum tractationem prolixiorem veniatur. Alia exempla habes Log.I. 1. 16. & partis hujus quæſt. ſecunda. 5. Expoſitis iis, quæ ad conſtitutionem alicujus rei valent, commodè ſubjiciuntur ea, quæ ad illius imminutionem aut diſſolutionem pertinent. Ita in Logica agitur priùs de geneſi, quàm de analyſi; in Politica priùs de conſtitutione, quàm de corruptione reipublicæ. 6. Cum plura tractanda proponuntur, ſæpe commodioris nexus causâ poſtremo loco recenſitum, primo tractatur, atque inde paulatim fit reditus ad illud, quod initio memoratum fuit, pleniùs explicandum. Sic Geneſ. 1. In principio creavit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis &c. Sic Matth.I.1. & ſeqq.

59. Quid de *colligatione* eorum, quæ diviſa ſunt, obſervas? *Reſp.* Quoties inter diviſionis alicujus membra longior tractatio aut mora temporis interceſſit; ut ſequentia cum antecedentibus aptè connecti intelligat auditor ſive lector, utendum eſt convenientibus tranſitionum vinculis, quibus vel ſummatim repetitur quod dictum eſt, vel breviter indicatur quid dicendum ſit, vel utrum-

que

que ſimul præſtatur: quæ *perfecta* tranſitio dicitur. Ejuſmodi vincula tum in hac, tum maximè in ſuperiore Logices parte non ſimplicia modò, ſed etiam gemina, imò tergemina notare potuiſti.

CAP. X.

Complexum *thema rectiùs duabus effertur vocibus, quarum altera ſubjectum, altera prædicatum notat. Hinc oritur* oratio enunciativa, *oppoſita non enunciativæ: Hujus ſpecies* interrogans *diſciplinis tradendis perutilis eſt: In illa ſæpe eſt partium tranſpoſitio, defectus, aut redundantia.*

60. Poſtquam de ſimplicibus externo ſermone proferendis actum fuit, dicatur nunc, quomodo efferenda ſint conjuncta ſeu *complexa? Reſp.* Efferuntur vel duabus vocibus, quarum una ſubjectum, altera prædicatum denotat: ut mens cogitat; vel unâ, quæ notat utrumque: ut, cogito; vel tribus aut pluribus, quæ tamen ratione ſignificationis pro duabus ſumuntur: ut, mens eſt cogitans, mens humana non eſt res corporea. Sicut autem thema ſimplex rectiùs una, quàm pluribus: ita complexum meliùs duabus, quàm unâ effertur. Et ſic Germani meliùs, ich dencke

ſe / quàm Latini, cogito, per ellipſin pronominis, Ego.

61. Quænam notæ maximè ſunt appoſitæ ad ſubjectum & prædicatum enunciationis deſignandum? *Reſp.* Caſus nominativus & tempus modi indicativi præſens. Hujuſmodi quippe vocabula ſunt didaſcalica & ad verum enunciandum idonea. Orationes verò interrogantes, vocantes, petentes, optantes, imperantes non item: & hinc orta eſt orationis in *enunciativam* ſeu philoſophicam, & *non enunciativam* diſtinctio, & hujus in interrogantem, &c.

62. An ergo in diſciplinis tradendis nullus eſt *uſus orationis interrogantis?* *Reſp.* Vides in hac Logica uſum illius ubique. Nempe quoties dubium ex data reſponſione naſcitur, meritò ſolutionem ejus expetis, & cùm ſatis de una materia audiviſti, rectè interrogas de altera; imò verò quando tam hujus quàm illius es neſcius, nihil magis rationi conſentaneum eſt, quàm ut quæras. Ac proinde quantumvis orationes interrogantes non enuncient verum, ſunt tamen ad illud inquirendum idoneæ.

63. Hanc itaque per *Quæſtiones* & *Reſponſiones*, quam aſſiduè jam calcamus, docendi diſcendique viam cur tantopere, uti videtur, probas & commendas? *Reſp.* Quoniam hæc methodus tradendi atque accipiendi diſciplinam

nam eſt ingeniis aptiſſima, docente experientia, idque tribus præcipuè de cauſis: 1. quia perſonas doctoris & diſcipuli, aut certè commilitonum ſocietatem repræſentando dialogi ſeu colloquii formam habet, quod ſolitaria lectione vel auſcultatione facilius, amœnius & ad excitandum ingenium aptius, cùm homo naturâ, aut certè conſuetudine, quæ altera natura eſt, ſit animal ſociale, non ſolitarium. 2. quia hæc methodus manifeſtè tota eſt dianoëtica ſeu ratiocinans, perpetuò procedens à noto, quod eſt reſponſum, ad ignotum, quod quæritur, ideoque naturæ hominis, utpote animalis rationalis, valde accommodata. confer Log. I. 13. 3. quia totam ſcientiam quaſi ſub manu naſcentem exhibet, non autem uti jam dudum inventam & conſtitutam, qua ratione legem ordinis Log. I. 113. 114. expoſitam elegantiſſimam accuratè obſervat. Et hæc non parum faciunt ad Catecheticæ inſtitutionis, Chriſtianis uſitatę, commendationem.

64. Sed miſſa interrogante, quæ diſcentis eſt, ad enunciativam orationem, quæ docentis, revertor, ſcire cupiens, an ſubjectum & prædicatum, quorum illud in mente prius eſt, hoc poſterius, in oratione liceat aliquando *tranſponere? Reſp.* Quoties id flagitat loquendi uſus, nec ullum eſt confuſionis vel erroris periculum, fieri quidem poteſt, & fit in illo

poëtæ: omnia vincit amor. Ut videas & hîc & alibi externi atque interni ſermonis notabilem differentiam, propter quam etiam hanc Hermeneuticam à Logices prima parte ſecrevi. Et hujus conſilii ampliùs agens interpretem, quæſtiones in hoc libro nonnullas admiſi, parum alioqui neceſſarias.

65. An verò ſubjectum & prædicatum enunciationis ſemper verbis exprimenda ſunt? *Reſp.* Alterutrum quandoque *reticeri* poteſt, ſi facilè aliunde intelligatur, quod ipſum in compoſitis enunciatis maximè uſum obtinet. Quando enim plura de eodem, vel idem de pluribus dicendum eſt, compendio utentes copulamus enunciationes plures, atque ibi ſubjectum, hîc prædicatum ſemel duntaxat ponimus. Exempla omiſſi ſubjecti ſunt: Deus eſt juſtus & miſericors. Neque natare novit, neque literas: Ubi ne ſemel quidem exprimitur ſubjectum, & pars etiam prædicati, *novit*, ſemel in fine reticetur. Exempla omiſſi prædicati: Deus & mens humana ſunt res cogitantes, Nox & amor vinumque nihil moderabile ſuadent. Neque tantùm compendio ejuſmodi utimur in *copulatis* enunciationibus, verùm etiam in aliis nonnullis per conjunctionem compoſitis, ut in hac *diſcreta* enunciatione videre eſt: non corpus, ſed mens cogitat, & in illa *disjuncta*: animal aut homo aut beſtia eſt. Ex quibus facilè intelligitur

vul-

vulgata enunciationis in ſimplicem & compoſitam, hujuſque in copulatam, diſcretam &c. diſtinctio, non niſi ratione elocutionis axiomati competens.

66. Omittere igitur & reticere licet aliquando enunciationis partem alterutram: ſed an etiam ex oppoſito, partibus ſimul expreſſis, *addere* interdum aliquid permittitur? *Reſp.* Quotieſcunque id neceſſitas utilitaſve exigit, vel addendæ ſunt particulæ *limitantes*, quibus quid excludatur, excipiatur, vel alio modo determinetur: ut fit in illis: ſola mens cogitat, nihil eſt infinitum præter Deum, homo ratiocinatur quatenus mente præditus; vel aliæ voces *declarantes* adjungendæ: exempli cauſa, homo caducus eſt, ut folium.

Cap. XI.

Partium enunciationis nexus obſcurior optimè declaratur ſimilitudine, *quæ bene conveniat cum re declaranda, & cum intellectu auditoris; pro cujus diverſitate jam à* corporeis, *jam ab* intellectualibus *rebus petenda eſt, vel etiam à* fictis. *Comparatio conſtat protaſi & apodoſi.* Similitudo ſim-

plex, *vel* compoſita, *& hæc disjuncta, continua, vel tranſpoſita eſt.*

67. Ita viſum eſt, quomodo enunciationes quantum ad *partes* ſuas, ſive perfectiore ſubjecti & prædicati explicatione, ſive imperfectiore tranſpoſitionis, omiſſionis, additionis formulâ, efferantur: jam de *nexu* illarum partium declarando agendum erit, de quo occaſionem quærendi ſub finem proximæ reſponſionis dediſti, vocum declarantium injecta mentione. *Reſp.* Opportunè mones, cùm enim ſæpenumerò contingat nexum illum obſcuriorem eſſe auditori, jure quæritur in Hermeneutica, cujuſmodi interpretatione ſit illuſtrandus, præſertim etiam quia *enunciationes compoſitæ*, quarum paulò antè mentionem fecimus, ad eum finem conducunt. Quum enim enunciatio una & ſimplex non ſatis lucida & manifeſta eſt, illius manifeſtandæ dilucidandæque gratia adjicitur altera, quæ priori accedens enunciationem facit compoſitam.

68. Quis igitur optimus eſt enunciationes obſcuriores declarandi modus? *Reſp.* Eſt ille, qui in exemplo, ſi rem ſpectes, planè ſimili, ſed multo, quantum ad intellectum auditoris, clariore, ſubjecti & prædicati nexum tam evidenter agnoſcendum exponit, ut non poſſit non judicii aſſenſum ad ſe trahere.

here. Nam ad aſſentiendum alicui enunciato, ejuſque veritatem judicio comprobandam, *ſola ſufficit perceptionis claritas*; hanc verò claritatem ſimilia ejuſmodi efficiunt. Nullum autem inſtituendi modum naturæ magis conſentaneum ac proinde meliorem eſſe, quàm ſi ita doctrina proponatur, ut ejus veritatem, propria perceptione exploratam, auditor animi motu quam fieri poteſt maximè voluntario amplectatur, è pluribus tam in hoc, quàm in ſuperiore libro dictis poteſt haut difficulter concludi.

69. Qualia autem decet eſſe ſimilia illuſtrantia? *Reſp.* Primo neceſſe eſt ut in illo tertio, in quo fit comparatio, *conveniant cum re* illuſtranda; ut in aliis etiam conveniant non eſt neceſſe; imò quamvis plurimis in rebus maximopere diſconveniant nil refert. Deinde requiritur ut *clariora* ſint re illuſtranda, clariora inquam illi perſonæ, cui erudiendæ adhibentur, ut aliis etiam omnibus notiora ſint non deſideratur. Cùm ergo auditorum & lectorum duplex genus ſit, aliud acroamaticorum, aliud, & quidem plurium, exotericorum, illis à ſenſibus mentem abducentibus *intellectualia*, his corporeis rebus & craſſo concipiendi modo aſſuetis *ſenſualia* ſimilia magis conveniunt. Poſteriorum exempla Chriſti in N. T. conciones paſſim ſuppeditant, Philoſophorum item libri,

libri, lectores Logica & Metaphyſica ſcientia necdum ſatis excultos alloquentium, vide Logicæ I. 11. 12. 13. 20. 28. 36. 103. 104. &c. Priorum exempla rariora ſunt, nam qui eò devenit perfectionis, ut rebus, qua par eſt, ratione ingenium ſubigere cœperit, non adeo frequenter ejuſmodi illuſtrationis adminiculo indiget. Habes exempla Logicæ I. 103. fine 144. 145. 149. 159. &c.

70. An verò ſimilia per ſe conſiderata abſolutè vera ſemper eſſe neceſſe eſt? *Reſp. Ficta* etiam ſæpenumero utiliter adhiberi, perinde ac ſi ficta non eſſent, è Chriſti parabolis nonnullis, & plurimis aliorum apologis & fabulis ſatis manifeſtum eſt. Nec tamen ulla, dum hæc fingimus, falſitas admittitur, cùm id à nobis fiat intellecta quadam conditione. Nulla verò conditio aliquid certi ſtatuit, ſed tantùm oſtendit, ſi hoc exiſtat (ſive poſſibile, ſive impoſſibile ſit) illud conſequi debere. Et hoc loco de nulla alia re agimus, quàm de nexu enunciationis partium clariùs explicando. Quandoquidem itaque tam falſa quàm vera, tam ad ſenſum quàm ad intellectum pertinentia, vim illuſtrandi habere poſſunt, perſpicuum eſt, *nihil eſſe unde ſimile duci nequeat.*

71. Quibus partibus conſtat ſimilium comparatio? *Reſp.* Similium, ut & diſſimilium,

lium, parium atque imparium comparatio conſtat *protaſi*, quæ continet rem comparantem, & *apodoſi*, quæ continet rem comparandam: e. g. protaſis eſt: ut umbra lucem ſequitur: apodoſis, ita invidia virtutem. Quando duæ iſtæ partes expreſsè ponuntur, comparatio dicitur *explicata*, ut in exemplo jam allato; ſin implicitè, comparatio vocatur *contracta*, ut ſi dicam, homo ſimilis eſt bullæ, aut breviùs, homo bulla.

72. Quotuplex eſt ſimilitudo? *Reſp.* Eſt vel *ſimplex*, ut, homo ſimilis Deo eſt; vel *compoſita*, quæ frequentiſſima eſt, & aliàs *analogia* vocatur. Et hæc iterum vel disjuncta, vel continua, vel tranſpoſita.

73. Quid eſt *disjuncta*? *Reſp.* Quando ſe habet ut primus terminus ad ſecundum: ſic tertius ad quartum: e. g. ut acclive nullum intelligi poteſt ſine declivi: ita nec Deus (ens ſummè perfectum) poteſt ſine æternitate cogitari.

74. Quid *continua*? *Reſp.* Quando ſe habet ut primus terminus ad ſecundum: ſic ſecundus ad tertium, verbi cauſâ, ut æternitas à duratione, ita duratio ab exiſtentia inſeparabilis eſt.

75. Quid *tranſpoſita*? *Reſp.* Tranſpoſita analogia dicitur omnis alia præter disjunctam & continuam: e. g. ſicut bonæ actiones virtutem producunt, ita virtus bonas actiones.

Hic

Hic ut primus terminus ſe habet ad ſecundum: ita ſecundus iterum ad primum, ut ſit ratio inverſa.

CAP. XII.

Nexus neceſſarius aut contingens ſi exprimatur, conſtituitur Enunciatio Modalis. *Dialecticus utitur* contingentibus & probabilibus, *quæ inter diſputandum aſſeveranter, aliàs dubitanter enunciat. Philoſophus utitur* neceſſariis, & ſæpe paradoxis, *quæ dociles auditores inſtituendo verecundè affirmat: pertinaces redarguendo confidentiùs aſſerit. Hæc autem ſunt aut communia diſciplinis pluribus, aut propria ſingulis.*

76. Quomodo obſcurior enunciationis partium nexus declaretur ex dictis elucet: quia verò nexus ille non eſt uniuſmodi, cùm illius ratione enunciationes aliæ neceſſariò, aliæ contingenter tantùm ſint veræ, quæri poteſt ampliùs, debeatne nexûs illa diverſitas verbis ſemper diverſis exprimi? *Reſp.* Frequentiùs reticetur, quando autem exprimitur, utimur his vocabulis: *neceſſe, impoſſibile,*

ſibile, *contingens*, *poſſibile*, duobus prioribus neceſſarium, poſterioribus contingens effatum ſignificantes: ut, neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, impoſſibile eſt mentem eſſe corpoream, contingens eſt hominem eſſe doctum, poſſibile eſt juvenem ſapere. Pro illis nominibus interdum adhibentur adverbia: ut, voluntas neceſſariò eſt libera, homo contingenter eſt doctus; vel aliæ particulæ idem valentes; ut, voluntas per ſe eſt libera, homo per accidens eſt doctus.

77. Habentne peculiare nomen hujuſcemodi enunciationes? *Reſp.* Appellantur *Modales*, quoniam voculæ illæ modum deſignant, quo ſubjectum & prædicatum inter ſe cohærent. Quando autem nullus modus exprimitur, enunciatio vocatur *Pura*: ut, voluntas eſt libera.

78. Cujuſmodi verò ſunt ratione veritatis illæ enunciationes, quibus utitur *Dialecticus*, neceſſariæne an contingentes? *Reſp.* Sufficit eſſe contingenter veras, dummodo ſint *probabiles*, h. e. probæ rectæque videantur aut omnibus hominibus, aut pluribus, aut ſaltem ſapientibus, nec ſint præter vulgi opinionem. Aliquando certè accidit, ut probabile enunciatum etiam ſit neceſſarium, quoniam fieri poteſt, ut quæ per ſe neceſſaria ſunt, judicio quoque & opinione hominum approbentur, uti videre licet ex hoc axio-

axiomate: totum eſt majus parte. Verum Dialecticus non neceſſitatem illam, ſed probabilitatem duntaxat attendit.

79. Quomodo efferre ſolet *Dialecticus* ea, quæ proponit atque enunciat? *Reſp.* Cùm probabilia illa ſint & veriſimilia potiùs quàm vera, crebrò his ſimilibuſve formulis utitur: probabile eſt, vero conſentaneum eſt, ut eſt in proverbio, ut fertur, quemadmodum dici ſolet, ſecundùm decantatum illud, credo, opinor, niſi opinio me fallit, fortè, videtur, &c.

80. An ergo vocibus illis, videtur, fortè, & ſimilibus nunquam utitur *Analyticus?* *Reſp.* Vtitur certè talibus interdum, at non dubitationis, ſed modeſtiæ, aut etiam elegantiæ cauſâ. Et convenit ſanè hujuſmodi modeſta ſenſus animi explicandi formula ſapientiæ doctori multò meliùs, quàm dictatoriæ aliorum ſententiæ, qui omnia dogmata ſua pro oraculis & Sibyllæ foliis venditant. Modus enim ille docendi ingenuus eſt & liberalis, dumque auditorum judiciis rem totam ſubmittit, errantibus interim viam comiter monſtrans, & faciliùs & altiùs in eorum animos penetrat. Quamvis enim in *elenctica* tractatione invitis ac reluctantibus aſſenſum quandoque extorquere debeamus, confidenter agendo & loquendo, in *didactica* tamen omnino præſtat nativo quodam, non

ad-

adſcito, lepore ſuaviter inclinare dociles ad evidentem perceptionem promotos, & ſic attemperare doctrinam, ut auditores nec ſuperba doctoris authoritate offendantur, nec apertè nimis adverſantis altercatione turbentur, ſed quaſi quærentis & cum ipſis diſcere cupientis lenitate ad ea cogitanda convertantur, quibus veram ſuapte ſponte notitiam rerum aſſequantur. Hanc modeſtiam ipſo nomine videtur expreſſiſſe Pythagoras, dum ſe non σοφὸν, ſed φιλόσοφον dici voluit. Quem fortè imitati Iurisconſulti veteres, dum ſe Iuris ſtudioſos, appellatione communi cum diſcipulis, vocari amabant.

81. At cùm Analyticus præfractos adverſarios refutans, ubi ſe modeſtiâ ſuâ nil proficere poſſe videt, confidenter loqui ſoleat, ſimilene *Dialecticus* facit in diſputando? *Reſp.* Quod de Dialectico dictum fuit, quantum ad timidiorem ſenſus ſuos enunciandi modum, id aliter ſe habet in diſputationis certamine. Nihil enim uſitatius nunc quidem eſt in ſcholis philoſophorum, quam ut quiſque ſine ullis verborum delinimentis id quod ſentit loquatur, atque ideo ſolas ſuas opiniones veras eſſe, aliaſque omnes falſas affirmet. Aſſuefecit enim illos diſputandi uſus iſti libertati, quæ in iis, qui urbaniorem vitam ſequuntur, durior eſſet. Nam *doctores modeſti* nec ſua inventa glorioſè com-

men-

mendant, nec aliorum ſententias inſolenter condemnant, ſed auditoribus ſano judicio præditis totum id relinquunt æſtimandum.

82. Satis de enunciatis dialecticis, atque etiam analyticis efferendis: jam etiam ſcire velim, quomodo comparata eſſe debeant ratione veritatis effata diſciplinarum, quibus utitur Analyticus? *Reſp.* Omnia ſunt *neceſſariò vera,* eoque meliora, cæteris paribus, quo magis neceſſaria. An populo probabilia an improbabilia ſint, nihil penſi habet Analyticus. Quin imò ſicut in ſimplicibus animi notionibus exponendis, dum vulgata vocabula ſunt inepta, identidem nova adhibet ex q. 32. ita in complexis interpretandis frequenter admodum *paradoxa* profert; h. e. ea quæ ſunt præter opinionem vulgi, *παρὰ δόξαν*. Etenim quia novit, hominum pleroſque ſpeciem veritatis faciliùs, quàm veritatem ipſam obſervare; ſæpiuſque prava quàm recta de rebus judicia ferre, iccirco paucis contentus judicibus multitudinem conſultò fugit, vulgi plauſum & ſuffragia non quærens neque exſpectans. Eſt tamen boni doctoris in diſciplinis tradendis ea, quæ aliis paradoxa videntur, diſcipulis ſuis & veri ſtudioſis lectoribus, quoad ejus facere poteſt, probabilia reddere.

83. At quænam ſint diſciplinarum effata, & quomodo appellentur, ſigillatim mihi memorari velim. *Reſp.* Sunt vel *communia* diſcipli-

ſciplinis pluribus, vel propria ſingulis. Illa quoniam communiter nota ſunt omnibus ſana mente præditis, appellantur *Notiones communes*: & quia per ſe digna ſunt, quibus abſque ulla demonſtratione aſſentiamur, ſpeciali ratione *Axiomata* dicuntur, cujuſmodi ſunt: impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, quod factum eſt infectum eſſe nequit, à nihilo nihil fit &c. *Propria* ſunt 1. *Definitiones* de ſuis definitis enunciatæ: ut, corpus eſt res extenſa in longum, latum & profundum. 2. *Hypotheſes*, quibus aſſenſum noſtrum accommodamus ante demonſtrationem, ut in Phyſicis, ad ea quæ in cælo apparent explicanda, ſupponitur, cælos eſſe fluidos, non duros. 3. *Poſtulata*, quibus petitur ab auditore, ut nonnulla attendat vel admittat, quò deinceps tractandorum veritatem aſſequatur: ſic initio philoſophiæ poſtulatur, ut philoſophaturus de præjudicatis opinionibus exuendis ſeriò cogitet. 4. Scientiarum *Theoremata*, & propoſitiones omnes, quæ demonſtrantur: ut, mentem & corpus realiter diſtingui h. e. ipſâ re, non modo, vel ratione tantum. 5. Prudentiæ & artium *Regulæ* ſeu canones: ut, non eſſe judicandum niſi de re clarè ac diſtinctè percepta. Horum effatorum pleraque, cùm ad concluſiones inde deductas aut deducendas referuntur, haut rarò nomine *Principiorum* veniunt.

CAP.

CAP. XIII.

Enunciationis quantitas vel definitur *notis quibuſdam, ut in formandis ſyllogiſmis; vel* non definitur, *ut in diſciplinis & colloquiis quotidianis. Analyticus, ut & Dialecticus, particularibus &* exemplis *priùs & frequentiùs, univerſalibus &* regulis *utuntur rariùs. Non qualibet, ſed* apta *ſolùm exempla, aptæ regulæ uſum præſtant. Vniverſalia attributa ſubjecto particulari facilioris cognitionis gratiâ interdum applicantur; & prodeſt univerſalis & particularis inſtitutio, dum inter ſe conferuntur, ſive hæc, ſive illa præcedat.*

84. Quid ratione neceſſariarum & contingentium enunciationum tum Analytico tum Dialectico tenendum ſit, percepimus: nunc porro diſpiciamus, quid ratione illius differentiæ, ſecundum quam enunciata in univerſalia & ſingularia dividuntur, in modo tradendi ſit obſervandum, & primò quidem rogare lubet, quomodo axiomata ſic differentia ſint enuncianda? *Reſp.* Quemadmodum individuum vel certo, vel incerto ſigno

gno effertur ſecundum q.41; ita enunciationes vel quantitatis aliquâ notâ definiuntur: ut, omne corpus eſt extenſum, aliquod corpus eſt humanum: vel indefinitæ relinquuntur: ut, corpus eſt extenſum, homo eſt doctus. Hinc orta enunciationis in *definitam* & *indefinitam* diſtinctio.

85. Quibus igitur notis utimur ſi definienda ſint enunciata? *Reſp.* In enunciatione *Univerſali* ſubjecto adduntur hæ voces: omnis, nullus, quilibet, univerſi, quicunque, nemo, & ſimiles. In *Particulari* ſubjecto adduntur iſtæ: quidam, aliquis, nonnulli, non omnis &c. In *Singulari* ſubjectum eaſdem notas habet, quas individuum ſignatum: ut, Petrus eſt doctus, hic homo eſt bonus, mens mea cogitat.

86. Quomodo verò & ubi notis iſtiuſmodi ad enunciationes definiendas utendum? *Reſp. In diſputationibus*, ubi expreſſis utimur ſyllogiſmis, & ubicunque dubium eſſe poteſt, num ſubjecta univerſaliter, an verò particulariter accipiantur, definienda ſunt enunciata. Verum *in diſciplinis*, ubi axiomata ſunt neceſſaria, (quandoque tamen hæ agunt de iis, quæ non ſemper, ſed ut plurimum eveniunt) nulla opus eſt determinatione, quia ſi vel minimum neceſſitatis gradum obtineant, eopſe de omni pronunciari intelliguntur: ut, homo eſt bipes. Etiam *in populari ſermone*, extra diſpu-

tationis actum, plerumque indefinitè loquimur, & facilè tum particulare effatum agnoſcitur, ex eo, quòd contingenter verum nunquam ſit de omni: v. g. Galli ſunt agiles.

87. Sufficiant iſta de enunciatis univerſalibus particularibusque exprimendis: pluris intereſt noſtra ſcire, utrùm univerſalibus, an particularibus, an utriſque pariter in docendo ac diſſerendo ſit utendum. *Reſp. Analytico* doctori non ſolùm obſervandum eſt, ut à particularibus ſeu exemplis inchoet, modumque, quo invenit univerſalia pronunciata, tali ratione detegat, (uti factum Log. I. 95. 112. 116. ſeq. 179. &c.) verùm etiam universè notandum, multa faciliùs exemplis quàm regulis doceri, quemadmodum ars ſcribendi meliùs diſcitur, ſi chirographum præceptoris diſcipulus imitetur, quàm ſi multis regulis Orthographicis oneretur. Et ſic vulgus hominum per ipſam operis effectionem, à magiſtro exemplo priùs oſtenſam, artes illiberales perfectiſſimè addiſcit: ſic fabricando fabri fiunt. Hac de cauſa ſapientiæ magiſtri etiam ſub exemplis particularibus generalem quandoque regulam vel doctrinam proponere conſueverunt. E.g. regula generalis eſt: veſtra copia aliorum ſuccurrat inopiæ, 2. Cor. VIII. 14. hanc uno atque altero exemplo S. Scriptura tradit Luc. III. 11. qui habet duas tunicas impertiat non habenti: & qui habet eſcas ſimiliter faciat.

88. An

88. An ſimilia etiam hac in parte facit *Dialecticus?* *Reſp.* Huic quoque ad civiles diſſertationes popularesque & familiares congreſſus & colloquia inſtituenda nihil eſt utilius, quàm variis exemplis & hiſtoriis inſtructum eſſe, quibus generales regulas & ſententias, inſtar aromatum, parciùs immiſcet.

89. Cujuſmodi autem decet eſſe *Exempla*, imprimis analytica? *Reſp.* Sint accommodata cùm ad rem tradendam, non peregrina ſeu aliena; tum etiam ad intellectum auditoris, non obſcura, nec perplexa. Ejuſmodi autem erunt, ſi ex præmiſſis Inductionis illius, quam mens ante apud ſemetipſam fecerat, ita ſint depromta, ut auditori lectorive ex præcedentibus jam traditis, aut aliunde nota ſint. Unde intelligis, cur in his libris logicis toties exempla ex ante dictis deſumſerim, nec non Grammatica & Arithmetica faciliora uſurparim, & ab ipſis denique manibus ac digitis plurima petierim, e.g. Log. I. 47. 71. 79. &c. Ubi de re univerſali agitur, ſub qua varia rerum genera continentur, præſtat diverſi generis, quàm unius exempla plura adferre (ut Log. I. 113. ſeq.); aut ſi unum ſolum producatur, id tale eſſe debet, ut multa & varia ſimul in eo oſtendi poſſint (ut Log. I. 95. ſcientia). Sæpius autem inſigniora duntaxat exempla exprimuntur (ut Log. I. 2. Deum & nos ipſos), vel ea maxi-

mè, de quibus dubitare poſſit lector, num ad idem genus rerum pertineant(ut Log.I.165. nix rubra &c.)

90. Quæ eſt ratio *Regularum* exemplis ſuperſtruendarum ? *Reſp.* Quemadmodum exempla ſunt ex præmiſſis Inductionum : ita regulæ ſint ipſæ Inductionum concluſiones, & has habeant virtutes, ut ſint numero paucæ, verbis breves, ſenſu claræ, non egeant limitationum ſcutis, imò multiplicentur potiùs, quàm exceptionibus multis infirmentur ; denique tales ſint, ut ad nova exempla facili negotio reperienda manu quaſi ducant. Nimirum ſicut ab exemplis ad regulas itum fuit, ſic à regulis ad exempla redeatur, adeoque particularia primum & ultimum, univerſalia medium in tradendi methodo locum obtineant. Quoniam verò cum pluribus diſciplinarum ita eſt comparatum, ut regulas univerſales, quæ nulla parte labefactari queant, raro in iis reperire liceat, hinc effatis generalibus adjiciuntur particulæ ferè, penè, utplurimum, plerumque, quodammodo & ſimiles, ne præcepta prorſus catholica ſibi exhiberi exiſtimans auditor decipiatur.

91. Nunquid verò attributa quævis ad omnia, de quibus ullo modo dici poſſunt, ſubjecta ſunt extendenda, & quàm poſſunt univerſaliſſimè efferenda, ut ita ſimul & ſemel de omnibus tradantur quæcunque tradi poſſunt,

ſunt, h. e. an omnia, quæ e. g. Deo, Angelis, mentibus humanis communiter attribui poſſunt, neceſſariò etiam communiter, non autem ibi, ubi de aliqua harum rerum agitur, ſunt docenda? *Reſp.* Equidem hoc fieri debet ob docendi compendium tradendis diſciplinis omnino neceſſarium; attamen quò minùs ubique fiat ratio eſt, quòd generaliùs dicta, niſi pauca & exemplis luculentiſſimis illico ſuffulta, non ſatisfaciant ingeniis humanis, quæ exemplis priùs & faciliùs, uti dictum fuit, & vel in hac ipſa quæſtione proponenda patuit, id eſt, particularibus effatis, quàm univerſalibus erudiuntur.

92. Illuſtretur hæc res exemplis, ut & reſponſio illa, *communia non ſemper tradenda eſſe communiter*, & ratio reſponſioni addita pleniùs intelligantur. *Reſp.* Sic boni Anatomici de *Corpore humano*, quod proprii corporis exemplo cuique noſtrûm meliùs innoteſcit, quàm ulla reliquorum animantium, plurima tradunt, quæ aliis quoque animalibus conveniunt. Et optimi Philoſophi de *humana Mente*, quæ exemplo mentis propriæ cuique attendenti eſt notiſſima, docent non pauca, quæ angelicis, imò divinæ quoque tribui ſuo modo poſſunt. Quinimo cùm nulla res notior ac propinquior ſit menti, quam ipſa ſibi, ideo à ſuæ mentis, rei ſingularis & individuæ, notitia omnis philoſophiæ pri-

mordia meliùs unuſquiſque arceſſet, quàm ab *Entis, quatenus ens eſt*, *ſcientia* univerſaliſſima. Et hanc tum demum perfectè addiſcet, ubi res omnis generis, quæ ſunt particularium ſcientiarum objecta, longiore ſtudiorum curriculo ita perſcrutatus fuerit, ut generaliſſimas omnium ſimilitudines diſſimilitudineſque repererit ac notârit. Talemque in modum ſcriptoribus non ignobilibus in more poſitum videmus, ut mentem ſuam ampliore verborum ambitu aut uberiore tractatione priùs expoſitam ac recluſam, in fine tandem paucis regulis conſtringant, ac ſummatim univerſa repetendo concludant. Qua ratione contingit, ut fuſiùs antea diducta & ſeparatim progreſſu temporis perluſtrata, nunc arctioribus incluſa cancellis unoque obtutu inſpecta vires ſuas in mente auditoris aut lectoris illuſtranda conjungant, memoriæque firmiùs inhæreant, cujus rei exempla habuimus Log. I. 117. fine, q. 122. II. 67. initio.

93. Atqui contrarium iis, quæ dixiſti, uſu venire vel in hac ipſa diſciplina tradenda ſæpiſſimè animadverto: annon enim à conſtitutione Logicæ, quæ eam quadripartitam ſummatim repræſentat, incepiſti, nunquid ſimiliter in multis capitibus, v. g. Log. I. initio, item q. 181. Log. II. 2. 24. 53. quid, quòd in frontiſpicio libri & capitis cujuſque ſum-

ſummaria ponis, quæ ſtrictim & conciſè notant ea, quæ poſtea in ipſo libro aut capite plenius explicas ac demonſtras? *Reſp.* Hinc ſanè liquet utramque, quantumvis oppoſitam, tradendi rationem convenienteloco rebus aptatam, uſum inſignem præſtare: collatio enim illa ſpecialiter & generaliter, largè & ſtrictè dictorum (ſimilis Regreſſui, de quo Log. I. 159.) diſcentis intellectum, judicium, memoriam miris modis adjuvat, etſi nunc hæc, nunc illa, pro diverſo docentis ſcopo ac traditionis modo, præcedant. Sic in phyſica de ſingulis rebus naturalibus tractatione multi authores initium faciunt à *conſideratione Mundi*, qui eſt collectio & compages corporum omnium, alii contrà in eadem contemplatione ſcientiam naturalem finiunt. Quamvis autem utrumque fieri poſſit in una eademque diſciplina, quæ tota ſimul à capite ad calcem cognoſcenda traditur, inde tamen non ſequitur, ullam diſciplinam, ſeorſum propoſitam, univerſalem omnino & à particularibus abſtractam doctrinam continere debere, aut univerſalia ſemper univerſaliter tradenda eſſe; ac proinde vera manet reſponſio initio hujus controverſiæ data.

94. At nunquid idem ſæpius cum diſpendio temporis & nauſea auditoris repetendum erit, niſi attributum quodque univerſale referatur ad ſubjectum ſuum adæquatum, cum

quo axioma univerſaliter primùm facit? *Reſp.* Non eſt opus repetitione ulla: nam ſi ea, quæ e. g. de mente humanâ dicta ſunt, ad omnes mentes ſe extendunt communiter, non reponentur ubi de Angelis aut Deo agitur; ſed quę his mentibus peculiaria & propria ſunt ſolùm tractabuntur, atque ita de aliis.

95. Attamen naturæ magis conveniens eſſe videtur, ut attributa quælibet ſubjectis æqualem latitudinem habentibus aſſignentur, generica generi, ſpecifica ſpeciei, individua individuo; aut ſi generica applicantur ſpeciei aut individuo, cur huic potiùs, quàm illi? *Reſp.* In diſciplinis tradendis non tam rerum ipſarum tradendarum naturam, quàm faciliorem melioremque auditoris cognitionem attendere oportet, ſecundùm q. 13. hujus libri. Nec perinde eſt, cui ex ſubjectis inferioribus attributa magis univerſalia adjungantur, cum ibi ſolùm proponenda ſint, ubi agitur de illo inferiore ſubjecto, cujus notitia facilior illorum notitiam accelerat, ut patet è ſuperioribus, q. 92.

CAP. XIV.

Hactenus de complexo themate explicando: *nunc de* probando. *Probationes* promere *utile*, *nec tamen inutile aliquando eas* premere. *Simile no-*

notandum de concluſionibus. Inductionis & ſyllogiſmorum compendia. *Syllogiſmus in* forma *uſui eſt diſputantibus. Alii formam negligunt propoſitionum defectu, redundantia, trajectione. Dialecticus* ſparſis *ſyllogiſmis, Analyticus* catenatis *utitur rationibus, &* regreſſu *didaſcalico ingeniorum diverſitati conſulit.*

96. Quemadmodum judicium vel axiomaticum eſt, vel dianoëticum ex Log. I. 149. ita eorum, quæ judicata à nobis ſunt, communicatio ac traditio vel explicatione vel probatione perficitur. Cùm igitur hactenus ea habuerimus, quæ ad explicationem pertinent, videamus nunc de probationibus, & primò quidem, *an ſit neceſſe ut noſtris judiciis ac ſententiis mox probationes adjungamus? Reſp.* Quamvis non teneamur probationes ſemper opinionibus noſtris addere, modò, cùm res poſcit, eas promere queamus, magnopere tamen commendat authorem, ſi rationes non ſolùm inſtituti ſui, verùm etiam aſſertionum ſuarum, ſaltem præcipuas, ubique edat, quò nimirum obtuſiora etiam diſcentium ingenia nil ſine ratione admittere & cauſas rerum inveſtigare aſſueſcant. Confer Log. I: 180. Præcipuè verò hoc in Elen-

ſticâ traditione obſervandum eſt,ut non modò erroneas ſententias refutemus, verùm etiam adverſariorum rationes, ſaltem palmarias, quibus everſis cæteræ ſponte corruunt, expendamus, earumque robur, quantum fieri ulla veri ſpecie poteſt, urgeamus.

97. Quando autem & ubi reticere licet *probationes?* *Reſp.* 1. cùm quid examinis, non perſuaſionis causâ profertur. 2. quando cauſæ dictorum in iis, quæ dicta ſunt, ſatis maniſeſtè continentur. 3. ubi lectorem volumus valde attentum eſſe, propriaque meditatione, atque adeo majore cum voluptate, rationes enucleare, ſive in dictis præſentibus latentes, ſive ex ante dictis eruendas. 4. cùm re & facto ipſo aſſertioni noſtræ fidem facimus, ut Chriſtus fecit Matth. IX. 6.

98. An ipſæ etiam *concluſiones* ſemper exprimuntur? *Reſp.* Ubi ſingularem in auditore attentionem excitare lubet, principia quandoque ſola & præmiſſas ei aperimus, ut ipſe proprio Marte concluſiones inde deducat; cujus rei exemplum iterum habemus in cæleſti noſtro Doctore Matth. XI. 3. 4. 5.

99. Quid obſervandum eſt de *Inductione?* *Reſp.* Inductio in modo tradendi rariùs ad probandum quàm ad explicandum adhibetur. Sive autem probet, ſive explicet, ſæpius evenit, ut omnia particularia in præmiſſis explicitè enumerari nequeant, tumque compen-

pendii loco clauſula additur omnia illa exhauriens, qualis eſt: & ita de reliquis, nec poteſt dari diſſimile exemplum. Simili modo in *Syllogiſmis conditionalibus & disjunctis* ſæpe partes propoſitionis majoris, in minore & concluſione non integræ repetuntur, ſed formulis certis contrahuntur: e.g. ſi mens humana eſſet extenſa, tum non poſſet naturali ratione illius immortalitas probari: At conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Vel ſic: Non hoc, ergo nec illud.

100. Ergo ab Inductione & imperfecto ſyllogiſmo ad eum, qui ratione formæ perfectus eſt, me conferens initio rogo, quis ejus uſus ſit præcipuus & frequentiſſimus? *Reſp.* *Syllogiſmus formalis* maximè valet ad diſputandum ex principiis utrinque conceſſis, vim quippe ferè tantùm habet contra eos, qui univerſale inconſideratè admiſerunt, quo poſito extorquetur illis formâ ſyllogiſticâ etiam particularis ſub eo contenti conceſſio.

101. An verò *tres ſyllogiſmi propoſitiones* ſuo ſemper ordine recenſendæ? *Reſp.* Id non requiritur, niſi conſequentia Syllogiſmi dubia ſit auditori, quod imprimis uſu venit inter diſputandum, minùs inter docendum. Nam hîc forma ſyllogiſtica frequenter negligitur, cujus ibi ratio habetur accurata. Sic optimi Mathematici etiam in exquiſitiſſimis demonſtrationibus eam inſu-

per habent, dùm voce pariter & exemplo confirmant, ſe multò breviùs & faciliùs ſine ea demonſtrare id quod proponitur.

102. Quomodo igitur procedendum, ſi conſequentia non eſt dubia auditori? *Reſp.* Tum in Syllogiſmo, perinde ut in Enunciatione, vide q. 64. 65. *66.* pars una vel altera interdum omittitur, interdum huic illive aliquid additur, nonnunquam etiam tranſponuntur. Quum altera præmiſſarum tantùm exprimitur, altera cogitanda relinquitur, vocatur *Enthymema:* ut, pallet, ergo amat. Sæpe autem ex una propoſitione alteram colligimus ſic, uti de tertia minimè cogitemus. Ita qui incipit philoſophari per illud: ego cogito, ergo ſum, ut animum advertat ad illam majorem, qui cogitat, eſt, haudquaquam neceſſe eſt, cùm ſine ea abundè ſibi in hac demonſtratione ſatisfaciat. Quod *additur* ſyllogiſmi propoſitionibus, eſt definitio, diviſio, aliáve declaratio aut illuſtratio. *Tranſpoſitio* eſt, quando concluſio præmiſſis præponitur vel interponitur, aut minor præcedit majorem. Nec enim refert, ne quidem in analytica tractatione, utrùm priùs ponantur pręmiſſæ, & poſtea concluſio, an verò contrà, dummodo probatio è præcedentibus & jam cognitis arceſſatur. Tranſpoſitionis exemplum habes Joh. x. 11. bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus: 15. ego animam pono

pro

pro ovibus: 11. 14. ego ſum bonus paſtor.

103. An Syllogiſmi, quibus in tradendo utimur, ſinguli ſeorſum ſunt ponendi, an verò plures inter ſe componendi? *Reſp.* *Dialecticus* quidem, præcipuè inter diſputandum, brevibus & à ſe invicem diviſis pugnat Syllogiſmis; *Analyticus* verò optimè docet ſi multarum rationum catenatione, animos diſcentium attentioni ſtudeat aſſuefacere, ut liqueat, non tantùm quodque argumentum aliquid conferre, ſed omnia junctim rem conficere, mutuis viribus ſtare, ab una veritate continuò trahi aliam priori alligatam, ut in catena diſtenta annulus annulum ſolet. Etenim *verus rationis uſus*, in quo omnis humana ſapientia continetur, ſolummodo conſiſtit in circumſpecta & accurata complexione eorum omnium, quæ ad quæſitarum veritatum cognitionem requiruntur. Cumque hæc vix unquam poſſint exprimi ſyllogiſmis, niſi multi ſimul nectantur, certum eſt eos, qui tantùm ſingulis & ſparſis utuntur, ferè ſemper aliquam partem eorum, quæ ſimul ſpectanda ſunt, omittere, atque ea ratione ſuam pariter & aliorum, quibuſcum loquuntur, attentionem refrigerare. Vide Log. I. 109.

104. Quem uſum in docendo præſtat *Regreſſus didaſcalicus? Reſp.* Quoniam fieri poteſt ut huic auditori cauſa notior ſit, illi effe-

ctum, huic ſingulare, illi univerſale, ideo pro perſonarum ratione nunc hic, nunc ille argumentandi modus adhibetur. Confer Log. I. 159.

CAP. XV.

Quæſtio probanda *alia didaſcalica, alia dialectica, aliiſque* argumentis *illa, aliis hæc indiget. Et hic uſus crebrior eſt deductionis ad incommodum, diſputationis ad hominem, argumentationis per conceſſionem, ſyllogiſmi tentativi. Quæſtionum tria ſunt genera. Didaſcalicus ſyllogiſmus, aut demonſtrativus, aut ſpecialiter didaſcalicus. Dialecticus vocatur* topicus.

105. Quænam ſunt *quæſtiones* probandæ, tum dialecticæ, tum didaſcalicæ? *Reſp.* Quæſtio *dialectica* (problema) eſt, de qua in utramque partem diſſeri poteſt, & licet, ſiquidem ad veri aut veriſimilis cognitionem id facit, nec bonis moribus repugnat. Quæſtio verò *didaſcalica* eſt, quæ diſciplinæ alicui vernacula eſt, & cujus una tantùm contradictionis pars vel quæ affirmat, vel quæ negat, probari poteſt ac debet. Hujuſmodi quæſtionum quatuor numerantur genera: an res ſit, quid

res ſit, an talis, cur talis ſit: e. g. an dentur pyrauſtæ, quid ſit motus, an motus planetarum omninò circularis ſit, cur non ſit prorſus circularis.

106. Quibus autem *Argumentis* analyticè aliquid probatur? *Reſp.* Argumenta *analytica* ſunt ejuſdem diſciplinæ, cujus eſt quæſtio, adeoque diſciplinæ alicujus propria, & concluſioni homogenea. Maxime autem *ſimplicitati & paucitati argumentorum* ſtudet analyticus, bonos medicos imitatus, qui, ubicunque poſſunt, ſimplicia malunt adhibere medicamenta, quàm compoſitorum multitudine ægros fatigare. Repete Log. I. 13. Nunquam etiam philoſophus uno in loco argumenta ſua explicat omnia; at ſuis locis profert ſingula, ſiquidem varii ac diverſi ſint generis.

107. Ecquænam ſunt *media dialectica?* *Reſp.* Hæc ſunt inventa probabilia, undecunque arrepta, communia, non rarò etiam aliena & peregrina. Et hîc frequentior, quàm in docendo, uſus eſt tum deductionis ad incommodum, tum diſputationis ad hominem, quam vocant, tum argumentationis per conceſſionem, tum denique ſyllogiſmi tentativi.

108. Quando uſum habet *ad incommodum deductio?* *Reſp.* Tunc maximè, cùm præmiſſæ ſyllogiſmi oſtenſivi obſcuriores ſunt illi, quicum agimus, ſic ut clariùs ei mon-

ſtrari

ſtrari poſſint abſurda è concluſione veræ theſi contradicente ſequentia; deinde uſum obtinet quando veritati concluſionis noſtræ pertinaciter adverſantibus os obthurandum eſt; id quod facimus è communiſſimo principio: impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Exemplum formare poſſis ex Proleg. §.69.

109. Quid ſibi vult *diſputatio ad hominem? Reſp.* Diſputatio ad hominem ſive ad perſonam vocatur, cùm argumenta adhibentur ex mente adverſarii, cui talia vera videntur, etſi nos falſa vel incerta ea judicemus. Exemplum cernes Log. III. 84. vulgo magis ſpiritualem &c. Huic opponitur diſputatio *ad rem*, quæ nititur veris argumentis, ſive ab adverſario pro talibus agnoſcantur, ſive non.

110. Quomodo ſe habet *argumentatio per conceſſionem? Reſp.* Talis eſt, ſi quid largiamur adverſario, quia vel ad præſens negotium nihil facit, vel alia via obtineri poteſt, ſignificando, quocunque modo tale quid ipſe æſtimaverit, proceſſuras tamen eſſe demonſtrationes noſtras, non huic, quod ipſi dubium, ſed aliis indubitatis principiis ſuperſtructas. Formulæ hic uſitatæ ſunt: Demus hoc ipſum, fingamus eſſe falſum, largiamur, non repugnemus. Exempla habes Proleg. §. 110. Log. I. 117.

111. Quid eſt *ſyllogiſmus tentativus? Reſp.*

Cùm

Cùm argumentamur ex communibus alicujus diſciplinæ propoſitionibus, quæ veræ videntur ei, quîcum res nobis eſt, & quas ſcire eum ipſum neceſſe eſt, utpote qui ſibi cognitionem arrogat illius diſciplinæ, cujus tamen ignarus eſt. Sunt enim in qualibet ſcientia quædam communiter nota, quæ qui intelligit non ideo ipſam planè callet, quamvis talia neſcire probro ei vertatur. Ex talibus igitur procedimus in exploranda & redarguenda rudis & pertinacis ſive diſcipuli ſive Antagoniſtæ inſcitia & arrogantia.

112. Sic diviſimus quæſtiones primùm, deinde etiam argumenta iis probandis inſervientia, an verò reſtat adhuc alia quæſtionum ſimul & argumentorum diſtinctio? *Reſp.* Obſervandum eſt, *tria eſſe quæſtionum genera*, quaſdam de iis, quæ ſola fide creduntur, velùti de myſterio Incarnationis, Trinitatis, &c. alias verò de iis, quæ licet ad fidem pertineant, ratione tamen naturali quæri etiam poſſunt, quales ſunt v. g. de Dei exiſtentia, unitate, Animæ immortalitate: alias denique eſſe de rebus, quæ nullo modo ad fidem, ſed ad ſolum ratiocinium humanum ſpectant, ut de quadratura circuli, de auro arte Chymica conflando, &c. Poſtremi generis quæſtiones argumentis è ſola Philoſophia & humanis ſcientiis petitis tractandæ. Quæ ſunt primi generis, è Theologia quidem probandæ ſunt, ſic ta-

tamen ut philoſopho incumbat oſtendere, ipſas lumini naturali non adverſari. De iis, quæ medii ſunt generis, non modò oſtendendum eſt, quod lumini naturali non repugnent, verùm etiam rationibus inde deſumtis, quantum fieri poteſt, ſunt demonſtrandæ.

113. Suntne diſtinctiones quædam ſeu *diviſiones ſyllogiſmi* didaſcalici ac dialectici obſervandæ? *Reſp.* Syllogiſmus *didaſcalicus*, quia certæ diſciplinæ eſt proprius, hinc nomen ejus diſciplinæ, cujus eſt, ſibi adſciſcit diciturque in phyſicis phyſicus, in ethicis ethicus, in theologicis theologicus, &c. ex q.40. & quia diſciplinæ in theoreticas & practicas generatim diſpeſci ſolent ex Log. I. 3. hinc alius eſt diſciplinarum theoreticarum proprius, qui vocatur *demonſtrativus* (demonſtratio, apodixis) alius practicarum, qui, cum proprio nomine careat, *ſpecialiter didaſcalicus* nominatur. Sic probatio Grammatica & ſpecialiter didaſcalica eſt, ſi oſtendas ex veteribus libris, dicendum eſſe *ſeorſum* pro eo, quod vulgo obtinet, ſeorſim, cùm non à ſupino aliquo veniat, ut raptim à raptum, ſeparatim à ſeparatum; ſed eo modo dicatur, quo ſurſum, deorſum, verſum, adverſum, prorſum, rurſum, quorſum. *Dialecticus* verò Syllogiſmus non admittit ejuſmodi differentias; ſed generatim nunc *probabilis* dicitur, quia ex præmiſſis probabilibus conſtat, nunc *topicus*,

quia

quia præmiſſæ illæ ex communibus quibuſdam inventionis locis deſumuntur. Locus enim, Gr. τόπος, nihil hîc aliud eſt, quàm communis aliqua nota, cujus admonitu argumentum invenitur. Quum autem tales loci plurimi ſint, quibus ad diſputandum & probabiliter in utramque partem diſſerendum utitur Dialecticus, operæ pretium videtur de iis aliquid monere, ubi nonnulla de ipſa diſputatione deque poſitionibus ſeu theſibus præmiſerimus.

Cap. XVI.

Diſputationis *uſus moderatus* commoda *multa præſtat tum opponenti, tum reſpondenti : immoderatus plura involvit* incommoda. Modus *igitur* in diſputando *tenendus, crebriùs ac potiùs in demonſtrando occupatis ingeniis.* Theſium *uſus quis. In iis conſcribendis quæ obſervanda.*

114. Cum ars dialectica adhuc, in ſcholis præcipuè, diſputando exerceatur, meritò quæritur, quæ *diſputationum* ſcholaſticarum ſit *utilitas? Reſp.* Sæpe non capit *auditor* demonſtrationes docentis, ſcrupulos movet, imperitè obmurmurat, cum ratione dubitat,

ſo-

ſophiſtarum argutias pertimeſcit; diſputando poterit erudiri, ad ſilentium redigi, convinci, confirmari. *Tu ipſe* in demonſtrando ſi lapſus fueris, cum ratione redargutus aberrationes corriges; ſuſpectam falſitatis doctrinam ſi protuleris, publico examini ſubjectam ſuſpicione liberabis, hæſitantibus & oppugnantibus ſatisfaciens reſpondendò; ipſe ſi ambigas, utra contradicentium pars veritati propinquior, rationes tuas cum aliorum objectionibus contendere faciendo diſces, & animus ad hoc potiùs quàm ad illud amplectendum inclinabitur. Sic nempe ſuum opponens, ſuum etiam reſpondens è diſputatione fructum percipit.

115. At recenſe pleniùs ac diſtinctiùs quem fructum *uterque ſimul*, tam opponens quàm reſpondens, è diſputatione colligat. *Reſp.* 1. Privatæ meditationis ſtudia lenta ſæpe ſunt & languida nimis, niſi vivido diſputationis motu *excitentur*, & quaſi jam frigeſcentia denuò incaleſcant. 2. Multi lucem fugiunt nec audent prodire in publicum, ut ſpecimina edant profectuum, diſputando igitur animantur & in luce verſari aſſueſcunt, ruſticumque pudorem exuentes *parrheſiam* ſibi conciliant. 3. Diſputationes *judicium* in expedita veri & falſi diſcretione acuunt. 4. *Memoriam* eorum, quæ animis impreſſa ſunt ac retenta, promtâ redditione confirmant.

mant. 5. *Perſpicuè dicendi* ſeu mentis conceptus proferendi facultatem augent. 6. Dant *occaſionem* de iis cogitandi aut loquendi, quæ aliàs in mentem non veniſſent, & quæ proinde nos alióſve ad reconditæ veritatis inventionem vel clariorem obſcurioris cognitionem quodammodo adducunt. 7. Præparant ad ſeria certamina cum heterodoxis aliquando ſubeunda. Et hæc quidem commoda ex *moderato* diſputationis uſu proveniunt.

116. At ſi diſputandi exercitium *modum excedat*, & nimis, ut multis in more eſt, frequentetur? *Reſp.* Immoderatus diſputationis uſus jam recenſitis commodis longè graviora producit *incommoda:* reddit quippe hominem impudenter audacem, faſtidioſè ſuperbum, moleſtè garrulum, pertinaci maledicentia perpetuoque contradicendi ſtudio intolerabilem, ut quicquid dicas, quantumvis verum, quantumvis bonum, ſive aias, ſive neges, ipſe tendat in contrarium. Et cùm plerumque ad ejuſmodi pugnam concurrant affectus arrogantiæ, æmulationis, pudoris & metus ſuccumbendi, fieri nequit, quin mens etiam maximè compoſita nonnihil turbetur & rationis lumen obnubiletur. Sic nimiùm altercando, imò in mutuam perniciem gladiatorio more dimicando, veritas non periclitatur modò, ſed prorſus interdum amittitur. Ac denique ex longiore diſputandi con-

ſue-

ſuetudine, & prurigine litigandi mentibus mox à teneris unguiculis inſerta, plurimi hominum reliqua ætate in quovis vitæ genere contentioſi manent & refractarii, atque ideo ſuperioribus ſuis minùs obſequentes & ſeditionibus commovendis aptiores evadunt: unde magna ex parte hæreſes & diſſenſiones ortæ, quibus mundus etiamnum vexatur.

117. At nunquid *experientia* docet, quod diſputando ſæpe præclarè res geſta, veritas contra hæreticos aſſerta, convicti atque in pudorem dati ſophiſtæ, ut ab erroribus propudioſis cogerentur deſiſtere? *Reſp.* Si de experientiæ documentis à prima rerum origine hiſtoriam adeas, invenies, primam fuiſſe hominis cum dæmone diſputationem, cujus eventus triumphante mendacio maximè deplorandus. Hac namque janua aperta ad jurgia inter fratres, à verbis duriuſculis ad convitia & maledicta, imò verbera & cædes, impio Caïno præcipuo authore, tandem ad bella inter gentes res proceſſit. Et quamvis veritas maneat penes diſputantium alterutrum, rariſſimè tamen ſolito fervidiore diſputandi æſtu illuſtratur, cùm ab univerſalibus, majore plerumque obſcuritate laborantibus, ad particularia cæco aſſenſu admittenda rapiatur adverſarius, animo non per evidentem rationem ultrò ad aſſenſum inclinato, ſed potiùs

per

per violentam tractionem irretito, quo ipſe ſuæ ſpontis minimè ſe determinâſſet.

118. Ne igitur mala, quæ dixiſti, diſputando attrahantur, quid agendum? *Reſp.* Modica ſint ingeniorum certamina, & inter eos tantùm, qui mediocri rerum notitia priùs exculti guſtum acceperunt demonſtrationis ſolidæ, quique hanc ſubinde inſpergant, ad veritatem, non ad oſtentationem & gloriam, dicta omnia referentes. Hi tales congredientes omnibus modis id agant, ut ſint in colloquiis blandi, in audiendo quieti, in docendo officioſi, in refellendo placidi, in cedendo faciles: & in juventute quidem Mathematicis demonſtrationibus, quibus animi ad manſuetudinem & concordiam maximè diſponuntur, quàm dialecticis velitationibus, plus ſemper operæ ac temporis impendant; in ſenectute verò ſedatæ meditationi incumbentes planè à diſputando abſtineant, cùm experientia confirmet, quàm parum appoſitè frigida ætas in tali conflictu cum calida juventa committatur. Omnibus denique veri ſtudioſis etiam atque etiam commendatum eſto, ut pulverem potiùs Mathematicum frequentare ament, inque aliis ſcientiis *demonſtrando & meditando, cum ſilentio & quiete rebus ſuis intenti, percipere priùs, pòſt judicare, tandem memoriæ mandare omnia aſſueſcant*, quàm in arena gladiatoria diſputando ſe jactent & laceſſant.

ceſſant. Quantum enim prodeſt puræ rationis modeſtæque orationis conflictus, tantum, imò multò plus nocet validior ingeniorum colliſio, vehementiorque verborum contentio, qua lux veritatis diſſipatur, quæ leni pulſu excuſſa, bonæ mentis fomite ſedatè excepta ac fota gliſcere & in luculentam ſcientiæ flammam ſe poteſt diffundere.

119. Quis *uſus theſium* ſeu quæſtionum ad diſputandum proponi ſolitarum? *Reſp.* Si ordinarium earum uſum ſpectemus, nihil aliud debent continere, quàm aſſertiones, quas earum author in paucarum horarum diſputatione defendendas ſuſcipit, ſive eas putet eſſe veras, ſive non putet. Nam circa res ad fidem non pertinentes, nec ad ullius detrimentum ſpectantes, etiam ea, quæ putat falſa, poteſt in iis ſine mendacio affirmare, cùm nempe ingenii exercendi causâ vult illa contra omnes objectiones, quæ intra breve tempus diſputationis fient, defendere. Quod autem integri quandoque libri diſputationibus publicis in lucem eduntur, id aliis de cauſis & extra ordinem contingit.

120. Quid in *theſibus conſcribendis* animadvertendum? *Reſp.* 1. Theſes conſcribi decet de rebus dubiis quidem & controverſis, ſed tamen cognitu poſſibilibus. 2. De rebus neceſſariis, aut ſaltem cognitu dignis uſumque habentibus. Tametſi enim veri-

tas

tas ſit mentis pabulum, non tamen omnis veritas tanti facienda, ut acriore animorum certamine debeat inveſtigari. 3. Cautiùs diſputationem ſcribit, qui nudas aſſertiones ponit, quàm qui eas prolixis probationibus munit, quia hoc pacto adverſarios ſuos armis inſtruit, dum occaſionem iis largitur, ſingulas probationes convellendi, infirmiores autem potiſſimum adoriendi. 4. Poteſt etiam interdum nomen authoris, à quo diſſentimus, in theſibus exprimi, verùm ita, ne iſta nominis deſignatio in ullius ignominiam cedat, ſed potiùs in honorem illius qui nominatur. Neque enim ullus amator veritatis ægrè fert opiniones ſuas impugnari, ſi id fiat rectè & ordine.

Cap. XVII.

Argumenta *theſibus probandis inſervientia alia dicuntur* inartificialia, *quæ petuntur à teſtimonio humano, communi aut proprio; alia* artificialia, *quæ ſumuntur è locis* Grammaticis, *ut ab etymologia & nomine &c.* Logicis, *ut ab univerſalibus, definitione, diviſione*; Metaphyſicis, *v. g. à Cauſis, Effectis &c. Regularum topicarum* limitationes *in analyſi Logi-*

ca Authorum tenendæ, ſed in geneſi certæ cognitionis natura ipſius rei ſpectanda eſt, cùm canones *iſti omnes ſaltem in applicatione ſint* incerti.

121. Quotuplicia ſunt argumenta theſibus quodammodo firmandis inſervientia? *Reſp.* Argumenta alia dicuntur *inartificialia*, quæ deſumuntur ab authoritate ſeu teſtimonio, alia *artificialia*, quæ petuntur è locis quibuſdam Grammaticis, Logicis, Metaphyſicis.

122. Quotuplex eſt *teſtimonium*? *Reſp.* Quamvis aliud divinum ſit, aliud angelicum, aliud humanum, hoc tamen ultimum ad probabiliter diſſerendum ſpectare ſolùm videtur. Habet autem vel multos auctores & approbatores, ut leges, fama, ſententiæ, proverbia; vel unum tantùm, ut propria confeſſio, experientia, jusjurandum; unde in commune & proprium dividitur.

123. Dentur canones à teſtimonio *communi. Reſp.* 1. Magis credimus toti cuidam univerſitati virorum doctrinâ celebrium, quàm uni aut alteri privato. 2. Longè magis rationi conſentaneum eſt, aliqua de re credere iis, quorum non intereſt mentiri, & qui ſunt plures numero, quam ei, cujus intereſt & qui eſt ſolus. 3. Quod tacito omnium conſenſu nititur, præ cæteris veriſimile eſt.

4. Plus

4. Plus fidei haberi debet uni, qui ſine mentiendi propoſito affirmat ſe aliquid vidiſſe aut comprehendiſſe, quàm mille aliis, qui id, quia videre aut comprehendere nequiverunt, inficiantur. 5. Circa ea, quorum veritas non facilè inveſtigatur, nulli rei minùs eſt credendum quàm multitudini ſuffragiorum. Conf. q. 82.

124. Enarrentur canones à teſtimonio *proprio*. *Reſp.* 1. Teſtimonium conſcientiæ magnam vim habet. Intellige conſcientiam alterius, qua tibi quid probabile redditur: nam tua tibi ſufficientiſſima rei demonſtratio eſt. 2. Artifici in ſua arte credendum eſt. 3. Pluris eſt oculatus teſtis quàm auritus. Hæc de argumentis, quæ ſine arte inveniuntur.

125. Quinam ſunt loci *Grammatici? Reſp.* Tales ſunt primùm ab etymologia & nomine, deinde à conjugatis h. e. à vocibus ſignificatione & literis convenientibus, terminatione autem differentibus: cujuſmodi ſunt juſtus, juſtitia, juſtè.

126. Dentur regulæ *ab etymologia & nomine. Reſp.* 1. De quo affirmatur etymologia nominis, de eo etiam nomen affirmatur: ut, Deus poteſt omnia. Ergo eſt omnipotens. 2. De quo nomen affirmatur, de eo etiam etymologia nominis: ut, omnipotens eſt. Ergo poteſt omnia. 3. De quo negatur

 ety-

etymologia nominis, de eo & nomen negatur, ut, non amat ſapientiam. Ergo non eſt philoſophus.

127. Dentur regulæ *à Conjugatis? Reſp.* 1. Affirmato uno conjugatorum affirmatur & alterum: ut, homo ſum. Ergo humani nihil à me alienum eſt. 2. Negato uno conjugatorum, negatur & alterum: ut, nihil præcipit. E. non eſt præceptor.

128. Qui loci dicuntur *Logici? Reſp.* Illi qui petuntur ab univerſalibus, à definitione, à diviſione.

129. Dentur canones *ab univerſalibus. Reſp.* 1. Quod universè de *genere* affirmatur vel negatur, id etiam affirmatur vel negatur de ſpeciebus: ut, omne animal eſt mortale. Ergo & homo eſt mortalis. Nullum ens ſimpliciter eſt malum. Ergo nec venenum. 2. Sublato genere tollitur ſpecies: ut, non eſt animal. Ergo nec homo. 3. Poſita *ſpecie* ponitur genus: ut, Petrus eſt homo. Ergo eſt animal. 4. Sublatis omnibus ſpeciebus tollitur genus: ut, non eſt beſtia, nec homo. Ergo nec animal eſt. 5. Quod affirmatur vel negatur de omnibus ſpeciebus, id etiam affirmatur vel negatur de genere. Exemplum habes Log. I. 163. 6. De quo affirmatur vel negatur *differentia*, de eo & ſpecies affirmatur vel negatur: v.g. pygmæus eſt rationalis. Ergo eſt homo. Simia non eſt rationalis.

lis. Ergo non eſt homo. 7. De quo affirmatur vel negatur *proprium* eſſentiam neceſſariò conſequens, de eo etiam eſſentia ipſa affirmatur vel negatur: ut, Æthiops poteſt articulatè loqui. Ergo eſt homo. Cornix non poteſt articulatè loqui. Ergo non eſt homo.

130. Dentur Canones *à definitione*. *Reſp.* 1. De quo affirmatur vel negatur definitio, de eo quoque definitum affirmatur vel negatur, & vice verſa: Eſt animal rationale. Ergo eſt homo. Sol non eſt ens ſummè perfectum. Ergo non eſt Deus. 2. Quod affirmatur vel negatur de definitione, id etiam de definito: ut, animal rationale eſt intelligens, at non omniſcium. Ergo & homo eſt intelligens, at non omniſcius.

131. Dentur Canones *à diviſione*. *Reſp.* 1. Cui in plena diviſione nulla pars dividens convenit, ei nec diviſum convenit: ut, omnis ſubſtantia aut eſt res intellectualis aut materialis. Punctum non eſt res intellectualis nec materialis. Ergo punctum non eſt ſubſtantia. 2. Cui diviſum convenit, ei etiam una ex partibus dividentibus convenit: ut, omne animal eſt homo vel beſtia. Leo eſt animal. Ergo Leo eſt homo vel beſtia.

132. Quinam ſunt loci *Metaphyſici*? *Reſp.* Qui ſumuntur à Cauſis, Effectis, Fine, Mediis, Toto, Parte, Oppoſitis, & ſimilibus,

quæ attigimus Log. I. cap. 6. Huc pertinent multi ac varii canones, exempli cauſâ: qualis cauſa, talis effectus. Quod eſt cauſa cauſæ, etiam eſt cauſa cauſati. Poſito effectu, ponitur cauſam efficientem eſſe aut fuiſſe. Poſito fine ponuntur media ad finem. Poſito toto ponuntur omnes partes principales. Oppoſitorum prædicata ſunt oppoſita, &c. Verùm hæc & ſimilia axiomata longè præſtat ex ipſa Metaphyſica ſeu Ontoſophia, in qua fundantur, petere, quàm in Logica reponere, à doctrina notionum ſimplicium, cauſæ, effecti, finis, oppoſiti &c. avulſa. Nam qui ſimplicium iſtorum thematum affectiones & relationes ex Ontoſophia didicerit, ei jam notiſſima ſunt ejuſmodi effata; qui illas inde non didicerit, ei nec hinc poterunt hæc ſatis innoteſcere.

133. An verò nullæ *limitationes* ſuperiùs enarratis canonibus adjiciendæ? *Reſp.* Dialecticus Geneticus iis utitur tanquam rationibus probabilibus: quod autem fallant interdum, illi quidem perinde eſt. Sed Analytico, qui alieni dicti aut ſcripti veritatem inveſtigat, limitationes ejuſmodi, ut & fallaciæ in argumentationibus dialecticis occurrentes, debent eſſe perſpectæ. Et nos jam Geneticæ Logicæ finem proſpectantes ad Analyticam properamus. Cùm enim Logica tota accuratæ potiùs, quàm popularis notitiæ comparandæ

randæ cauſâ inventa fuerit, Log. I. 5. cumque acroamaticus tradendi modus longè ſit exoterico anteponendus, ex q. 20. 21. 22. de argumentis dialecticis fuſiùs tractare operæ pretium non videtur. Nec ſanè utile eſt, ad illas inventionis topicæ claſſes aſſuefacere auditores, dum enim in tot locos communes & capita, quæ rei extima ſunt, divertunt ac digrediuntur, ex opinione doctrinæ inde acquiſitæ, quæ tamen proletaria tantum eſt, facilè ſuperbiunt, atque interim ab intima rerum conſideratione, quæ ſola præſtat accuratam notitiam, abſtrahuntur. Reſpice Log. I. 38. ſeq.

134. Sed cùm inter prolatos canones topicos etiam certiſſimi ſint, qualis ille: *de quo affirmatur vel negatur definitio, de eo quoque definitum* &c. q. 130. non videntur omnes pariter contemnendi. *Reſp*. Etiamſi nonnulli canones, videl. qui à definitione, à cauſa, à toto &c. petiti, tales ſint, ut de eorum generatim enunciatorum veritate mens dubitare nequeat, de eorum tamen *applicatione* ad quæſtionem res manet controverſa, nempe an ea, quam ponit Dialecticus, ſit vera illius rei definitio, an ea cauſa, an id effectum, totum, pars, quod niſi vel ultrò concedat adverſarius, vel ex rei ipſius conſideratione & natura intima educere poſſit Diſputator, ne quidem hilum proficiet ſuâ regulâ; ſin poſſit

inde deducere, non nugabitur ſic diſputando è loco communi, ſed demonſtrabit è natura rei ſibi perſpecta. Quòd ſi ergo iſtæ tales regulæ (vulgò dicuntur Maximæ) quarum tamen paucæ ſunt, tam parvi, cùm ad rem ventum, roboris eſſe deprehenduntur, ubi manebunt reliquæ, quæ pleræque omnes pendent vel ab accidente aliquo & relatione externa, vel à voce aut notione ab hominibus ad arbitrium conficta, ut non poſſint non eſſe ipſæ lubricæ ac diſputabiles: cùm & diſputari queat, an vox illa rectè impoſita, an definitio aliave notio rectè formata, an is ſenſus verborum, quibus effertur, an rectè applicata propoſitio, &c. Ex quibus omnibus concludimus, omnes rationes & objectionum ſolutiones, quæ ex intima ipſius difficultatis conſideratione erui non poſſunt, ſed ab externa ſolum locorum iſtorum inſpectione petuntur, ferè ſemper eſſe futiles & ineptas. Neque alia de cauſa illorum ſpecimen hoc capite exhibuimus, quàm ut plurium, qui magnum eruditionis Logicæ theſaurum, imò proram & puppim rectæ ratiocinationis in iis ponunt, opinionem infringeremus.

135. Nullumne igitur *uſum apparatus dialectici* eſſe concedis? *Reſp.* Vſum in levioribus præludiis do, in decretoriis præliis nego, do ad illuſtrandum, nego ad evidenter convincen-

cendum, do in populari converſatione, nego in diſciplinarum traditione, do uſum rationibus dialecticis demonſtrationi ſociatis, nego ſeparatis ac ſolitariis. Quæ igitur ſuprà de uſu diſputationis ac dialecticæ facultatis quæſtionibus 20. 21. 114. 115. uberiùs dicta fuere, ea ne nunc quidem in dubium revocamus.

LOGICÆ

PARS TERTIA,

De Vero Orationis obſcuræ ſenſu inveſtigando.

CAP. I.

Logicæ Geneticæ, *duabus partibus hactenus expoſitæ, neceſſariò* addendam eſſe Analyticam. *Quis hoc loco dicatur* Analyticus. *Quòd primum in hac Analyſi eſſe debeat* veri ſenſûs inveſtigatio, *quòd hujus inveniendi causâ præcepta tradenda in Logica, & quæ ſummatim ea ſint.*

1. QVi rationem rectè formandi cogitationes ſuas ex Logicæ parte *prima*, qui aliis quoque dextrè eas explicandi modum ex parte *ſecunda* didicit, nunquid ille perfectus & conſummatus merito ſuo haberi poteſt Logicus? *Reſp.* Equidem non eo inficias, poſſe à tali hujus nominis decus

decus impleri; ſed quia, ut cogitationes noſtras de rebus ad bene beateque vivendum cognitu neceſſariis rectè formare, aptéque aliis explicare diſcamus; (confer Log. II. 31.) non modò res ipſæ in ſeſe conſiderandæ, verùm etiam alii de rebus publicè privatimque loquentes audiendi ſunt, ac divina ſæpe & humana monumenta adeunda, deque innumeris rebus conſulenda, quas vel nullo modo, vel difficulter admodum, niſi illorum beneficio, ſcire datur aut eloqui, cujuſmodi ſunt res inter homines ab hominibus Deoque extra ordinem geſtæ, aut revelatæ, linguæ, antiquitates &c. vide & Log. I. 191. idcirco de alienis dictis ac ſcriptis cognoſcendis ac reſolvendis ſollicitus quoque eſſe debet Logicus, & hac de cauſa idem *Analyticus* cognominatur.

2. At nunquid in poſteriori Logicæ Geneticæ parte paſſim ille Analyticus appellatus fuit, qui non, ut Dialecticus, in diſſerendo, ſed in docendo verſatur? *Reſp.* Ibi Analyticus dicebatur, qui naturam rerum intimam perſcrutatus doctrinas ei conſentaneas è mentis ſuæ theſauro promit: hîc verò talis vocatur, qui alterius dicta vel ſcripta cognoſcendi veri ſtudio rimatur ac reſolvit. Nam carpendi quidem ac refutandi tantùm animo libros legere, quæ prava vulgò obtinet conſuetudo, Calumniatoris potiùs eſt

quàm Analytici. Eſt itaque *alia natura*, *alia authorum analyſis*, ſicut alia eſt naturæ (& rerum animo conceptarum) alia authorum (externo ſermone cogitata ſua nobiſcum communicantium) interpretatio. Confer Log. II. 3.

3. Quid autem in analyſi, de qua hoc loco agitur, omnium primum eſſe oportet? *Reſp.* Cùm nefas ſit judicare de eo, quod non perceperis, ante omnia id agendum, niſi velis ab ipſa janua aberrare, ut percipiatur, quænam ſint cogitationes illius, qui nobis loquitur, ſive quæ dictorum ſcriptorumve germana & menti dicentis congrua ſignificatio ſit, quis ſenſus verborum genuinus. Proinde etiam atque etiam notandum eſt, ut abſque omni præjudicio ad cujuſque ſcriptoris analyſin accedentes non detrectemus *priùs eſſe diſcipuli quàm cenſores*, nempe ut priùs intelligamus ea quæ proponuntur, quàm approbemus aut improbemus. Nam qui talem animum ad humana ſcripta legenda affert, ut magnificè nimis de authore ſentiendo putet eum cæſpitare nunquam poſſe, facilè errata ejus non animadverſa ipſe imbibit, aut omnia in meliorem ſenſum torquendo ſæpe fruſtra ſe fatigat. Contrà, qui ſiniſtram habens de authore opinionem ad eum impugnandum ſe accingit, (quò etiam inanis gloriæ cupiditas nonnullos impellit) quoniam avocat ſeipſum à ra-

à rationibus, quę attentis lectoribus rem perſuadent, conſiderandis, ut alias quæ diſſuadent inveniat, minus redditur idoneus ad ſcriptorem intelligendum. Quòd ſi igitur etiam diſceptare voles cum alio, primo ſollicitè admodum explorabis, quid in quæſtione verſetur ſeu quiſnam ſit *ſtatus controverſiæ*, quæ mens adverſarii, tum ne temetipſum, aëra diverberando, peritiorum ludibrio exponas, tum ne antagoniſtam injuria afficias. Hoc enim *commune eſt calumniatorum vitium*, primò quidem aliis affingere quod non ſentiunt, ac deinde, quaſi ſentirent, eos inſectari.

4. Sed an opus illico eſt ad mentem ejus, qui nobis loquitur, aſſequendam verumque orationis ab eo prolatæ ſenſum cognoſcendum, ad Logicam confugere, & ab ea hunc in finem præcepta poſtulare? *Reſp*. Siquidem cum *præſente* res nobis eſſet ſemper, coràm rogare liceret, quo in ſenſu verba ſua accipi vellet: nunc, quia cum *abſente* aut mortuo plerumque agitur, cujus ſcripta oculis noſtris obverſantia, vel dicta ab aliis relata, ſæpe non ſunt talia, ut ſenſus eorum per ſe ſtatim fiat evidens intellectui noſtro, hinc Logicæ eſt, rationes & modos præſcribere veri ſenſus orationis obſcuræ inveſtigandi & à falſo diſcernendi. Quippe & hic modus ſciendi eſt, adeoque à Logica, quæ *modus ſcientiæ* dicitur, haudquaquam alienus.

5. Quænam igitur ſummatim requiruntur ad verum orationis obſcuræ ſenſum inveniendum? *Reſp.* Cùm ſermo externus conſtet ex vocabulis, ut *ſenſus* ejus percipiatur, priùs *vocabulorum ſignificatio* indaganda; & quia ſignificatio & ſenſus conſiſtunt in ſermonis & verborum cum rebus ſignificatis & cum mente authoris congruentia, ſpectandus quoque eſt *author* ipſe, & *ſcopus* loquentis, & *res de qua loquitur*, aliæque *ſermonis circumſtantiæ*; denique ad iſta omnia debito modo cognoſcenda opus eſt, præter videndi atque audiendi facultatem, promtâ *memoriâ*, nec non auſcultatione & lectione *diligente*. De ſingulis horum ordine agemus, ab ultimo initium facturi, in primo deſituri.

CAP. II.

In legendis ſcriptoribus attentionem & memoriam juvant *Logica analyſis*, *index*, *epitome*, *diaria & loci communes*. *Hujuſmodi* libri ſecundarii *ad* primarios, *tanquam rivuli ad fontes, ducere, non ab iis abducere debent; cùm non è ſententiis præſtantium authorum ſingulis, quæ exſcribuntur, ſed ex toto orationis corpore potiſſima hauriatur*

ſa-

ſapientia; *nec melius* authoris intelligendi adminiculum *detur*, *quàm* jugis lectio & auſcultatio, *quæ duo eruditionis amanti conjungenda ſunt*: *nec tamen pari diligentia libri quilibet evolvendi*; *melioris quidem notæ trina minimum lectione dignandi.*

6. Facilè agnoſco ex cauſis alibi dictis, in analyſi ſcriptorum opus eſſe attentione, neque me fugit memoriam deſiderari ad ea retinenda, quæ vel ad uſum noſtrum faciunt, vel ad ſequentia in ipſo authore intelligenda ac dijudicanda conducunt: ſolùm hic ſcire aveo, ſintne peculiaria quædam in lectione librorum firmandæ *attentionis ac recordationis adminicula? Reſp.* Huc pertinent 1. annotationes, quæ fiunt in libris authorum, dum verba obſervatu digniſſima *ductâ lineolâ vel aſteriſcis* in margine poſitis ſignantur. Præſtat autem ejuſmodi lineolas & aſteriſcos diverſi, quàm ejuſdem eſſe coloris. 2. brevis authoris *analyſis*, vel in epitomen aut ſummam *contractio*, aut in *tabulas*, quibus omnia ſimul & ſemel oculis ſubjiciantur, reductio, aut denique *indicis*, præcipua rerum & verborum capita continentis, conſtructio. 3. authoris *deſcriptio*, aut ex una lingua in aliam *verſio*, quam quò diligentiùs adornamus, eò diutiùs authori inhæremus, ex Log. I. 192.

7. Sunt

7. Suntne verò alia hujuſce generis adminicula, attentionem & memoriam etiam in plurium lectione ſcriptorum promoventia? *Reſp.* Præclarè dicta hinc inde ſunt *excerpenda*, & deſcribenda vel confusè in tabulis tumultuariis, quas *diaria* & *adverſaria* vocant, vel in ordinata locorum communium digeſtione.

8. Quid ſunt *loci communes* & quæ eorum eſt digeſtio? *Reſp.* Sunt tituli rerum ad unam pluresve diſciplinas pertinentium, ordine vel propriâ induſtriâ excogitato, vel ab aliis præmonſtrato, collocati, & vel ſecundùm literarum Alphabeti, vel ſecundùm ipſarum rerum magis naturalem ſeriem congeſti, ut quæcunque audiuntur ac leguntur notatu digniora, illico ad unum aliquem ex iſtis titulis referri queant: v. g. in locis communibus Ethicis facies titulos de Virtute, de Vitio, de Fortitudine, Temperantia, Liberalitate &c. Hujuſmodi communes loci ad inventionis copiam, memoriæ ſubſidium, mentis omnia circumſpicientis ac deligentis formandum judicium faciunt plurimum.

9. Quænam *generaliter de locis communibus*, *compendiis*, *indicibus* & ſimilis farinæ ſcriptis obſervanda? *Reſp.* Primò quidem annotata & excerpta frequenter ſunt relegenda, & quacunque data occaſione tum augenda, tum ad uſum applicanda. Deinde, cùm hu-

hujuſmodi libri ex variis aliorum authorum ſententiis conflati ſint, in hunc præcipuè uſum referre eos oportet, ut *juvent ad illa interdum in memoriam revocanda*, quæ antea didicimus ex libris primariis, unde fuerunt exſcripti. Nam qui fontibus neglectis ad rivulos iſtos tantùm accedunt, non niſi turbidas aquas inde hauriunt, nec ullam veram eruditionem conſequuntur. Quicquid enim præcipui eſt in ſcriptis præſtantium ingeniorum, non in hac aut illa ſententia, quæ poſſit exſcribi, continetur; ſed ex integro corpore orationis exſurgit, neque id ſtatim ex prima lectione, ſed paulatim ex frequente & ſæpius iterata non advertentes addiſcimus, & tanquam in proprium ſuccum convertimus. Nec ſanè melius ad verum ſenſum inveniendum & fructum inde percipiendum excogitari quicquam poteſt, quàm ſi *jugi ſcriptoris lectione, vel aſſidua docentis auſcultatione, illius ſtylo & loquendi modo aſſueſcamus*, eundemque iſta ratione familiarem nobis reddamus. Denique quemadmodum boni interpretis eſt, rationum ſeriem & nexum omni adhibitâ diligentiâ comprehendere: ita Cavillatoris eſt in ſingulas tantùm clauſulas, à reliquo tractationis corpore avulſas, argutari.

10. Satiuſne autem eſt in authoribus legendis, an verò in doctoribus audiendis occupari? *Reſp.* Quamvis eundem ex *bonorum librorum*

lectione

ctione, quem ex colloquio magnorum virorum, qui eos compoſuerunt, fructum reportemus, ac fortè etiam aliquantò majorem, propterea quod non quaſcunque obvias, ut in familiari colloquio, at ſelectiores tantùm cogitationes ſuas ſcriptis ſolent exprimere; attamen probè tenendum eſt, veram eruditionem non à ſolis libris pendere, ſed etiam (pręterquam quòd privatam imprimis meditationem, variumque rerum uſum & experientiam deſiderat) *virorum praſtantium familiaritate atque inſtitutione* tum publica tum privata comparari. Et publica quidem auditoria tantò ſtudioſiùs frequentanda, quantò vivæ vocis, præcipuè in publica inſtitutione, efficacia atque ἐνέργεια major deprehenditur. Hinc enim eſt, quòd Deus ipſe viva prædicatione verbi ſui Eccleſiam velit erudiri. Confer Log. II. 17.

11. Lectionis atque auſcultationis divortium non eſſe faciendum intelligo, poteſtne verò quadamtenus definiri, quot vicibus iterari debeat unius ejuſdemque authoris lectio? *Reſp. Non omnes libros promiſcuè*, ſed bonos duntaxat atque utiles diligenter legendos eſſe ſatis aliunde conſtat, vide ſolùm Log. I. 2. Et quia librorum copia in orbe terrarum nimia eſt, ne quidem omnes boni pari induſtria evolvi debent aut poſſunt, cùm ut plurimùm ſufficiat generatim noviſſe, qui authores qua

de

de materia ſcripſerint, ut, ſicubi noſtra interſit, uſum præbere valeant propiùs inſpecti & conſulti. Quicunque autem ſcriptor præ cæteris ſtudium atque attentionem meretur, is *trina minimùm lectione perluſtrandus*. Nempe 1. percurratur liber totus uno quaſi ſpiritu, ut ſummatim cognoſcatur quibus de rebus tractet, attentio verò ne fatigetur, nec difficultatibus ullis inhæreatur. 2. accuratiore lectione liber integer repetatur ad cauſas & rationes rerum in eo traditarum ſedulò attendendo, & loca in quibus difficultates occurrunt annotando. 3. reſumatur idem liber ad omnia iterum, ſed paulò celeriùs, relegenda, & ad obſervandum, ſintne difficultates plurimæ jam ſublatæ, aut quænam adhuc ſuperſint. Sic tandem omnes frequentiore relectione aliorumque cum aliis collatione inſtituta diſſolventur.

CAP. III.

Vt ſenſus orationis inveniatur primò habenda eſt ratio Authoris loquentis, *ut ſua cuique ſecundum juſtitiæ legem ſententia tribuatur. Cognoſcitur ille tum ex ipſo ſcripto, tum è teſtimonio ſuo aut alieno, tum è titulo, niſi falſus hic fuerit. Deinde videndum,* ad quem ſer-

ſermo dirigatur, *& quomodo conveniat Authori talis perſonæ intuitu loqui.*

12. Cur ad verum orationis obſcuræ ſenſum eruendum prodeſt notitia authoris, materiæ, ſcopi, loci & temporis, ſimiliumque circumſtantiarum, cùm hæc omnia *extra orationem poſita* eſſe videantur? *Reſp.* Quia tum demum perfectè cognoſcitur effectus, cùm cauſa ejus efficiens, & omnia ad eum efficiendum concurrentia intelliguntur. Jam verò author eſt cauſa efficiens orationis ſuæ, atque ad hunc effectum producendum reliquæ circumſtantiæ concurrunt.

13. Quid igitur hic primò inquirendum? *Reſp.* Quis ille ſit *qui loquitur*, Deus, an homo; principalis author, an miniſter & amanuenſis; præceptor, an diſcipulus; popularis dialecticus, an doctor analyticus &c. Bonum namque Interpretem ſcire decet non modò quæ verborum propoſitorum ſit ſententia, ſeu *quid ſentiatur*, verùm etiam cujus ſit ſententia, ſeu *quis ita ſentiat*; ne more Calumniatorum lapſus interpretis authori, errata diſcipuli præceptori, unius fortè doctoris opinionem toti eccleſiæ, menda typographica aut librarii incuriam ipſi ſcriptori attribuat. Quædam inconvenientia videntur, ſi conſiderentur ut enunciata ab *homine*, ſed commodum

modum ſenſum habent, ſi ſpectentur ut verba *Dei*; & contrà. Itaque in Bibliis accuratè dignoſces, utrum ipſa S.Scriptura loquatur, an verò alius quis in ea introducatur loquens. Nonnulla enim rectè intelligi nequeunt, niſi conſiderentur tanquam ab impiis, aut certè ab aliis, quàm à Deo, dicta. Ex adverſo abſurdum judicares hominem, qui alteri diceret, jubeo te credere, cùm fides perſuadeatur, non imperetur, & tamen hujuſmodi vocem ab ore Dei profectam 1 Joh. III. 23. minimè abſonam arbitraberis, cùm ſolius Dei ſit, pro arbitrio dominari conſcientiæ.

14. Unde autem diſcitur cujuſmodi ſit author? *Reſp.* Primò quidem id animadvertitur ex variis *notis ipſi ſcripto impreſſis*, quibus author ſemetipſum indicat: ſic ex notis divinitatis in S. Scriptura relucentibus Deum illius authorem eſſe probant Theologi. Ita ſcriptorem dialecticum ab analytico facilè diſcernes, ſi obſervaveris, quibus ſecundæ Logicæ partis regulis ſermonem conformaverit. Deinde agnoſcitur author *ex proprio ſuo teſtimonio*, nimirum ſi alibi librum citet ut ſuum. Tùm *ex aliorum* teſtimonio, qui id ſcire poſſunt, ac de quibus non licet ſuſpicari, quòd velint fallere. Denique *ex titulo* & inſcriptione, ſive à ſcriptore ipſo, ſive ab editore profecta fuerit, niſi falſitatis ea convinci queat.

15. Unde

15. Unde ergo, ut ſcripta ſpuria diſcernam à legitimis, *falſam eſſe inſcriptionem* æſtimabo? *Reſp.* 1. Ex lingua & *modo loquendi*, exemp. causâ. ſi author tali lingua utatur, vel eas phraſes ac verba uſurpet, quæ illi ſeculo, quo ſcripſiſſe perhibetur, non conveniunt: ita probant viri eruditi libros illos, qui Mercurii Triſmegiſti nomine circumferuntur, non eſſe illius antiqui, qui Ægyptiis leges & literas tradidit, quia phraſes & verba in illis occurrunt à veteri Græcæ linguæ conſuetudine diverſa. 2. ex *pugna cum aliis authoris ſcriptis*, quod argumentum falſæ inſcriptionis in humanis libris eſt probabile tantùm; ſed in divinis certum, cùm Deus ſibi contradicere non poſſit, at poſſit homo. 3. ſi ex *hiſtoria* & chronologia, vel ex quocunque teſtimonio ſcriptoris fide digni oſtendi queat, non eſſe eum authorem libri, cujus nomen præfigitur.

16. Quid ſecundo loco ratione Authoris eſt conſiderandum? *Reſp. Quos alloquatur*, videlicet, an quoſlibet promiſcuè, an verò certos aliquos rei, de qua loquitur, ſtudioſos, ſuperiores, an inferiores, diſcipulos, an adverſarios, &c. Sic Chriſtus aliter agit cum *Phariſæis* juſtitia legali turgentibus, aliter cum aliis. Et ſenſus quidem faciliùs in ejuſmodi conſideratione invenietur, ſi expenderis, quid & quomodo conveniat illi dicere, qui talem per-

perſonam compellat. Sic qui *ad virum magnæ authoritatis* & ſibi valde reverendum ſcribit, non dubium eſt, quin magis ſerius & verax eſſe laboret, quàm ſi ad alium literas exararet. Sic qui *Philoſophis* ſcribit, horum linguâ loqui, nec vocabula in alia ſignificatione, quàm quæ apud eos recepta eſt, uſurpare velle creditur. Ita diſtinguendum eſt inter modos loquendi de Deo *ad vulgi ſenſum* accommodatos, & veritatem ad homines promiſcuè relatam continentes, quibus Sacræ Literæ uti ſolent, humanos affectus Deo adſcribentes, & alios magis nudam veritatem, nec ad vulgus hominum relatam, exprimentes, quibus utendum eſt in Metaphyſicis ad erudiendos *ſcientiæ hujus filios*. Et ſemper in ſenſu verborum Dei percipiendo tenenda regula, ut, quæ dicuntur de Deo ἀνθρωποπαθῶς, contemplatione hominum, ad quos ſermo dirigitur, intelligamus θεοπρεπῶς reſpectu ejus, qui de ſe loquitur. Denique non raro inter diſceptandum tela *ab adverſario* intorta in caput ejus retorquentur, & multa interdum ex fervore dicuntur, ad par pari reddendum, quæ non ſunt accipienda quaſi didactica eſſent & abſolutè prolata.

CAP. IV.

Conſideratis circumſtantiis perſonarum,

ad ſenſum orationis eruendum porrò attendenda venit materia,*de qua agitur*, finis *&* *ſcopus*, animus *item loquentis, nec non lingua ejus &* ſtylus, *denique* ubi & quando *loquatur*.

17. Quid tertium eſt in ſermonis circumſtantiarum conſideratione? *Reſp.* Animadvertendum eſt, *quid author loquatur*, h. e. res de qua agitur inſpicienda, cùm verba, ut habet canon Hermeneuticus,intelligenda ſint ſecundum ſubjectam materiam. Perpende igitur, quid conſentaneum ſit eum ſentire & loqui, qui de tali materia tractare velit, & qualem tractandi modum hæc ipſa admittat aut requirat. Vide, num de re quapiam agatur generatim & in abſtracto, an ſpeciatim & in concreto, an abſolutè ſpectetur,an verò ad aliud quid referatur, & quodnam ſit illud correlatum. Ita cùm in Sacris pauci dicuntur electi, & tamen alibi, multi venturi ab oriente & occidente, intelliges multos quidem ſi *per ſe* conſiderentur, paucos verò *comparatione* reproborum. Sic Paulus 1 Cor. IX. 22. factum ſe dicens omnia omnibus, non hoc vult, quòd apud gentes factus idololatra, apud Iudæos in Chriſtum blaſphemus;ſed cùm ibi ſermonem inſtituerit de adiaphoris, de materia illa ſubjectâ verba intelligi debent; ut,

ut, quòd comam apud Corinthios aluerit, apud Judæos depoſuerit.

18. Quid quarto loco conſiderandum? *Reſp. Cur author loquatur* h. e. quis finis & ſcopus ejus ſit, nunquam enim præter ſcopum dicentis verba ſunt accipienda. Inquire ergo, qua occaſione motus, qua cauſa impulſus, quo conſilio & propoſito talia ſcripſerit. E.g. cùm S. Scripturæ finis ſit, ut nos erudiat ad ſalutem in Chriſto, non mirum eſt, quòd multa omiſerit ad Phyſicam aliaſque diſciplinas è naturæ lumine cognoſcendas pertinentia, & quòd Moſes multò fuſior atque accuratior fuerit in deſcriptione Tabernaculi, quod repræſentabat Eccleſiam, quàm in delineatione creationis Mundi, quæ totum ſpectabat rerum univerſum.

19. Sed unde *cognoſcitur conſilium authoris? Reſp.* Scopus authoris, ut & materia, de qua agitur, frequenter ex titulo vel procemio libri nobis innoteſcunt. Ita qui in titulo & exordio libri demonſtrationes de Dei exiſtentia promittit, non eſt cur cum Atheis ſentire putetur, etiamſi eorum argumenta recenſeat. Imò ſi horum opiniones eo tantùm fine referat, ut refutet, iniquus calumniator ſit, qui propterea ipſas ejuſmodi ſcriptori ut ſuas tribuerit.

20. Eſtne aliquid *de titulis* hoc loco ſpecialiter obſervandum? *Reſp.* Cùm inſcriptio

rarò poſſit exprimere omnia, ſed plerumque *à potiori* tractationis parte deſumatur, calumniator eſt, qui nihil admittere vult in libro, quod non fuerit in titulo notatum. Et cùm propter diverſas materias, aut fines authori propoſitos in eodem tractatu differentes, *nunc hic nunc ille titulus* imponi poſſit eidem libro, cavillator eſt, qui inde authorem, velut in horas mutabilem & inconſtantem, ſugillandi ſumit occaſionem. Ita qui de animæ humanæ à corpore *diſtinctione* ſic tractat, ut illius quoque *immortalitas* inde cognoſcatur, modò hunc, modò illum ſcripto ſuo titulum indere poteſt, prout vel hic vel ille lectores magis videtur ad legendum invitare. Iis enim nos accommodamus in talibus, ex Log. II. 26.

21. Quid eſt quintum in circumſtantiarum inquiſitione? *Reſp.* Ut exploretur, *quo animo & affectu author loquatur*, ſerione & ex animi ſententia, nec ne; utrum ex profeſſo & inſtituto, an per occaſionem & ex incidenti; num ſcenæ ſerviens aut foro, an verò in pectore ſic ſentiens; ſub alienâ perſonâ, an ſuâ; exercitii causâ, an docendi gratiâ; utrùm ſuo, an alieno arbitrio ſic ſcripſerit; an per modum aſſertionis, vel objectionis, vel reſponſionis ad objectionem ita prolatam aliquid proponat; utrùm agat de rebus, ut revera ſunt, an verò de iiſdem, ſecundùm opinionem au-

ditorum mente apprehenſis, &c. Ita Johannes ſe negat eſſe Eliam, Joh. 1. 21. ſcilicet illum, quem ſibi Judæi opinionis errore finxerant. Facile etiam hujus libri lectores attenti obſervabunt, quomodo animi ſenſus certis loquendi modis ſubinde aperuerim, ut Log. I. 4. ſolet. 29. ſpectatur. 88. vocatur. 99. vulgaris. 119. vulgo in ſcholis, &c. Sic in Philoſophia diſtingue, quæ *dubitans* author loquitur ab iis, quæ *decernens*, quæ *modeſtiæ* causâ ab iis, quæ ut Philoſophus *cordatè* definit, quæ *vulgo indulgens* ipſius ore effert ab illis, quæ *in rigore philoſophico*, quæ de accuratè *perſpectis* ab iis, quæ de nondum examinatis aut ſaltem *nondum penetratis*. Ita lectores Ariſtotelis obſervant, quòd in libris exotericis, atque ubi in tranſitu & perfunctoriè aliquid dicendum, vulgares ſequi opiniones ſoleat. Et in aliis eximiis ſcriptoribus ſimilia exempla occurrunt ſine numero, in quibus *calumniatores* ita verſantur, ut modeſtiæ causâ dicta quaſi precariò ſumta vel dubia mente prolata interpretentur, & quæ author ſine ullo aſſenſu conſideranda propoſuit, cum iis quæ affirmavit, quæ deliberandi atque inquirendi animo, cum iis quæ decidendo atque aſſerendo pronunciavit, & reliqua, quæ bono interpreti diſcernenda monuimus, confundant, quandoque etiam calami properantis vitia pro deliberata animi aberratione ſumentes.

 22. Quid

22. Quid ſextum eſt in ponderandis orationis circumſtantiis? *Reſp. Quâ linguâ & ſtylo utatur author*, nam vel vernaculâ & ſuâ, vel peregrinâ & exoticâ loquitur: & aliter ſæpe ſe habet authoris autographum, aliter interpretis verſio. Porrò quod aſperum & incultum in una lingua, in alia ſatis quandoque auribus acceptum. Inſuper duæ negationes affirment an negent ſcire vis, conſidera quo idiomate author ſcripſerit, & videbis, id quod apud Latinos ſæpius affirmat, apud Græcos & Germanos fortiùs etiam negare.

23. Eſtne regula hîc aliqua Hermeneutica præ cæteris notanda? *Reſp.* Ut ſenſus authoris innoteſcat, longè *præſtat eum ſuâ linguâ loquentem legere, quàm verſum in alienam*; ſemper etiam potiùs inſpicienda ſunt autographa, quàm apographa; & quia hæc etiam paulatim vitiantur, prima ſunt præferenda poſtremis. Sic divini verbi ſententiam ex linguis authenticis, Hebræa & Græca, multò rectiùs percipere licet, quàm ex verſionibus Gallicis, Germanicis, &c. Nam ex interpretationibus variis illa ſemper optima judicanda eſt, quæ ad mentem ejus, qui primùm locutus eſt vel ſcripſit, quam proximè accedit.

24. Unde autem *cognoſcitur ſtylus authoris* & forma elocutionis? *Reſp.* Oportet attendere 1. *ad quem ſermo* inſtituatur, nam qui v. g. ad ſervos & ſubditos Laconico, ad pa-

res aut ſuperiores loquens fortè Aſiatico vel Attico ſtylo utitur. Vide & ſupra q. 16. 2. *ex qua gente author* ſit natus; ſic in Livio obſervata fuit quædam Patavinitas, & hodie in Germanis Latinè ſcribentibus Germaniſmi, in Gallis Galliciſmi notantur. 3. *quo ſeculo* quave ætate vixerit, e.g. multò aliter loquebantur Germani tempore Ottfridi monachi, qui primus euangelia in teutonicam linguam vertit, àliter tempore Lutheri, & in multis aliter hodie; cujuſmodi mutationes multò magis in Gallico idiomate deprehenduntur. Sic *priſci philoſophi* ſoliti fuerunt velare ſententias ſuas ænigmaticis & allegoricis obſcuritatibus, quas ſucceſſores aliqui eo ſenſu, quem primo adſpectu præ ſe ferunt, arripientes ſæpe calumniæ propiores, quàm veræ interpretationi fuerunt, aut ſaltem minùs fideliter eas nobis retulerunt, & vulgo inviſas reddiderunt. 4. *quem ob finem ſcripſerit*, nam ob diverſos fines ſtylus nunc eſt hiſtoricus, nunc ſatyricus, nunc humilis, nunc ſublimis, nunc acroamaticus, nunc exotericus. 5. *quos præceptores* in humanioribus literis aliiſque diſciplinis potiſſimum imitetur: ſic aliter loquuntur Eccleſiæ Patres Platonici, aliter Scholaſtici Ariſtotelici, aliter hodie ſcholaſticæ philoſophiæ ignari vel oſores, aliter Galenici, aliter Chymici de rebus ad medicinam ſpectantibus, &c.

25. Quæ præterea ſunt orationis perpendendæ circumſtantiæ? *Reſp.* Septimo & poſtremo loco attendere oportet, *ubi & quando author loquatur*, nam loci etiam ac temporis circumſtantiæ ad verum ſenſum inveſtigandum haut rarò adjuvant, præſertim ubi de rebus ad Geographiam aut Chronologiam pertinentibus ſermo habetur. Et hîc hiſtoriam ſcriptori, quem interpretari animus eſt, coævam adire & conſulere neceſſe eſt. Ita qui vult Patres intelligere, noſſe debet hiſtoriam illorum temporum; & qui calumniantur *Ariſtotelem*, quòd exemplis ac vocabulis Mathematicis uſus fuerit in Logica, ordinem inſtituendi juventutem eo tempore uſitatum attendere negligunt. Præterea huc facit illud Theologorum ex Auguſtino decantatum: *diſtingue tempora, & concordabit Scriptura*. Ita propter diverſitatem temporis non pugnant illa Chriſti Matth. x. 5. in viam gentium ne abieritis, & Matth. ult. euntes docete omnes gentes. Nec adverſantur præcedentium Logicæ partium præcepta & exempla iis, quæ decernam in parte ultima, quoniam in hac cum perfectiore Logico, in illis cum tirone inprimis rem mihi eſſe volui, reſpiciens ea, quæ de ætate & profectibus docui Log. I. 7. 9.

CAP. V.

Superioribus prælibatis orationem ipſam examinat interpres, & initio quidem vocum ſingularum ſignificationes *indagat, in conſilium adhibitis artibus Philologicis*, Lexicâ, Grammaticâ, Rhetoricâ. *Tropus Rhetoricus in voce non ſtatuitur ſine neceſſitate manifeſta.*

26. Hactenus orationis obſcuræ ſenſum ex conſideratione eorum, quæ extra eam ſunt, inveſtigare docuimus: jam ad *ipſam orationem in ſe* ſpectandam gradum promovemus, & quoniam in ea primò ſe offerunt voces ſingulæ, quarum ſignificatio priùs tenenda, quàm de ſenſu orationis integræ judicari poſſit, interrogare lubet, quænam ad eam rem ſuppetant auxilia? *Reſp.* Conſiderandum eſt 1. quid artes Philologicæ, Lexica, Grammatica, Rhetorica, huc valeant conferre: earum enim ſi non inprimis, at certè primæ, ad ſcriptorum omnium intelligentiam partes requiruntur. 2. referendæ ſunt voces ad omne id, cujus intuitu ulla ratione ſignificatio illarum manifeſtari poteſt. 3. quot modis voces in ſignificando accipiantur diſpiciendum.

27. Quid igitur hîc proſunt *Lexica? Reſp.* Illa ſuppeditant nominum definitiones per vocabula ſynonyma, vocum homonymias tollunt per diſtinctiones, denique per etymologias vocabula ex origine declarant. Ita, ſi vocabuli hujus, *Idea*, etymon attendas, invenies nihil aliud eo ſignificari, quàm Latinorum voce, *Species* (niſi quòd hæc magis ambigua) quæ eſt ab antiquo ſpecio, id eſt, video; & cùm videre animo, ſeu cogitatione apprehendere poſſimus aut rem nondum exiſtentem, ſed faciendam, aut jam factam, vel à ſe exiſtentem, hinc non malè diſtinguitur idea in *archetypam & ectypam. Adorationem civilem* ſi dicas, prima fronte contradictoria jungere videris; ſed origo verbi dubitationem tollit: dicitur enim *adorare* ex eo, quòd manus admoveatur ori, quod Gr. προσκυνεῖν propriè deſignat, à κύω oſculor, unde κύνειν, Germ. ſie küſſen. Nempe Græci olim, ut hodie quoque multi apud nos, manum ad os admovendo venerationem oſtendebant. Ne autem falſaris, dum ſignificationem vocabuli ex origine ejus inveſtigas, obſervabis, *originalem ſignificationem ſæpe differre ab uſuali*, h.e. multa vocabula aliud nunc vulgò denotare, aliud olim, cùm primùm inventa & rebus impoſita fuere, ſive, uſum vocum haut raró ab earum origine recedere. Exempla pluſcula ad Log. IV. 15. producam. Adhæc, quoniam vocabula alia

alia ſunt communia cunctis hominibus, alia propria certarum ſcientiarum doctoribus, Log. II. 47. hinc pro iſtiuſmodi diverſitate aliàs magis proſunt Lexica communia, *Philologica, Etymologica*, aliàs autem *Theologica, Iuridica, Medica, Philoſophica*, quæ ab illarum diſciplinarum gnaris adornata.

28. Quid ad interpretationem confert *Grammatica? Reſp.* Sæpe ſola ſcriptio & orthographia nodum ſolvit, interdum quantitatis & accentûs conſideratio dubitationem tollit, non rarò denique genus, caſus, inflexio, cæteræque vocum affectiones ſignificationem patefaciunt. Ita, ſi cum quibuſdam Anatomicis judices Ciceronem Meſenterium vocâſſe *medium inteſtinûm* in genitivo plurali, non in nominativo ſingulari, facilè eum à perverſo ſenſu liberabis. Sic Theologi myſterium SS. Trinitatis è Sacris Literis probaturi attendunt, an Deus de ſe in ſingulari, an in plurali numero loquatur. Obſervatu etiam dignum eſt, quòd angelos rerumque publicarum moderatores ſacra Scriptura Deos vocat communiter & in plurali; ſpeciatim autem & in ſingulari nullum angelum vel regem Deum nuncupat; item, quòd Diaboli & Satanæ nomina in plurativo numero nuſquam uſurpat. Ex Grammaticis quoque ſolvendæ ſunt *fallaciæ accentus & figuræ dictionis*, quibus ſophiſtæ utuntur, confundentes

vocabula quantitate, literis, genere, declinatione alióve accidente differentia, propter aliquam pronunciationis, ſcriptionis vel terminationis convenientiam: ut, cùm ita argutantur: omnis ſtudioſus æqui meretur laudem. Omnis aulicus eſt ſtudioſus equi. Ergo &c. Qui Domini ſunt, non ſunt ſervi. Chriſtiani Domini ſunt. Ergo &c.

29. Quid ad propoſitum finem juvat *Rhetorica?* *Reſp.* Hæc docet tropicam vocis acceptionem à propria diſcernere, ut ſcias, *an* in oratione aliqua ſit tropus, *in qua* voce ſit, *quis* ſit, ſive ad quam claſſem pertineat, quæ omnia interpreti ſunt cognoſcenda, ne fortè tropum orationi judicet ineſſe, quæ propriis conſtat verbis, nec illi voci tropum attribuat, in qua nullus eſt, nec alienam tropo claſſem aſſignet. Trium illorum exemplum valde illuſtre peti poteſt ex diſputationibus Theologicis de ſenſu verborum Cœnæ Dominicæ: *Hoc eſt corpus meum.*

30. *Sedem & claſſem tropi* ex ipſis Rhetoricis addiſcendam arbitror, hîc ſolùm rogo, *quando tropus in voce ſtatuendus*, quando non: neque enim ad hoc judicandum præcepta Rhetorica videntur ſufficere? *Reſp.* Cùm ſenſus orationis proprius naturâ ſit prior tropico, tam diu in illo perſiſtendum eſt, donec ad hunc amplectendum adigat neceſſitas. Et ſic S. Auguſtinus: ſemper verborum proprie-

tatem

tatem retinendam eſſe, niſi quædam bona *ratio tropum ſuadeat.* quod convenit cum illo Juriſconſultorum, quo negant, à verborum proprietate recedendum eſſe, niſi juſta interpretatio id ſuadeat.

31. Quænam eſt iſta ratio vel neceſſitas? *Reſp.* Illa eſt 1. quando verba propoſita cum aliis dictis ejuſdem authoris, qui bonus & ſapiens exiſtimatur, non poſſunt ullo modo in concordiam redigi, ſed manifeſta ſtatuenda eſt *contradictio*, nî tropus admittatur. 2. quando proprium ſignificatum reſpuit ipſa *rei, de qua agitur, natura*, ut in hac enunciatione: Herodes eſt vulpes. Neque enim ea, quæ oppoſita ſunt, eodem ſenſu eadem eſſe ac de ſe invicem affirmari poſſunt. Huc ſpectant omnia Scripturæ loca, in quibus Deus, qui eſt ſpiritus, membra ſibi corporea tribuit. 3. quando *hiſtoria vel eventus* docet verba tropicè eſſe vel fuiſſe intelligenda, quemadmodum in vaticiniis & prophetiis ſacrarum paginarũ uſu venit. Non autem neceſſitas oritur ex nuda aliorum *locorum collatione*, quoniam vox eadem aliter in hoc, aliter in illo loco poteſt accipi. Neque etiam inde neceſſitas ea proficiſcitur, quòd plura loca ſint ejuſdem authoris, in quibus vox propoſita tropicè ſumatur, pauciora, in quibus propriè; nam ſic Deus eſſet exiſtimandus corporeus, cùm plura in ſacro Codice loca exſtent, in quibus

 cor-

corpus ei tribuitur, quàm in quibus Spiritus appellatur. Adeo ſe vulgari captui accommodat Scriptura. Ac proinde notabis, *multitudini locorum* tum demum plus eſſe credendum, cùm id, quod pluribus locis affirmatur de ſubjecto, ſubjecti naturæ non repugnat. Hac mente Tertulliani regulam recipimus: oportet ſecundùm plura intelligi pauciora, & ne unus ſermo alia multa evertat, ſecundùm omnia potiùs, quàm adverſus omnia accipiendus erit.

CAP. VI.

Poſthæc, ut ſingularum vocum ſignificata percipiat, Interpres inter ſe confert *orationis* ſubjectum & prædicatum, *nec non* antecedentia & conſequentia *reliqua, loca item* parallela: *refert inſuper vocabula tum ad communem aliorum rectè* loquentium uſum, *tum ad propriam* diſciplinam.

32. Poſtquam ita vidimus, quid artes Philologicæ ad ſignificationem verborum intelligendam conducant, dicatur nunc, quænam inſuper comparationes inſtituendæ ſint, ut vocabulorum ſignificatus innoteſcant. *Reſp.* Primò & maximè attendenda eſt *relatio inter*

inter ſubjectum & prædicatum, quia ſubjectum à prædicato deſcribitur, prædicatum viciſſim à ſubjecto ſpecificatur ſeu reſtringitur, unde nata regula: tale eſt ſubjectum, quale permittitur eſſe à prædicato; & contrà, tale eſt prædicatum, quale permittitur eſſe à ſubjecto: ex.causâ, ſi dicatur, canis eſt ædium cuſtos, prædicatum non permittit, ut ſubjectum, canis, ſignum cæleſte denotet, ſed beſtiam latrantem. Quoties igitur contingit, ut plura uni rei attribuantur ab eodem ſcriptore, colligenda ſunt iſta omnia, atque ex iis demonſtrandum, hoc, & non aliud poſſe ſubjectum intelligi. Rectiſſimè enim res unaquæque è ſuis attributis cognoſcitur, ſecundùm Log.I.36.

33. Quibus præterea collationibus uti poſſum eidem authori inhærendo? *Reſp.* Vocabulum, de cujus ſignificatu ambigitur, conferendum eſt 1. cum *antecedentibus & conſequentibus* ejuſdem authoris in eodem ſermone verbis, & maximè quidem cum proximis, nam adjectiva ſubſtantivis, adverbia verbis, aliaque aliis appoſita vel oppoſita vocabula ſe mutuò declarandi vim obtinent: ita per naturales liberos aliud intelligitur, cùm opponuntur adoptivis, aliud, cùm legitimis in genere: & vox Homo abſolutè poſita aliud deſignat, aliud, ſi dicatur homo pictus, aliud, ſi homo mortuus; & hîc quidem

determinatio ſuum determinatum interimit, unde *contradictio in adjecto* ſeu oppoſitio in appoſito dicitur, quoties unum per alterum implicitè evertitur, ut Deus ligneus, nummus non corporeus. Aliquando autem putatur eſſe contradictio in adjecto, ubi nulla eſt, ut, cùm literæ quædam, quæ utique omnes ſoni ſunt, mutæ dicuntur, & cùm nomina quædam, illa ſcilicet, quibus res ſingulares appellantur, negantur eſſe appellativa. At qui conſiderat, illas vocalibus & ſemivocalibus, hæc propriis nominibus opponi à Grammaticis, facilè contradictionis ſuſpicionem amovebit. 2. cum *locis parallelis* h.e. cum aliis ejuſdem authoris ſcriptis illi ſcripto, quod manibus tractamus, reſpondentibus: e. g. ſi quæris quid *digitus Dei* ſignificet Luc. XI. 20. confer Exod. VIII. 19. & videbis vim Dei miracula facientem denotari, in qua interpretatione confirmaberis, ſi *manum*, item *brachium* Dei alibi leges exprimendæ ejus potentiæ adhibita. Ita, cùm manus & conſilium Dei conjunguntur, ut Act. IV. 28. intelligitur potens ſeu efficax Dei conſilium, per figuram Grammaticam, quam vocant Hendiadym, q.d. unum per duo.

34. Quomodo ad ea, quæ extra ſcriptorem ſunt, abeunti ſignificatio vocis ampliùs patefiet? *Reſp.* Si conferatur 1. cum omni *bonorum authorum*, eandem vocem uſurpantium,

tium, *uſu & vulgari conſuetudine*, argumento Log. II. 31. ita calumniam rapinis addebat, qui noctu populabatur agros, quòd dierum eſſent pactæ, non noctium induciæ, de quo Cicero primo de Off. 2. cum definitione & uſu, quem habet in illa *diſciplina*, quæ de re agit per vocabulum illud repræſentata. Sic terminos Metaphyſicos optimè cognoſces ex Metaphyſicâ, Theologicos ex Theologia, Juridicos ex Juriſprudentia, Logicos ex Logica, atque ita de cæteris. Nam ut una diſciplina alterius explicet vocabula, quibus ipſa facilè caret, fruſtra ab ea requiras.

35. Supereſtne de hoc poſtremo ſpecialis obſervatio? *Reſp.* Imprimis notabis, quædam vocabula aliud vulgo, aliud in certis diſciplinis, & ſæpe quidem aliud in hac, aliud in illa ſignare. Sic *numerare* & *metiri* aliud ſignificant vulgo, aliud, & quidem amplius quiddam, in Arithmetica & Geometria, cùm bene numerandi ac metiendi artes definiuntur. Sic multa vocabula è medio ſumta divinius quid ſonant in Theologia, quàm ſi uſurpentur de rebus hujus ſeculi, cujuſmodi ſunt fides, charitas, gratia, eccleſia, cœna, baptiſmus &c. Cauſa *procatarctica* & *proëgumena* aliud notant in Medicina, aliud in Logica & rebus moralibus. *Problema* aliud in Geometria, aliud in Logica exprimit. *Articuli* Grammaticis ſignificant notas præpoſitivas aut poſt-

poſi-

ſitivas, Arithmeticis numeros decadicos, Anatomicis digitorum internodia: etiam Theologis, ſed Latinitatis incurioſis, fidei præcipua capita nominantur Articuli fidei. Nam, ut hoc addam, collapſa jam pridem Romanæ linguæ puritate, & barbarie in ſcholas invecta, plurimis vocabulis alia planè ſignificatio data eſt à Theologis, Philoſophis, aliis, quàm Latini ſcriptores dederant. Ex. gr. nomen *Vnio*, quod Latinis non niſi margaritam ſignificat, longè nunc aliter uſurpatur, cùm de unione animæ & corporis, de unione hypoſtatica naturarum in Chriſto, de unione prolium Philoſophi, Theologi, Jureconſulti loquuntur. Et, quæ Latinis vocabula artium, hodie dicuntur *termini*.

CAP. VII.

Poſtremò variæ ſingulorum vocabulorum acceptiones *Interpreti penſiculandæ, videlicet, utrùm vox* materialiter *ſumatur*, *an* formaliter; *hæc rurſus an* ſignificativa, conſignificativa, mixta; *porrò* collectivè, *an* diſtributivè *accipiatur*; *ſitne* finita, *an* infinita, *&c. quæ* univoca, analoga, æquivoca; *quæ vocum* reſtrictio & ampliatio.

36. Reliquum eſt ex q. 26. uti de variis vocabulorum acceptionibus agatur, quotuplex igitur eſt vocum *acceptio ſive ſuppoſitio*: ſic enim dicitur, quia per eam id, quod vox ſignificat, ſupponitur & accipitur? *Reſp.* Eſt vel materialis, quæ & technica & verbalis dicitur; vel formalis ſeu ſignificativa. Vox *materialiter* accipi dicitur, quando pro ſeipſa, ſive pro literis & ſyllabis ſuis ponitur, quæ ſunt materia ejus: ut vox, Homo, in his enunciationibus: homo dicitur ab humo, homo eſt nomen tertiæ declinationis, maſculini generis. Vox *formaliter* ſumi dicitur, cùm ponitur pro re ſignificata, quoniam ſignificatio eſt forma & velut anima vocis: ut homo in his enunciationibus: homo eſt animal, homo eſt doctus.

37. Quotuplex eſt vox illa, quæ formaliter accipitur? *Reſp.* Hæc vel ſpeciatim ſignificativa ſeu Categorema nuncupatur, vel conſignificativa ſive Syncategorema. *Categoremata* ſunt, quæ ipſum ſubjectum vel prædicatum deſignant: ut, homo, animal, currit. *Syncategoremata* ſunt voculæ, quibus vel ſingularum enunciationum quantitas aut modus denotatur: ut, omnis, nullus &c. neceſſe, contingens &c. vel plurium inter ſe connexio exprimitur: v.g. &, ſi, aut, qualis, talis &c.

38. An verò ſigna iſta ſemper nudè tantùm conſignificant? *Reſp.* Sæpe quidem ſunt

merè

merè ſyncategorematica: ut in his, omnis homo eſt animal, nullus leo eſt rationalis. Interdum verò ſunt *mixta*, id eſt, & ſignificant aliquid, & conſignificant: v. g. amicorum omnia ſunt communia, id eſt, omnia negotia; nemo ſine crimine vivit, id eſt, nullus homo; nihil eſt ab omni parte beatum, id eſt, nulla rès. Quin imò vox alioquin *conſignificativa aliquando planè eſt ſignificativa*, quando videlicet non pro nota quantitatis, ſed ad ſubjectum vel prædicatum deſcribendum adhibetur: ut, omnes planetæ ſunt ſeptem, id eſt, planetæ in numerum collecti ſeu collectivè ſumti.

39. Quando autem vox aliqua dicitur *collectivè* ſumi? *Reſp.* Cum pro multis ſimul conjunctis accipitur, ita ut prędicatum neque de ſpeciebus, neque de individuis ſubjecti ſui ſeorſum dici poſſit, ut in exemplo allato, nam ſeptem eſſe nulli planetæ ſeorſum ſpectato competit. At ſi prædicatum etiam ſeorſum poſſit dici de inferioribus ſubjecti ſui, vox dicitur accipi *diſtributivè*. Et quidem ſi prædicetur tantùm de ſpeciebus, dicitur ſumi diſtributivè *in genera ſingulorum*: ut, omnia animalia fuerunt in arca Noæ, Chriſtus ſanavit omnem morbum; ſin de ſingulis etiam individuis affirmetur, dicitur ſumi diſtributivè *in ſingula generum*: ut, omnis homo eſt animal, omnis planeta eſt ſtella.

40. Sunt-

40. Suntne plures diviſiones vocis formaliter acceptæ? *Reſp.* Sunt, præter eas quæ è ſuperioribus eliciuntur (ut quòd propria vel tropica &c.) aut infra attingentur (ubi de particulis excluſivis, reduplicativis &c.) aliæ plures. Nempe vox accipitur 1. vel ut nomen *proprium* vel ut *appellativum*, cujuſmodi ſunt Academia, Cæſar, Deus &c. 2. vel *propriè* vel *abuſivè*, ut nomen Dei aliter de vero Numine, aliter de idolis. 3. vox eſt vel *finita*, quæ certum quid ſignificat: ut, ens, Deus, legit; vel *infinita*, quæ certum quid non ſignificat, ſed quidvis præter id, quod negatur: ut, non ens, non Deus, non legit. 4. vox eſt *ſingularis*, quæ individuum, ut Petrus, vel *communis*, quæ univerſale exprimit, ut Homo.

41. Vox communis quotuplex eſt? *Reſp.* Eſt vel *univoca*, quæ de inferioribus ſuis æquali ratione dicitur, ut homo de Petro, Paulo, & aliis; vel *analoga*, quæ de uno principaliter, de altero minùs principaliter dicitur: ſic ſanus principaliter dicitur homo, ſecundariò etiam cibus. At ſi illa, de quibus vox communis dicitur, nullam habeant ratione illius vocis inter ſe ſimilitudinem, vox potiùs *æquivoca*, quàm analoga dicitur: ſic vox Homo æquivoca ſive homonyma eſt, dum pro vero vel picto homine ponitur; vox Gallus, quando pro Gallo homine, vel gallo gallinaceo uſurpatur.

42. Quan-

42. Quando igitur vox aliqua analoga vel æquivoca abſolutè in oratione occurrit, quid per eam eſt intelligendum? *Reſp.* Illud intelligendum eſt, quod præcipuè ſignificat: v. g. quando vox homo vel ſanitas aliqua in oratione ponitur non adjectâ ulteriore explicatione, intelliges verum hominem & ſanitatem, quæ eſt in homine. Hinc orta eſt regula: *analogum abſolutè poſitum accipitur pro principaliori ſignificato* ſeu analogato; ſive, ut à Juriſconſultis effertur: quoties aliquid dicitur de duobus, de uno per prius, de alio per poſterius, ſimpliciter ſumtum intelligitur de eo, de quo dicitur per prius. Ex his defendi poſſunt quatuor cauſarum definitiones per particulas, ex qua, per quam, à qua, propter quam Log.I. 51. quæ hîc accipiuntur in ſignificatu famoſiſſimo ſeu uſitatiſſimo. Huc refer illum loquendi modum, quo vox ſimpliciter poſita non aliud ſignificat, quàm quod omni meliore modo vel optimo jure tale. Exempla duo habes Proleg. §.75. Ita cùm quid ſecundùm rectam rationem fieri nequit, h. e. cùm fieri non debet, ſimpliciter ſæpe dicitur, *non poſſe fieri.* Ubi vocabulum *poſſe* ſignificationem habet Ethicam, non Phyſicam; uti Logicam habet in illo: non poſſum de rebus judicare, quas clarè nondum percipio. Sæpe, cùm quid ſimpliciter nominamus, intelligimus id, quod noſtrum eſt,

vel

vel apud nos excellit: ita poëtæ nomine Latini Virgilium, Græci Homerum intelligunt.

43. Eſtne præterea quid de vocum acceptionibus annotandum? *Reſp.* Tenendum eſt, vocem aliquando in ſignificando dilatari (ampliari, extendi) aliquando verò contrahi (reſtringi, limitari) v. g. quando Deus de Adamo ait, non bonum eſt hominem eſſe ſolum, vox hominis etiam ad poſteros Adami extenditur. Quando autem dicitur, amicorum omnia ſunt communia, vox, omnia, reſtringitur ad ea, quæ legitimè poſſunt communicari, non ad uxores &c. Atque ex his percipitur, quid ſibi velint vocum *Ampliatio* & *Reſtrictio*, ſive extenſio & limitatio; item, quod neceſſariò diſtinguendum ſit inter vocem *latè & ſtrictè* ſumtam: ſic multa nomina per ſe poſita, genus deſignant; at oppoſita alteri ſpeciei, ſpeciem. Ut confundere & miſcere generaliter loquentibus idem ſignificant; diſtinctiùs autem iſta conſiderantes confuſionem liquidis, commixtionem ſiccis corporibus tribuunt. Sic nomen venationis aliquando tam latè accipitur, ut piſcationem & aucupium includat, à quibus aliàs diſtinguitur. Adde cautelam hanc, *ne verba alicujus orationis facilè reſtringas, ſi latiorem eis ſignificationem profunda authoris ſapientia concedat, nec alia interpretandi leges abnuant.* Qui canon præcipuè locum habet in expli-

candis

candis eloquiis Dei: hujus enim, utpote ſummè ſapientis ſummeque boni & potentis, & verba & opera auguſta potius & ampla, quàm anguſta & limitata animo ſunt cogitanda.

CAP. VIII.

A privarum vocum examine proceditur ad conſiderationem orationis integræ, cujus ſenſus unicus *eſt, ſive verba intelligantur in* actu ſignato, *ſive in* exercito; *ſive* ſenſus diviſus *ſit, ſive* compoſitus, identicus, *aut* formalis *&c.*

44. Quid poſt ſingularum vocum examen reſtat in analyſi Hermeneutica? *Reſp.* Vocum, utpote orationis partium, ſignificatione perſpecta integer totius orationis ſenſus ex ordinis ſynthetici legibus inveſtigandus eſt, & ne hîc diu vagemur incerti, omnium primò quæſtio illa decidenda eſt, *ſitne unius orationis ſenſus ſimplex*, an verò multiplex.

45. Quid igitur ad hanc quæſtionem generaliter reſpondendum eſt: nam de S. Scripturæ ſenſu literali, myſtico, allegorico &c. agere Theologorum eſt? *Reſp.* Si author talis eſt, ut & noverit quid loquatur, & datâ operâ decipere nolit, non niſi unus verus eſt & ab ipſo intentus orationis ſenſus. Ratio eſt,

quia

quia ſapiens & bonus author abſtinet à mendacio & ambiguo, quorum alterutrum vel utrumque in oratione eſſet, ſi multiplicem ea ſenſum haberet. Nec tamen interim inficias imus 1. eandem orationem *varios ad uſus accommodari* poſſe, theoreticos, practicos, in theſi, in hypotheſi &c. 2. aliam ſæpe eſſe *ſignificationem rerum* oratione expreſſarum, alium ipſius orationis Grammaticum ſenſum: neque enim oratio tantùm eſt ſignum rerum, ſed res etiam aliæ alias ſignificare poſſunt quemadmodum definitio nomen, nomen autem rem animo conceptam deſignat. Confer Log. II. 44. 3. *voces ſeorſum ſpectatas* differentes vel etiam contrarias interdum admittere explicationes, non tamen, ſi eas conſideres ut junctas cum antegreſſis & conſequentibus, atque omnia interpretandi præcepta attendas: e. g. ubi dicitur Log. I. 2. ut ante omnia cognoſcamus Deum & nos ipſos, illud *ante omnia* poteſt vel ordinem dignitatis vel temporis notare, ita ut intelligas, Deum eſſe cognoſcendum vel potiùs vel priùs quàm cætera, & quamvis utrumque verum ſit, illius tamen loci conſideratio priorem duntaxat interpretationem admittit, poſteriorem verò habet illud, ante omnia, quod ponitur hujus partis q. 3.

46. An verò ſenſus prout generatim ſpectatur, non, prout hujus vel illius loci proprius

prius eſt, recipit aliquas *differentias? Reſp.* Sicut in vocibus ſingulis acceptio alia atq; alia notanda eſt, licet interim unius vocis in una oratione una tantùm ſignificatio ſit: ita quamvis ſenſus ſit unicus, ſunt tamen quædam ejus differentiæ obſervandæ. Nam verba aliàs adhibita leguntur de rebus in actu ſignato mente conceptis, aliàs de rebus in actu exercito; item verba ſunt in ſenſu diviſo vel compoſito intelligenda, & ſi quæ aliæ differentiæ.

47. Quid per actum ſignatum & exercitum intelligis? *Reſp. Actus ſignatus* eſt, quo res ſecundùm commune nomen & definitionem cognoſcitur: *Actus exercitus*, quo res, qualis eſt extra mentem & in ſe, attenditur: exempli causâ, tritum illud axioma: *definitio & definitum idem ſunt*, capiendum eſt in actu exercito, non in actu ſignato, h.e. definitio & definitum ſunt unum, quum ſermo eſt de exemplis eorum, ſeu quum rebus ipſis applicantur. Homo namque e.g. eſt animal rationale, & animal rationale eſt homo. At cùm definitio & definitum ex communibus ſignis & nominibus æſtimantur, & à rebus abſtrahuntur, non ſunt idem; quia definitio declarat, definitum declaratur, definitum uno (homo) definitio pluribus (animal rationale) notatur vocabulis &c. Ita illa verba: *quamvis revera nullus ſit, qui ultrò velit falli, vix tamen ullus eſt, qui non ſæpe velit iis aſſentiri,*

tiri, in quibus error ipſo inſcio continetur, breviſſimè Scholaſticus ita effert: quamvis nemo falli velit in actu ſignato, vult tamen ſæpe in actu exercito. Tu interim illorum verborum claritatem horum brevitati antepones ex Log. II. 45. Qui petit ab altero, ut juratus teſtetur quod falſum eſt, & ipſe ſcit falſum eſſe, petit falſum teſtimonium in actu non tantùm exercito, ſed etiam ſignato, etſi non dicat, perhibe mihi falſum teſtimonium.

48. Quid intelligitur per ſenſum compoſitum & diviſum? *Reſp.* Ut hoc ſcias, nota, quòd vocis plura ſimul denotantis (cujuſmodi ſunt Dominus, ſedens) unum ſignificatum vocetur materiale (v.g. homo, qui eſt dominus, qui ſedet) alterum formale (v.g. ipſa relatio dominii, ſeſſionis) Quando igitur formale ſignificatum prædicati cum formali ſignificato ſubjecti connectitur, dicitur enunciatio *in ſenſu compoſito* ſeu conjuncto: ut, impoſſibile eſt dominum eſſe ſervum, id eſt, fieri non poteſt ut dominus, quatenus dominus, ſit ſervus. Hoc ſenſu propheta dixit: ecce virgo pariet. Eodem ſenſu verum eſt, ſapientem non admirari, diſcipulum non eſſe ſupra doctorem. Sic Deus dicitur non accipere peccatores. Quando autem formale ſignificatum prædicati cum ſubjecti ſignificato materiali cohæret, eſt *ſenſus diviſus*: ut, poſſibile eſt ſedentem ambulare, id eſt, poteſt fieri

ut ſedens (ſcilicet, non quatenus & quando ſedet, ſed quatenus homo eſt, qui nunc ſedet) ambulet. Sic Deus dicitur juſtificare impium, & in Euangelio ſic legitur: cæci vident, claudi ambulant.

49. Poteſtne aliis verbis aliquantò breviùs & faciliùs exponi, quid ſit ſenſus diviſus & compoſitus? *Reſp. Senſus conjunctus* eſt, cùm diverſa attributa de eodem ſubjecto ut ſimul vel eodem tempore intelligenda affirmantur aut negantur. Sic, non receſſurum erat à Judæis ſimul ſceptrum & legiſlator, antequam veniret liberator Gen. 49. quamvis prius ablatum fuerit longè ante adventum ejus. *Senſus diviſus* eſt, quando diverſa attributa de eodem ſubjecto dicuntur, quæ alternis vicibus ſeu ſeparatis temporibus ei conveniunt: ſic eadem aqua fervida eſt & gelu conſtricta in ſenſu diviſo. Atque hoc ſenſu dici ſolet, quod una eademque ſubſtantia poſſit recipere contrarias qualitates.

50. Suntne aliæ inſuper ſenſus differentiæ? *Reſp.* Occaſione præcedentis in mentem venit diſtinctio inter ſenſum formalem & identicum. Nempe cùm eadem de ſe mutuò prædicantur, *ſenſus eſt identicus*; at cùm eadem illa ſic de ſe invicem dicuntur, ut formale ſignificatum prædicati tribuatur formali ſignificato ſubjecti, dicitur *ſenſus formalis*: ita ſi dicas, juſtitia Dei eſt miſericordia Dei,

ve-

verum eſt effatum in ſenſu identico; ſed falſum in ſenſu formali, quia attributa Dei formaliter ſeu ratione diſtinguuntur. Aliter etiam enunciatio identica diſtinguitur in *nugatoriam*, qua idem ſimpliciter de ſeipſo dicitur: ut, leo eſt leo, quæ eſt inepta tautologia; & *intenſivam*, qua idem ſecundùm quid de ſeipſo prædicatur: ut, ſimia eſt ſimia, etiamſi aurea geſtet inſignia, quod jactari ſolet in eum, qui non mutat ingenium propter ornamenta fortunæ.

CAP. IX.

Ut ſenſus totius orationis innoteſcat, imprimis videndum eſt, an & quomodo Scriptor ſemetipſum interpretetur, *& quidem primò ſi in* eodem loco *perſiſtamus, deinde ſi loca ejuſdem* alia cum aliis conferamus, *in quibus* de eadem ſimilive re *agitur, ſeu ſimili modo, ſeu diſſimili.* N*am brevia & prolixa, generalia & ſpecialia, ex profeſſo tractata & perfunctoriè tacta &c. ſibi invicem lucem intelligentiæ inferunt.*

51. Senſum orationis unius *à ſapiente &*

bono authore prolatæ (nam de ſtulti aut fallacis hominis ſermonibus interpretandis non eſt cur valde laboremus, niſi fortè refutandæ ſint fallaciæ) non niſi unum eſſe perſpeximus: jam quæro, quomodo unum illum & verum ſenſum in oratione integra (nam de ſingulorum ſignificatione vocabulorum actum fuit) invenire poſſim? *Reſp.* Cùm ſit *optimus interpres verborum quiſque ſuorum*, primò diſpiciendum eſt, quomodo ſcriptor ex verbis propriis & per ſemetipſum explicetur; deinde advertendum, an & quomodo *per alium* authorem explanetur. Et hæc quidem duo generaliter ad quemvis ſermonem pertinent. Tertiò ſpeciatim agendum eſt de variis *orationum differentiis*, ut, quomodo in ſingularum ſenſu cognoſcendo procedendum ſit, intelligatur.

52. Qua ergo ratione ſcriptor ex ipſo ſcriptore intelligitur? *Reſp.* Tribus modis: primò ſi in verbis ejus, quæ eodem in loco oculis obverſantur, perſiſtamus; deinde, ſi alia ejuſdem ſcripta adeamus; denique ſi facta ejus & geſtus, quibus ad verba ſua exprimenda & mentem explicandam ſimul uti conſuevit, conſideremus.

53. Quomodo ſenſus cognoſcitur, ſi *perſiſtamus in authoris verbis uno eodemque loco prolatis*? *Reſp.* Obſervanda eſt conſtructio ſyn-

ſyntactica, orthographia ſermonis, & vera interpunctio. Vbi & inquirendum, ſitne locus aliquis omiſſus, qui addendus, an quis aliunde adjectus, qui delendus, ne ab alio inſerta putentur ab authore aſſerta. Variæ item lectiones dignoſcendæ, ita tamen, ut omnes admittantur tantiſper, dum cum veritate rei conſentiunt, neque contradictionis aut abſurditatis ſcriptorem arguunt. Ac denique ſpectandus eſt ſermonis ordo, & verborum cohærentia ratione præcedentium & ſequentium, ſi quidem continua ſit oratio. Et hæ quidem conſiderationes Criticæ ferè ſunt & Grammaticæ. Ita Critici obſervant capitum & verſuum, quæ noſtro tempore uſurpari cœpit, in ſacris Literis diſtinctionem non ſatis ubique eſſe commodam.

54. Quid refert ſcripta ejuſdem authoris alia cum aliis conferre? *Reſp.* Quia locus ſpecialior generaliorem, prolixior breviorem, ſimilis ſimilem, imò contrarius quandoque contrarium, atque univerſè *clarus obſcuriorem interpretatur*. Sic multa in Veteri Teſtamento latent, ubi tantùm leviter adumbrata, quæ in Novo patent, luculentiùs atque uberiùs expoſita: unde Vetus cum Novo conferre ſolent Chriſtiani. Sic Inſtitutiones Iuris cum Codice ac Digeſtis, leges generales cum ſpecialibus, & vice verſa conferuntur. Et hinc *indoles Calumniatorum* talis eſſe

intelligitur, ut uno aliquo loco dicta ſtatim arripiant, quæ alibi mentem authoris apertiùs recludunt, prætervolent ac deſpiciant, reſponſiones, explicationes, probationes alio loco datas diſſimulent, quaſi datæ non eſſent, imò, quæ alibi evidentiſſimè ab authore ſoluta, tanquam inſoluta aut inſolubilia reponant.

55. Verùm, ut boni Interpretis ac perverſi Calumniatoris naturam diſtinctiùs apprehendam hac in parte, velim de collatione ejuſdem authoris locorum planiùs mecum agi atque expreſſiùs. *Reſp.* Scriptor pluribus locis tractat vel de re *eadem*, vel de *ſimili*, vel de *diſſimili* & contraria. Si de materia eadem, tum vel *planè eadem* eſt, vel ratione ſolùm diverſa, ut ſi *generalior* ſit, aut *ſpecialior*. Rurſus ſi de materia planè eadem, vel *eodem prorſus modo*, vel *diverſo* inſtituitur tractatio.

56. Quid prodeſt *locorum de materia omnino eadem eodem modo agentium* collatio? *Reſp.* Vt animadvertentes, quid author manifeſtè, quid frequenter, quid perſeveranter dicat, eò magis confirmemur, ſententiam ejus hanc eſſe, & non aliam, cùm toties eam repetat nulla parte mutatam. Et hinc differentia inter id, quod ſemel fortaſſis ſcriptor quis profert, & quod ſæpius inculcat, aut ſemper ingeminat, è quibus poſterius ceu autho-

authoris ſenſum bonus interpres potiùs amplectitur, prius verò calumniator arripit, Confer. q. 31. fin.

57. Quot *modis diverſis de materia prorſus eadem* tractari poteſt ab eodem ſcriptore? *Reſp.* Variis omnino: nam alibi hac, alibi illa lingua loquitur; alibi de re agit ex inſtituto, alibi ex occaſione; uno loco breviter & ſummatim eam attingit, alio fuſiùs diducit; in uno accuratè, in altero populariter procedit; uno loco dubitando, ubi rem nondum percepit aut demonſtravit, alio decidendo, ubi percepit & probavit; in uno opinando, ubi levia tantùm argumenta habet, in alio ſciendo, ubi firmas demonſtrationes; in uno axiomaticè, ubi tantùm explicat, in altero dianoëticè, ubi inſuper probat; in uno recitando & hiſtoricè, in altero aſſerendo & dogmaticè; (liceat nunc uti vocabulis hiſce omnibus ad rem pleniùs iis hominibus, quibus familiaria ſunt, explicandam) in uno didacticè ad diſcipulos, in altero elencticè ad antagoniſtas; in uno ſua utens methodo, in altero ſcribens aliorum arbitratu aut rogatu. Sic *ante motas controverſias* ſæpe quis loquitur ſecuriùs & negligentiùs (ut Patres nonnulli ante ortas hæreſes) nihil metuens, *poſt* ortas verò diſputationes magis cautè & timidè procedit, ne re aut verbo præbere ſe affinem errantibus

videatur. Contrà alius *initio* timet ac dubitat, hoc an illo modo, an & quando edenda ſint ſcripta; *poſtea* paratus pro iis contendere & aleam jactam videns animoſius agit & confidentiùs.

58. Quomodo ſe gerit in ejuſmodi locis conferendis bonus interpres; quomodo calumniator? *Reſp.* Multa hîc admodum dicenda occurrunt, ſed aliqua duntaxat exempli gratiâ attingam. Si author eandem rem diverſis linguis explicat, quia ſingulæ peculiare quid habent ſecundum Log. II. 34. melius pejuſve ad rem declarandam, bonus interpres *unius defectum alterius perfectione corrigit*, & ex vocabulis & phraſibus rei exprimendæ aptioribus potiſſimùm de mente ſcriptoris judicat. Senſum ſcriptoris potius colligit è locis, in quibus de re agit *ex inſtituto*, quàm ex illis, in quibus oblata tantùm *occaſione*, alioquin non acturus. Adhæc, cùm *didactica* animo magis tranquillo ac ſedato tradantur, quàm *elenctica*, hæc potius ſecundum illa, quàm illa ſecundum hæc intelligenda & explicanda cenſet. Contraria facit *calumniator*, aut non conferens editiones diverſas, aut pejora arripiens, neglectis melioribus, ut è roſeto ſuum virus colligunt araneæ; imperfectioribus loquendi modis abutens ad evertendos perfectiores, popularibus ad accuratos, elencticis ad

dida-

didacticos, dubitantibus ſermonibus ad affirmantes aut negantes refutandos; non diſtinguens methodi diverſitatem, neque attendens *percipiendi modum menſuram & normam eſſe modi judicandi.* Nec diſcernit cavillator, quæ quis fugitans litium opponentibus concedit, aut ſaltem non reprehendit, quòd aut leviora ſint, aut parum faciant ad rem præſentem, ab iis, quæ expreſsè affirmantur, aut etiam docentur.

59. Quæ eſt *generaliorum ſpecialiorumque locorum* collatio? *Reſp.* Interpres eos inter ſe confert, ut ille huic, & hic illi lucem fœneretur, neuter alterum deſtruat, ex Log. II. 93. Attamen, cùm generaliùs prolata magis confuſa eſſe ſoleant, ſpecialiùs diducta magis diſtincta ex Log. I. 39. ex his mentem authoris expreſſiùs percipi ſtatuit. At calumniator generalia per ſpecialia ſine manifeſta cauſa conatur evertere, vel contrà; ac mavult doloſus verſari in generalibus, aptius latibulum cavillationi præbituris, quàm ad ſpecialiora loca & expreſſiora verba, quæ mentem ſcriptoris evidentiorem reddunt, oculos atque animum convertere.

60. Quod ſi author alibi non quidem de re eadem, verùm *de ſimili* agat, quid refert ad interpretationem, locorum inter ſe comparatio? *Reſp.* Ejuſmodi *loca parallela* ſe invicem declarant atque illuſtrant. Sic loca

Novi T. de ſacramentis novi fœderis agentia declarantur ex locis Veteris T. quæ de ſacramentis antiqui fœderis tractant, & è contrario. Ita ſi Philoſophus pluribus in locis his utatur formulis: *non percipio, ſub cogitationem meam non cadit, aliter intelligi non poteſt*, & ſimilibus, indicans, ſe non aliter de rebus ejuſmodi judicare poſſe, cùm non aliter eas percipiat, atque ex ſua tantùm perceptione judicare debeat, ex Log. I. 130. hæc bonus interpres inter ſe conferens, ut ſimili ſenſu dicta, accipit omnia; at iniquus cavillator alibi ejuſmodi phraſin admittit, alibi dubitationis eſſe ſignum pertendit, alibi arrogantiam ſapere ait, quaſi Philoſophus ſuum intellectum aut judicium pro regula aliis proponat &c.

61. Eſtne in locis de re eadem ſimilive agentibus communiter aliquid, ad meliorem faciens intelligentiam, annotandum? *Reſp.* Examinandum ſæpe eſt, *cur de re eadem aut ſimili non eodem ſimilive modo ac ſtylo ubique agatur:* ex. gr. cur inſtitutio Paſchatis multò ampliore verborum forma recitatur Exod. XII. quam, quæ Paſchati ſucceſſit, inſtitutio Cœnæ in Novo Teſtamento? *Reſp.* Quoniam illa multas continet cerimonias, quæ pluribus capitibus fuerunt explicandæ; hæc in ſimplicitate actionis conſiſtit, quæ paucis expediri poteſt. Item, cur Paſchatis inſtitutio uberiùs

beriùs de ſigno loquitur, quàm de re ſignificata? *Reſp.* Stylus legis eſt, prolixiorem eſſe in narratione ſacrificiorum & rituum, quàm in explicatione gratiæ ſpiritualis per illa ſigna adumbratæ: contrà ſub Euangelio ad gratiam & doctrinam luculentius omnia leguntur accommodata. In Euangeliſtis talis obſervatur diverſitas, qua ſeſe invicem divinitus adjuvant, invicem ſuas narrationes ſupplent atque interpretantur.

CAP. X.

Author etiam verborum ſuorum ſit interpres agens de rebus contrariis ac diſſimilibus. *A contradictione, quantum fieri poteſt, liberandus. Sin aperta* contradictio, *loco poſteriori tempore ſcripto, aut certè eo, qui eſt principalior, mentem expreſſiſſe judicandus. Senſus ei non tribuendus, quem* ſuum eſſe negat, *niſi aliis argumentis convincatur.* Nam factis *quoque &* geſtibus *verba ſua declarat, item* conſequentiis *inde manifeſtè deductis, quandoque etiam* ſilentio. *Tacendum aliquando ad calumnias.*

62. Quomodo de iiſdem ſimilibuſve re-

bus agentia loca ſe mutuò illuſtrandi vim habeant, pluribus jam oſtenſum fuit: at quo pacto fieri poſſit, ut author ſemetipſum explicet, agendo de rebus *diſſimilibus & contrariis*; nondum ſatis aſſequor. *Reſp.* Cùm oppoſita juxta ſe poſita, ſecundùm vulgare axioma, magis eluceant, non eſt quòd mireris, illud in orationum quoque obſcuriorum interpretatione fieri poſſe. Examina igitur, *an de rebus diſſimilibus diſſimili, an verò ſimili modo tractet author*, & quare: e g. quomodo Sacræ Literæ de Lege, quomodo de Euangelio loquantur: quò etiam referri poteſt exemplum proximè allatum. Nam omne ſimile, etiam eſt diſſimile. Aliud exemplum vide q. 18. Sed operæ pretium eſt, hîc monere Interpretem, ut in locis diverſas vel contrarias materias continentibus diverſitatem ac *diſſimilitudinem obſervare* ne negligat. Nam calumniatoris, aut certè imperiti interpretis eſt, locos authorum δὶς διὰ πασῶν, id eſt, bis per omnia, differentes, tanquam geminos, quaſi unum in penum conjicere.

63. Verum enimverò ſi non quidem materiæ, de quibus eſt ſermo, ſibi ſint contrariæ; ſed author de iiſdem aut ſimilibus agens ſibi ipſi adverſetur *contradictoria loquendo*, quid eum potiùs ſentire arbitrabimur? *Reſp.* Bonus interpres, quantum fieri ulla veri ſpecie poteſt, à contradictione ſtudet authorem vindicare,

dicare, & mavult in *conciliandis* ſeu redigendis in conſenſum nobilium ſcriptorum ſententiis, quàm in contradictionibus nectendis, ut calumniatores ſolent, impendere operam.

64. Sed quia tamen facilè & multis de cauſis contingit inter homines, ut quis idem alibi affirmet, alibi neget, & quidem tam apertè, ut rectè interpretandi præcepta conciliationem nullam ſuggerant, in utro ex duobus locis contradictoriis mentem authoris potiùs expreſſam putabimus? *Reſp.* Siquidem temporis intervallum interceſſerit, eam *authoris ſententiam ſtatuemus, quam indicat locus poſteriori tempore ſcriptus*. Nam, ut eſt in proverbio, δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, poſteriores cogitationes ſapientiores. Ita in libris S. Auguſtini pro ejus ſententia non recipies, quod in *Retractationum* libris videris rejectum. Sic à ſcripto Authoris adhuc *juvenis* meritò provocabis ad ſcriptum ejuſdem *viri*, quem experientia cautiorem fecit & prudentiorem. Calumniatores autem ſunt, qui *tironis* lapſus exprobrant eidem jam *veterano*, atque illis utuntur ad hujus meliùs fundatas ſententias labefactandas, quique adeo virum jam adultum & meliora doctum vellicant propter ea, quæ adoleſcens judicavit aut ſcripſit, imprimis ſi talis author errata ſua ipſe notaverit publicoque ſcripto refutaverit. Et hoc præceptum de tempore in lo-

cis contradictoriis obſervando tam latè patet, ut ad ipſos titulos, cum tractatione ſequente collatos, extendatur à Jureconſultis: unde illud: *quando nigrum contradicit rubro, ſtandum eſt nigro*, cùm ſit poſterius & magis deliberatum. Etiamſi autem iidem doceant, ſi pugnantia loquatur teſtator, neutrum in teſtamento valere; tamen alibi illud uſurpant effatum: noviſſimam ſcripturam ſpectari.

65. At ſi temporis intervallum non ſit tantum, ut ejus ratio magnopere debeat haberi, in utro pugnantium locorum mentem ſcriptoris potiùs expoſitam eſſe putabo? *Reſp.* E ſuperiori capite non obſcurè patet, è *didacticis potiùs quàm elencticis*, *acroamaticis quàm exotericis*, *ex inſtituto quàm per occaſionem dictis*, *magis etiam è ſcriptis deliberatis quàm præcipitatis* (quò & facit ratio Juriſperitorum effato jam citato addita) &c. colligendam eſſe ſententiam, quam magis ſuam eſſe ſcriptor velit.

66. Quòd ſi ergo author ſemetipſum optimè, & quidem pluribus modis ſuprà expoſitis, interpretatur, *an ea mens nunquam tribuenda eſt authori, quam ſuam eſſe negat? Reſp.* Si apertè neget ſe id ſentire, ſenſus ei talis per calumniam adſcribetur, niſi clariſſima dentur in contrarium indicia. Ex quibus indiciis perſæpe eſt, ſi aliud author loquatur, aliud totâ vitâ omnibuſque *actionibus teſtetur*;

tur; vel etiam, ſi aliud externis verbis dicere videatur, aliud verò *rationibus & argumentis*, quibus utitur, efficere conetur. Ut ſi quis affirmet, animam humanam eſſe ſubſtantiam realiter à corpore diſtinctam, ſed rationes interim ſuas eò ſolùm dirigat, ut anima corporis accidens eſſe perſuadeatur. Hac ratione interdum poteſt accidere, ut quis ſimulans errorem ſe refellere, quem interim revera ſtabilit, incautis lectoribus palpum obtrudat.

67. Quid igitur, ſi quis putans ſe refutare v.g. Socinianos, rationes adferat, quæ ad hoc negotium non ſufficiunt, eſtne ideo cum Socinianis ſentire exiſtimandus? *Reſp.* Minimè propterea Socinianiſmi ſtatim, niſi alia rerum argumenta accedant, ſed *imperitiæ potiùs arguendus*. Imò, ſi quidem refutatio ejuſmodi ſit difficilis, non illico ut favens hæreſi traducendus eſt, ſed potiùs rectè inſtituendus, atque inſuper ſeriò monendus, ne cruda ſtudia adhibere pergat feſtinatæ ſcriptitandi ambitioni explendæ.

68. Paulò ante mentionem feciſti actionum, veluti mentem hominis aperientium, velim ergo uberiùs explices, *quomodo Author quis actionibus & factis verborum ſuorum ſenſum declaret*: nam de verbis interpretandis noſtra agit Hermeneutica: quòd autem rectiùs aliquando intelligamus, quid alii ſentiant, ſi ad ea quæ agunt potiùs attendamus,

damus, quàm ad ea quæ loquuntur, id à re præſente alienum videtur. *Reſp.* Quotieſcunque actibus aut geſtibus externis ad ſermonem juvandum (vide Log. II. 15.) Author utitur, illorum attentio hujus promovet intellectum. Fuiſſe hunc morem Chriſto uſitatum colligimus ex Joh. xx. ubi diſcipulis oſtendit manus & latus ſuum, ſimul alloquens eos. Ita ironicam orationem vix aſſequaris, niſi perorantis geſtum aut videris ipſe, aut aliunde collegeris. Juvat etiam ad intelligentiam ſermonis pictarum inſpectio figurarum, quibus Mathematici aliique ſcriptores utuntur ex Log. I. 24. At quoniam figuræ iſtæ non ſemper cum rebus conveniunt, non ipſas ſolas, ſed maximè earum explicationes oportet attendere.

69. Antequam abſolvamus has de authoris per ipſum authorem explicandi ratione quæſtiones, videtur adhuc eſſe interrogandum, an illa quoque *ſententia tribuenda ſit authori, quæ ex ejus verbis ſequitur? Reſp.* Si conſequentia juſta ſit & legitima, & quæ ſatis agnoſci poſſit ab ipſo authore, omnino ſtatuendum eſt, eum id velle ac ſentire, quod ex verbis elicitur. Sic quia nihil ex verbis Dei recta ratiocinatione colligi poteſt, quin ipſe illud agnoſcat & agnoverit ab æterno, ideo omnia illa in S. Scriptura Deus ſentire judicandus eſt, quæ ex illa per bonam conſequen-

tiam

tiam deducuntur. Atque ita *multa ſunt in ſcriptis authorum ſapientum*, imprimis Dei ſapientiſſimi, *etſi non dicuntur*, expreſſis ſcilicet verbis, quod Græci dicunt αὐτολεξεί, q.d. ipſa dictione: e. g. ſi quis author fateatur, ſe de animæ immortalitate nihil ſcripſiſſe, & alibi tamen dicat, ſe eam demonſtrâſſe, calumniator mox contradictionem ſtatuit; at bonus interpres facilè videt ſtare hæc ſimul poſſe, ut quis expreſsè quidem non ſcribat, attamen principia tradat, ex quibus attentus lector concluſionem illam proximè ſequi animadvertat. Confer Log. II. 98. Huc pertinet Juriſconſultorum canon: genere expreſſo ſpecies ejus cenſentur expreſſæ. Et ille: ſcire leges non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem. Verùm in nectendis conſequentiis cavendum eſt, *ne ulteriùs procedamus, quàm ipſe author unquam voluerit* aut cogitaverit, ita enim à mente ejus aberratur. Qua in re peccant fervidiores Ariſtotelis ſectatores, dum non contenti omnia ea ſcire, quæ clarè ac dilucidè apud illum explicata ſunt, volunt præterea illic invenire ſolutionē multarum difficultatum, de quibus ne verbo quidem meminit, & fortè nunquā cogitavit.

70. Cùm factis pariter & dictis, variis adeo modis, verba ſua explicet author, ut ne quid notatu dignum omittatur, poſtremò quæritur, an & quatenus *ſilentium* authoris, de

de cujus ſenſu inveſtigando laboratur, ad interpretationem faciat? *Reſp.* Quamvis ille qui tacet ſæpe conſentiat iis, quæ dicuntur, ſæpe tamen etiam diſſentit, aut certè ſine ullo aſſenſu rem in ſuſpenſo relinquit: ut multò ſatius ſit ex aliis interpretandi legibus de mente authoris judicium ferre, quàm è ſilentio, quod incertum ſuppeditat argumentum, niſi aliæ circumſtantiæ accedant, quæ illud accuſent vel excuſent aliove modo reſtringant ac circumſcribant, ut in forenſi judicio uſu venit. Præcipuè verò *Calumniatoris hîc eſt notandum ingenium*. qui ſi ultimus ſcripſerit, nec ab adverſario novum reſponſum tulerit, ſibi mox triumphum decernit, nec potuiſſe reſponderi judicio defectis perſuadet. Nam ſi eâdem ſemper chordâ oberretur, ſi convitiis & calumniis tantùm oppugnetur ſemel aſſerta veritas, ſi nihil ad rem facientia longa ac tædioſa oratione declamentur, ſi è locatis ab authore fundamentis per ſe cuncta elidere valeat lector non omnino inconſideratus, ſcriptis antea editis, authore etiam tacente, veras ejus ſententias quovis tempore defenſuris, quis à præſtante authore flagitet, ut otii ſui, utilioribus rebus tribuendi, dominos faciat importunos calumniatores, ac ſine neceſſitate res multiplicando deſinat implere munia ſapientis. Pulcrum eſt, invidorum criminationes purgare morum innocentia, &

ſuæ

ſuæ virtutis exemplo aliorum vitia etiam tacendo coarguere.

CAP. XI.

Author, priùs ipſe inſpiciendus, per alios etiam porrò explicatur: nempe per criticos & correctores, *per* diſcipulos & adverſarios, *per* commentatores, *per* interpretem, *denique per alium quemcunque ſimilibus utentem verbis & ſententiis.*

71. Hactenus de Authore per ſeipſum interpretando: nunc enarretur, quot & quibus modis *per alium quis explicetur. Reſp.* Præmittendum eſt atque ingeminandum, ut libros authorum, ſi eorum detur copia, *noſtris priùs manibus & oculis præſentibus* uſurpemus, quàm ab aliis de mente eorum nos erudiri patiamur. Adhæc diſpiciendum, quis ille ſit qui ſcriptorem aliquem recenſere, interpretari, ac facem ejus verbis allucere ſtudet, diſcipulus, an adverſarius, authoris æqualis, an recentior, commentator, interpres, corrector, criticus, &c.

72. Quid de *criticis & correctoribus* obſervandum? *Reſp.* Vide, utrùm languidæ fidei conjecturis, an verò rationibus evidentiſſi-

tiſſimis adducti fuerint, ut virgulam cenſoriam ſtringerent; aut culpæ indicem notam apponerent. Multi enim ſcioli atque audaculi, dum ſanis ſæpe partibus medicinam facere volunt, vulnus faciunt, quod nullo modo iis permittendum.

73. Quid de *diſcipulis & adverſariis?* *Reſp.* Ratio ſuadet, ut à diſcipulo potiùs quàm ab adverſario ſenſum authoris expiſcemur. Revolve illa, quæ de ordine analyſeos q. 3. ut priùs diſcipuli ſimus &c. & quæ de jugi ſcriptoris lectione q. 9. dicta fuere. Etenim ut Gallus quiſpiam vix aliter Hiſpanum, quîcum bella gerit, quam ſub forma & ſpecie ridicula repræſentat in theátris: ita non rarò *adverſarius, quod carpat captans*, authori peregrinos ſenſus affingit, & quò faciliùs refellat, quàm abſurdiſſimos eos lectori depingit. Itaque fruſtra eſt qui mentem Ariſtotelis ex Ramo, aut Carteſii ex iis, qui affectu potiùs quàm ratione ei adverſati hactenus, peti poſſe autumat.

74. Quid de *commentatoribus? Reſp.* De commentariis illud in quæſtionem venit, ſintne initio ſtatim, an verò adhibitis demum reliquis interpretandi modis evolvendi? Et prius quidem aliqui ſuadent, eo quod amplam cogitandi ac de verbis authoris meditandi ſegetem ſubminiſtret. Sed alii volunt poſterius, quod & ſuperiùs dictis conſen-

ta-

taneum, ne præjudiciis ex commentarii lectione ortis ipſius authoris genuinum ſenſum pervertamus. Revera enim, dum ejuſmodi ſubeſt periculum, commentarios reliquis interpretandi adminiculis decet poſtponere.

75. Quid de *Interprete? Reſp.* Notabis inprimis, officium interpretis non eſſe verbum verbo reddere, quod ne quidem fieri ſemper poteſt ob linguarum idiotiſmos, de quibus q. 58. ſed ſenſum & mentem authoris ubique adæquare, nec propterea redarguendum, ſicubi voculas ſenſum clariùs explicantes inſerat, dummodo à mente authoris nuſquam recedat. *Calumniatoris* autem eſt, *qualibet verba diſſonantia*, ſenſui authoris interim conſona, *ſugillare*, atque ideo nunc authorem cum interprete, nunc interpretem cum authore committere, quando vel hoc vel illud commodiùs umbram dat, quâ magis occultè calumnia graſſetur. Quod calumniatoris vitium gravius eſt, ſi fidus interpres verſionem ſuam, antequam publici juris faceret, authoris judicio ſubmiſerit, ut quicquid in illâ minùs placeret, hic pro ſuo jure mutaret: imò ſi ipſe author ſibi lectam & correctam, priuſquam ederetur, eam verſionem diſertè profiteatur, calumnia prorſus inexcuſabilis eſt.

76. At cùm in ſuperioribus q. 23. dictum fuerit,

fuerit, ſenſum authoris meliùs innoteſcere, ſi propria loquens lingua inſpiciatur, quomodo nunc *ſcriptoris in alienam linguam verſio interpretandi modis accenſetur? Reſp.* Licet ad ſenſum inveniendum præſtet librum authenticum legere, quàm verſum, tamen & ille rectiùs intelligitur, ſi cum hoc conferatur, ex Log. II. 34. fine & aliis locis. Et quamvis etiam authentica ſcriptoris verba mentem ejus ut plurimum magis exponant, uſu tamen venire poteſt, ut *verſio quadam paraphraſtica*, accedente authoris approbatione, multò clariùs mentem ejus aperiat; quàm verba authentica. Porrò cuicunque ſcriptoris mentem cognoſcere, & per eum in veri cognitione proficere curæ eſt, ille, ſi *diverſarum editionum vel verſionum* ei copia ſuppetat, ex una alteri lucem fœnerari, & quod hîc vel obſcurius videtur, vel minùs rectum, inde clariùs perſpicere, aut corrigere rectiuſque agnoſcere laborat, & ſic veritatis indagatori, ſi qua opus, interpretationis æquitate ſuccurrit. His contraria animo volvens *calumniator* iniquus, omnia tantùm carpendi contradicendique ſtudio ruſpatur, nunc in hanc, nunc in illam partem vela vertens, nodum in ſcirpo quærens, ſemperque captans nebulas, per quas minùs pelluceat calumniandi libido.

77. Adde, ſi quid inſuper de commenta-

tore

tore aut interprete communiter obſervandum. *Reſp.* Quantò quis *meliùs linguam, qua ſcripſit author, callet*, tantò melior commentator, melior interpres; item quò *propior ejus eſt ætati*, eò melius mentem ſcriptoris perſpexiſſe ut plurimum eſt exiſtimandus, confer q. 23. Et ridiculum ſe præbet calumniator, ſi e.g. ipſe Belga Gallum natum docere velit ſua verba interpretari, quaſi ab interprete peregrino vernaculi ſermonis ſui uſum hic debeat addiſcere.

78. Tandem, ſi non interpres quis, non commentator ſit authoris, quem ne legerit quidem fortaſſis, poteſtne ille aliquid habere, quo ſenſus hujus quodammodo explicetur? *Reſp.* Si quidem ſcriptor ille alius de re eadem aut ſimili, vel etiam diſſimili tractet, *iiſdem ſimilibuſve utens verbis* & loquendi modis, non dubium eſt, quin verum ſenſum inveſtiganti queat inſervire, vide q. 34. Itaque calumniator eſt, qui e. g. illud axioma: *ex nihilo nihil fit*, quod novit ab aliis accipi de generatione phyſica, in uno authore, cui malè vult, ita explicat, quaſi negationem creationis inferret.

Cap. XII.

Sive author per ſemetipſum, ſive per alium explicetur, utrobique haben-

da

da eſt ratio æquipollentium *enunciationum.* De ſynonymis *quid obſervandum. Calumniatorum eſt propter* verborum diſcrepantiam ſenſûs unitatem *negare, ſive in verbis, ſive in rebus magis illa unitas conſiſtere judicetur.*

79. Abundè intellexi, quomodo author & per ſeipſum, & per alium explanetur: ſed quia utrobique identidem orationes occurrunt *æquipollentes*, id eſt, verbis diſcrepantes, ſenſu convenientes, ut in conferendis ejuſdem aut diverſorum authorum ſcriptis eò feliciùs progrediar, quæro in quibus æquipollentia illa conſiſtat? *Reſp.* Enunciationum æquipollentia eſt vel ex terminis, vel ex ſyncategorematibus, vel ex utriſque ſimul.

80. Quomodo *ex terminis*? *Reſp.* 1. Cùm ſubjectum, vel prædicatum, vel utrumque voce vel phraſi ſynonyma Grammatica permutatur. Sic idem ſignificant, quoad vivam, &, quoad moriar, licèt contraria eſſe videantur. 2. cùm impropria enunciatio reducitur ad propriam, vel contrà, de quo ſuprà.

81. Quid notandum *de ſynonymis*, quæ author eodem vel diverſis locis adhibet, vocabulis? *Reſp.* Videndum, utrùm idem planè ſigni-

ſignificent, ad rem magis inculcandam emphaticè uſurpata, vel etiam tautologiam ſapiant; an verò diverſitatem aliquam inferant obſervatu dignam, ut in ſapientum authorum ſcriptis uſu venit. E.g. Hæc duo nomina, vis ac poteſtas, frequenter conjunguntur à Juriſconſultis, ut ſimul δύναμιν & ἐξουσίαν ſignificent. Verbis illis, dicendo dixit, reſpondens dixit, dicentis vehementia in Sacris exprimi ſolet. Sæpe voci peregrinæ adjicitur propria notior, tanquam exegetica, ut Log. II. 82. παρὰ δόξαν. Ita multi interpretantur illud, Abba, pater, in ſacris Literis. Patriarcha Jacobus jam moriturus filios ſuos his verbis compellat Gen. 49. *congregamini filii Iacobi, audite Iſraëlem patrem veſtrum*, in quibus tautologiam inutilem contineri quis exiſtimet, cùm videatur ſatis fuiſſe, eos vocâſſe filios Jacobi, omittendo, quòd Iſraël eorum parens, quippe cùm Iſraël & Jacobus unam perſonam notent. Sed cum alterum horum nominum, à Deo huic viro datum, majeſtatis eſſet nota, alterum potius ignominiæ, duodecim Patriarchæ vocantur *filii Iacobi*, ut humilis ortûs ſui meminerint (Jacobo enim nomen, quòd in partu fratrem Eſavum ſecutus ejus plantam manu teneret) & ex adverſo etiam admoneantur, quòd ipſe eorum pater loquatur tanquam *Iſraël*, ſeu ut princeps & victor Dei, cujus verba mera ſint oracula.

Par eſt ratio ſimilium in S. Scriptura repetitionum, nempe ut ſæpius non *pleonaſmum*, multò minùs *tautologiam*, ſed *myſterium* notent. Ita S. Petrus trinâ confeſſione reſtitutus fuit Apoſtolatui, quo trina negatione videbatur excidiſſe. Nec fruſtra ad SS. Trinitatem probandam Theologi adducunt illa loca, in quibus vel nomen Jehovæ ter repetitur, vel Deus tribus ſibi propriis appellationibus ornatur.

82. Quomodo *ex ſyncategorematibus* æquipollentia eſt? *Reſp.* Ita non omnis & quidam non, nonnullus & quidam, &c. idem valent, quæ uſus loquendi ſuppeditat.

83. Quomodo *ex terminis & ſyncategorematibus ſimul? Reſp.* Enunciatio indefinita in materia contingente æquipollet particulari; ut, heroum filii noxæ; in materia neceſſaria univerſali; ut, obligatio eſt juris vinculum; hinc illud: *ſermo doctrinalis & indefinitus æquivalet univerſali.* Confer Log. II. 86.

84. Eſtne regula quædam ad mentem authorum cognoſcendam utilis de æquipollentibus annotanda? *Reſp.* Eſt hæc: *qui ponit unum æquipollens enunciatum, ponit & alterum: & qui unum removet, alterum quoque removet.* Unde calumniator eſt, qui authoris alicujus dictum vellicat, alterius verbis tantùm differens approbat, vel in eodem authore idem alibi probat, alibi paulò aliter ex-

preſ-

preſſum reprobat: e. g. cùm vulgò omnes definiant Logicam, *ratione rectè utendi artem*, ſi alius quis dicat, eam facere ad acquirendum *habitum non errandi*, calumniator hoc poſterius tanquam nimis glorioſum arrodit, cùm tamen, ſi non idem valeat, (ars enim habitum notat, & qui ratione rectè utitur, non errat) potiùs humilius quiddam quàm ſublimius videatur, quia illud non errare quodammodo negativum eſt & ſtrictius, ratione rectè uti affirmativum & latius, uti colligere eſt ex Log. I. 1. 16. 37. 127. Ita, ſi quis dicat, ſe habere *conceptum* Dei ſeu *notionem*, quam alius appellet *ideam*, nihil aliud volet uterque, quàm ſe cogitationem ſeu apprehenſionem aliquam ſimplicem, id eſt, perceptionem Dei habere. Calumniator interim abſurdum potiùs ſenſum è poſteriori loquendi modo, quàm ex priori exſculpere conatur, magis abſonum vociferans dicere ideam (ectypam ſcil. ex q. 27.) quam conceptum Dei: quaſi præſtaret à prole utero incluſa & comprehenſa, (inde enim ad mentem traductum eſt *concipiendi* vocabulum) petere appellationem, cùm de incomprehenſibili Numine cogitando loquimur quàm à viſione oculi, objecta viſibilia minimè comprehendentis, & cujus actionem etiam vulgò magis ſpiritualem reliquis ſenſibus, & mentis actibus ſimiliorem eſſe perhibent. Sic, ubi *citantur vel*

recitantur aut propria aut aliena dicta, *non quoad literas aut ſyllabas*, *ſed quoad mentem & ſenſum* (quod in ipſis Bibliis haut raró accidit) verbis æquivalentibus, calumniator ſit, qui extempló falſitatem aut contradictionem citanti aut recitanti impingat. Et huc tamen nonnullos incitat cavillandi cacoëthes.

85. An vero æquipollentia *in verbis* tantùm conſiſtit, an etiam *in rerum* quandoque paritate, vel incluſione ſeu comprehenſione unius in altera (ut v.g. ars continetur ſub habitu, non errare ſub illo, ratione rectè uti?) *Reſp.* Æquipollentia quidem, Logicis propriè ſic appellata, ſolùm eſt propoſitionum idem ſubjectum & prædicatum habentium. Sed hoc non impedit, quò minùs rerum quoque identitas ac ſimilitudo mente apprehenſa, uniuſque propoſitionis per aliam expoſitio, generalioribus ſpecialioribuſve conſtans vocabulis, ad obſcurioris ſententiæ interpretationem, cujus gratiâ hæc omnia ſcribo, conducat, quemadmodum è ſuperioribus mero meridie clarius eſt. Nec magni facimus Logicorum ſubtilitates, niſi comitem habeant utilitatem.

CAP. XIII.

Generaliſſimi noviſſimique interpretandi modi *ſunt*, *in dubiis benigniora*

gniora eligere, per omnes exponendi rationes ire, plures æquè veriſimiles ſenſus admittere, non ſine juſta cauſa damnare, nec levius erratum graviori refutatione perſequi.

86. De æquipollentia ſatis: tandem quæro, ſi & ipſo authore inſpecto, & aliis ſcriptoribus conſultis dubius nihilominus orationis maneat ſenſus, quid agendum? *Reſp.* Tenenda regula, quam & humanitatis leges, & prudentia juris, & Chriſtiana charitas dictant, *dubium in meliorem partem eſſe accipiendum*, atque eum ſenſum præferendum, qui nullam involvit abſurditatem, qui verò inconveniens videtur reſpectu rei, de qua agitur, vel authori minùs honorificus, deſerendum. Adde quòd tolerabilius peccant, qui peſſimè dicta in meliorem torquent ſenſum, quàm qui, calumniatorum more, optimè à quoque dicta in partem rapiunt deteriorem. Semper, inquit Seneca, quicquid dubium eſt, humanitas inclinat in melius. Et Jurisperiti monent, in ambiguis orationibus eam interpretationem faciendam, ut res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat. Confer q. 17.

87. Sed ne iſto pacto nimium ſtudere videar authoris partibus, vel ad errores ejus connivere, quomodo ejuſmodi ſuſpicionem evitabo? *Reſp.* Secundùm perfectæ enume-

rationis regulam Log. I. 106. *per omnes exponendi rationes eundum eſt*, & quid veri, quid falſi ſubſit, quid adverſetur ſententiæ tuæ, quid eam non tangat, quid concedere poſſis, quid non poſſis, ſi hoc vel illo modo verba accipiantur, clarè explicandum, adjectis rationibus. Sic nulla authorem injuria afficies, neque aliis nimis lenis dictorum cenſor exiſtimaberis.

88. An verò fieri nunquam poteſt, ut verba duplicem explicationem, non obſtantibus regulis Hermeneuticis, admittentia *utroque modo capiantur? Reſp.* Id fieri non repugnat, nam ita habet S. Auguſtini regula: ambigua in ſacris literis, ſi explicari non poſſunt, in utramque partem intelligi poſſunt, ſi fidei regula non obſtet. Similem ferè in modum legas, alicubi in Philoſophia clarioris explicationis causâ comparationem rerum inſtitui, ut hæc & illa *eadem ratione* fieri dicantur, quod duobus modis poteſt intelligi, nempe ut ſignificet vel tantùm eodem modo, vel inſuper eadem de cauſa (quæ Germani ſic diſtinguunt: auf ſolche weiſe/ und umb ſolcher urſach willen/ & Galli: *en meſme façon, & pour la meſme raiſon*) & ſæpe utrumque exprimitur iſtis vocibus generaliter acceptis, nec ſimilitudo tantùm, verùm etiam cauſa indicatur.

89. Verùm ſi talis omnino authoris alicujus

cujus ſit ſententia, ut nullæ regulæ Hermeneuticæ eam à falſitate vel abſurditate liberent, & quæ nullum recipiat ſenſum vero conſentaneum, multò minùs plures, quid faciendum, ut calumniæ notam effugiam? *Reſp. Ad excuſandum ac defendendum leviores rationes ſufficiunt, ad accuſandum ac damnandum requiruntur graviſſima.* Quæ ſi tam ſint evidentes, ut interpretem omnino cogant ad falſitatis damnandam ſententiam, quantum fieri poteſt, rem nudam tractabit, perſonis intactis, abſtinebit à verbis aſperioribus, quibus hodie ceu verberibus multi ſcriptores ſe invicem excipiunt, acuentes calamos, quæ humanitatis inſtrumenta eſſe debebant, velut in cuſpides gladiorum, quibus in clarorum virorum famam, quæ vitâ multis charior eſt, graſſentur, ex muſca ſæpe elephantem facientes, ex leviori errato ſcelus, &c. A quibus moribus, bono Interpreti ſedulò cavendum, ne gravior ſit refutationis pœna refutandi authoris delicto, ac ne culex percoletur (ut proverbio Scripturæ utar) & camelus deglutiatur, ut denique omni induſtria ac circumſpectione vitetur calumniæ vitium; quod adeo magnum eſt, ut humani generis hoſtis infenſiſſimus *Diaboli* nomen inde acceperit. Exempla inſectationis parum humanæ ſunt, cùm Iul. Cæſ. Scaliger eos *ſomniaſſe* ait, qui hominem ab

humo derivârunt; cùm opinionem Cardani, aquilam eſſe avium maximam & à cunctis timeri, geminum vocat *mendacium*; cùm Athenæum *egregiè* mentiri dicit, quod mugilem ex Ariſtotelis ſententia ſerratis dentibus præditum ſcribat; cùm Juriſconſulti nonnulli propter ordinis neglectum aliquando Tribonianum accuſant, quod, talia cùm ſcriberet, *temetum biberit* &c. Modeſtæ contrà interpretationis modi ſunt, ſi lapſum calami vel memoriæ, potiùs quàm animi & rationis eſſe ſtatuas; ſi in citandis aliorum dictis aberrantem vitioſis uſum codicibus exiſtimes; ſi deceptum potiùs ab alio ſcriptorem dicas, quàm quòd ipſe data opera lectores voluerit decipere; ſi oculi vel auris vitio errorem potiùs adſcribas, quàm mentis perceptioni; ſi potiùs ex imbecillitate intellectus, quàm ex pravitate voluntatis peccatum eſſe judices; ſi diſtinguas errores, qui ſcriptori ſunt proprii, ab iis, qui ſeculo imputandi, item errores philoſophi, quà talis, ab erroribus ejusdem, quatenus ethnicus, aut religioni heterodoxæ addictus &c.

CAP. XIV.

Generalibus interpretandi præceptis abſolutis ſpeciales orationum interpretandarum differentiæ *recenſentur*, *ut*,

ut, quòd propriæ vel figuratæ, enunciativæ vel non, perfectæ vel imperfectæ, copulam exprimentes vel occultantes, finitæ vel infinitæ, & quomodo negata finita dignoſcatur ab affirmata infinita, definitæ vel indefinitæ, ſimplices vel compoſitæ: ex his expoſitione indigent conditionales, ſed maximè comparativæ, excluſivæ, exceptivæ, reſtrictivæ.

90. Quoniam non ſufficit ad orationum quarumlibet ſenſum expeditè cognoſcendum, ſi generalia duntaxat interpretandi præcepta teneantur, ea propter his jam pertractatis clauſulæ vice ſubjici velim nonnulla de orationum differentiis, ut, quid in ſingulis exponendis ſpeciatim obſervandum ſit, faciliùs perſpiciam. *Reſp.* Prima differentia eſt, quod oratio alia ſit *propria*, *alia figurata* & vocibus conſtans tropicis. Si hoc, ut ſenſus evadat clarior, reducatur ad propriam, vocabulis in nativa ſignificatione ſubſtitutis. Sæpe tamen oratio tropica tam eſt uſu recepta, ut clarior ſit propriâ.

91. Quæ eſt ſecunda differentia? *Reſp.* Oratio vel Logica eſt & *enunciativa*, *vel non* ex Log. II. 61. unde accuratè diſcernes, an quid præcipiatur tanquam agendum, an

verò narretur tantùm ut actum, utrum quæratur, an enuncietur, petatur, optetur &c. Si oratio non enunciativa obſcuriorem habeat ſenſum, ut clarior fiat, revocetur ad enunciativam: e. g. oratio jubens ſive lex eſt: *non occides.* Subjectum hîc eſt homo, cui lex lata, prædicatum eſt ipſa lex, adeoque ſenſus eſt: nullus homo debet homicidium perpetrare.

92. Quæ eſt tertia differentia? *Reſp.* Si oratio enunciativa eſt, vel *plena* eſt & juſta, vel *defectu*, *abundantia*, aut *tranſpoſitione* laborat, aut denique convenientibus ſubjecti & prædicati *notis* deſtituitur. Adeatur Log. II. caput decimum. Hîc itaque terminus, qui ad enunciationem juſtam deeſt, replendus, qui abundat, reſecandus, ſic tamen ut acceſſorium reſpectum retineat; ſi tranſpoſitio, ſubjecto prior, prædicato poſterior locus aſſignandus; caſus obliquus ad rectum deducendus, tempus præteritum & futurum per præſens efferenda. Nam *enunciatio de tempore præterito & futuro vera ſit propter enunciationem veram de tempore præſenti:* ita e. g. fieri non poteſt, ut aliquando verum ſit, me nunquam fuiſſe, cùm jam verum ſit, me eſſe. Quomodo verò ſubjectum à prædicato dignoſci, quomodo defectus vel abundantia animadverti poſſit, ex ſcopo & propoſito dicentis, ex antecedentium & conſequen-

ſequentium inſpectione, ex collatione locorum parallelorum & ſimilibus interpretandi modis redditur manifeſtum.

93. Quæ eſt quarta differentia? *Reſp.* Enunciatio vel *exprimit copulam* EST, vel in prædicato eam *occultat*. Si occultatur, talis eſt enunciatio: homo currit, quæ idem valet quod, homo eſt currens. Si exprimitur, tum EST vel nudè copulat: ut, homo eſt animal; vel præter copulationem connotat exiſtentiam: ut, homo eſt in aqua, item, homo eſt, h. e. exiſtit ſeu eſt exiſtens.

94. Quæ eſt quinta differentia? *Reſp.* Enunciatio vel *finita vel infinita* eſt, vide ſupra q.40.& quia tam in finita negante, quàm in infinita affirmante negandi particula ponitur (v.g. primus homo non potuit labi, primus homo potuit non labi) ideo à multis ſæpe confunduntur, quod ne fiat, tenendæ quædam ſunt regulæ.

95. Dentur regulæ ex quibus agnoſcitur *negans enunciatio*. *Reſp.* Negans eſt, ſi particula negandi 1. ponitur proximè ante notam quantitatis: ut, non omnis homo eſt ſapiens. 2. Si in ipſa nota quantitatis includitur: ut, nullus mortalium omnibus horis ſapit. 3. Si ponitur ante copulam: ut, homo non eſt æternus. 4. Si ponitur ante verbum, in quo copula includitur: ut, homo non currit. Obſervandum tamen eſt, duas ne-

gationes in lingua Latina plerumque affirmare: ut, non poſſum non admirari.

96. Dentur regulæ ex quibus agnoſcitur *infinita affirmans*. *Reſp.* Talis eſt enunciatio, ſi negandi particula ponitur 1. proximè ante ſubjectum: ut, non populus Dei factus eſt populus Dei. 2. ante ſubjecti partem: ut, omne animal non rationale eſt beſtia. 3. poſt copulam: ut, lignum eſt non Deus, conſuetudo eſt lex non ſcripta, æger eſt qui non valet. 4. poſt verbum, in quo copula continetur: ut, Adam potuit non labi. Itaque in enunciatione infinita aut ſubjectum, aut prædicatum, aut utrumque eſt infinitum. Sed addenda regula 5. quòd ſæpe *propoſitio, quæ abſolutè ſpectata negans eſt, in ſyllogiſmo, cum reſpectu ad aliam propoſitionem, ſit affirmans infinita*, qualis v. g. minor eſt hujus ſyllogiſmi: Quod non eſt animal non eſt homo. Arbor non eſt animal. Ergo arbor non eſt homo. Medius terminus hîc eſt infinitus, non animal, qui in majore poſitus *idem* repetitur in minore, cujus minoris hic eſt ſenſus: omnis arbor eſt id, quod non eſt animal.

97. Quæ eſt ſexta enunciationis differentia? *Reſp.* Quòd vel *definita* ſit vel *indefinita*. Si indefinita ſit, atque inde obſcuritas oriatur, ex præceptis alibi traditis inquiratur, quæ notæ quantitatis apponendæ. Adi Log. part. 2.

part. 2. caput decimum tertium, & hujus quæſtionem 83.

98. Quæ eſt ſeptima differentia? *Reſp.* Enunciatio eſt vel *ſimplex* ſeu categorica, vel *compoſita*, quæ etiam vocatur *hypothetica*, nomine ſpeciei ad genus traducta, ex Log. II. 42. Simplex quà talis nullam parit obſcuritatem. Compoſita conſtat ex pluribus ſimplicibus per conjunctionem aut particulam relativam connexis: e.g. *relativa* eſt: qualis rex, talis grex. Per conjunctionem compoſita eſt *copulata*: ut, Chriſtus eſt Deus & homo; vel *conditionalis* ſeu hypothetica: ut, ſi Deus eſt, providentia eſt; vel *diſcreta* ſeu adverſativa: ut, non dies eſt, ſed nox; vel *disjuncta*: ut, aut dies eſt, aut nox eſt.

99. Eſtne in compoſitis iſtis enunciatis interpretandis peculiare quid animadvertendum? *Reſp.* Nihil magnopere occurrit, niſi quòd de ſenſu conditionalis obſervanda ſit hæc regula: *ſi conditio ſit impoſſibilis, enunciatio hypothetica æquipollet categoricæ ſimpliciter & ſine conditione neganti*: e.g. dabo tibi filiam meam, ſi cælum digito tetigeris, idem eſt ac ſi diceretur, neutiquam tibi dabo filiam meam.

100. Suntne aliæ enunciationes compoſitæ, aut compoſitis æquipollentes, in quibus interpretandis major eſt difficultas? *Reſp.*

Ejuſmodi ſunt enunciationes comparativæ, excluſivæ, exceptivæ, reſtrictivæ ſeu limitativæ, quæ proinde propter majorem obſcuritatem *Exponibiles* appellari conſueverunt.

101. Quid de *Comparativis* obſervandum? *Reſp.* Tertium illud attributum, in quo duæ res comparantur, vel *utrique* ineſt: ut, Ariſtoteles eſt doctior Platone; vel *alterutri* tantùm: ut, melius eſt nubere, quàm uri; vel *neutri*: ut, ebrietas melior eſt ſcortatione. Prima enunciatio, in qua comparatio propriè dicta inſtituitur, facilem habet expoſitionem. Secundæ hic eſt ſenſus: nubere bonum eſt, uri non eſt bonum. Tertiæ ſenſus iſte eſt: ebrietas eſt minùs mala, quàm ſcortatio. Verùm comparatio ſecundi generis minùs propria eſt, ea verò quæ eſt tertii generis, maximè eſt impropria.

102. Quid annotandum eſt de *Excluſivis*? *Reſp.* 1. Particulas excluſivas eſſe has: ſolus, pauci, unus, unicus, tantùm, & ſimiles. 2. excluſivam eſſe aliam *prædicati*: ut, Sapientes Græciæ fuerunt tantùm ſeptem; aliam *ſubjecti*: ut, ſolus Deus eſt infinitus. Prior enunciatio ſic intelligitur: Sapientes Græciæ fuerunt ſeptem, & non plures; poſterior ſic: Deus eſt infinitus, & nullus alius. 3. vocem *excluſivam non excludere concomitantia, ſed oppoſita*: ſic quando Ioh. XVII. 3.

Patrem

Patrem eſſe ſolum verum Deum indicatur, Filius & Spiritus S. non excluduntur, ſed ficticii Dii.

103. Quid obſervandum de *Exceptivis?* *Reſp.* 1. Particulas exceptivas eſſe has: præter, præterquam, niſi, & ſimiles. 2. harum officium eſſe, prædicatum attribuere ſubjecto, ſed tamen de aliqua ſubjecti parte idem negare: v.g. Chriſtus factus eſt nobis per omnia ſimilis, excepto peccato. Eſt igitur id, à quo fit exceptio, (ut hîc illud, *omnia*) aliquid latius re exceptâ (v.g. *peccato*) & res excepta ſub eo, à quo fit exceptio, abſolutè ſpectato, continetur. Hinc pendent illa Iuriſconſultorum: exceptio vitiat regulam, non in totum, ſed in caſu tantùm excepto. Exceptio confirmat regulam in caſibus non exceptis. Exceptionem oportet eſſe de regula.

104. Quid de *Reſtrictivis* tenendum? *Reſp.* 1. notas amplitudinem ſubjecti reſtringentes eſſe has: quatenus, quà, in quantum, quantum ad, & ſimiles. 2. eas eſſe vel *reduplicativas*, nempe quando deſignant cauſam, propter quam prædicatum de ſubjecto dicitur: ut, ignis quatenus calidus urit; vel *ſpecificativas*, quando ſcilicet certam exprimunt conditionem ſub qua prædicatum tribuitur ſubjecto: ut, homo quà cæcus viſum recipit, Chriſtus ut homo mortuus, Chriſtus quà mortuus nobis exhibetur in S. Cœna.

LOGICÆ

PARS QVARTA,

In qua hominum conceptus, definitiones, diviſiones, ordo cogitationum, judicia, effata, quæſtiones, probationes, diſputationes ad rectæ rationis ſtateram appenduntur.

CAP. I.

Senſu orationis percepto alia ſupereſt Analyſis, *ad quam inſtituendam præcepta Logicæ Gen. non omnino ſufficiunt, tanta ejus eſt in cogitatis alienis & propriis, humanis ac divinis dictis reſolvendis* neceſſitas. *Quo animo ad hanc Analyſin accedendum, cur ſpeciatim* Analyſis Logica *dicatur, & quis ordo in præceptis aut exemplis ejus tradendis ſervandus.*

1. POſtquam cogitationes alicujus Authoris, vero orationis ab eo prolatæ ſenſu cognito, nobis fuerunt patefactæ, ut ſatis quænam illæ ſint ſciamus,

mus, quid reſtat de iiſdem cognoſcendum, *ut Logica abſolvatur Analyſis? Reſp.* Inquirendum eſt an cogitationes ſcriptoris, externo ſermone nobis explicatæ, regulis illis, quas non ſolùm de percipiendi, judicandi & recordandi, verùm etiam de tradendi modo præſcripſit Logica Genetica, ſint conformes, nec ne, & qua de cauſa tales in animo dicentis exſtiterint.

2. At nunquid fuſè ſatis & luculenter hæc *ex Logica Genetica*, præcipuè ex parte ejus priore, dignoſcuntur, ſi nimirum ad præſtitutos illos canones, ſecundùm quos proprias cogitationes formo, aliorum quoque meditata exigam atque explorem? *Reſp.* Equidem hoc fieri ſemper debet & poteſt, ſine nova manuductione, ab iis qui ſatis attenti ſunt ac perſpicaces; verùm quia plerique eorum, qui *ſapientiæ ſtudiis initiantur*, non ſunt ejuſmodi, ut ſine cortice in divinorum humanorumque ſcriptorum pelago nare valeant, ideo ratio ex Log. II. 13. 95. & uſus flagitat, ut monita quædam ad hujuſmodi analyſin faciliùs inſtituendam pertinentia, proferantur, aut certè ſpeciminibus nonnullis atque exemplis illius inſtituendæ modus præmonſtretur, ex Log. II. 87.

3. Quænam igitur & quanta *hujuſce Analyſeos eſt neceſſitas? Reſp.* Ne albus illico calculus addatur omnibus, quæ apud authores etiam

etiam claros leguntur, monendi ſunt humanæ divinæque ſcientiæ dediti, ut non tam videant *quis dicat*, magni an parvi nominis author, ſed *quid dicat*, & quomodo ſua probet, utque vitia plurimorum in ſcriptis & ſermonibus occurrentia, & ſpeciem ſæpe virtutis præ ſe ferentia, detractâ larvâ, detegere aſſueſcant, atque *alieno exemplo ſapere* docti ſuo cautiùs utantur ingenio. Quamvis enim rectum & ſui norma ſit & obliqui, unumque oppoſitum ſufficiat ad ſemetipſum pariter & alterum oppoſitum diſcernendum; attamen, cùm *obliquum recti*, *& oppoſitum alterius oppoſiti ſpeciem induit*, qualiſcunque recti cognitio ad obliquum ab eo diſcernendum, atque unius contrarii notitia ad diſcrimen utriuſque intelligendum haudquaquam ſufficit. Etenim ad tenendam ac monſtrandam veram viam, etiam diverticula, anfractus & ſalebras nôſſe intereſt, ne vel ipſi per eas ingrediamur, vel alios iſtac tendentes ſequamur, multò minùs, ut qui ſe nobis ducendos permiſerunt, illac pergere concedamus, ſed de iis cavendis præmoneamus. Ita ſcilicet mala etiam exempla & infelicia prodeſſe poſſunt prudenter obſervanti, cum aliorum παθήματα nobis μαθήματα.

4. An ergo *aliorum* tantum dictis ac ſcriptis adhibetur hujuſmodi Analyſis? *Reſp.* Etiam *propriis cogitatis applicari* poteſt atque omnino

omnino debet, non hac ſolùm de cauſa, quòd minus errabimus, ſi mentis actu reflexo percurramus ea quæ compoſuimus, verùm etiam quia ratio poſtulat, ut viri jam adulti *immaturæ ætatis noſtræ judicia*, quoad pueritiæ memoriam replicare ultimam valemus, ad examen revocemus, atque ita eruditi noſtra magis adhuc rudium, & priora cogitata poſterioribus perluſtremus. Sicuti enim Arithmetici examen inſtituunt earum operationum, in quibus perficiendis jam tum ipſi laborârunt, & ſicut relegere ſolemus epiſtolas & ſcripta noſtra, antequam in manus amici, typographi, alteriuſve hominis incidant, primæ ſcriptioni non credentes: ita *primis quæ occurrunt cogitationibus* vix unquam fidendum; ſæpe enim quæ nobis viſa ſunt vera, cùm primùm ea animo concepimus, falſa poſtea cognoſcuntur, cùm chartis mandare volumus. Vnde etiam plus aliquando temporis impendere cogimur in recognoſcendis noſtris meditatis, quàm in iis componendis antea fuit impenſum. Ac denique, cùm proprium ſtultitiæ ſit, aliorum vitia cernere, oblivisci ſuorum, quàm de ſuis erroribus alios moneamus, par eſt, ut noſtros ipſi priùs evellamus.

5. Quo verò animo accedere oportet ad hanc noſtrarum alienarumque cogitationum Analyſin? *Reſp.* Superior Hermeneutica *diſcipu-*

ſcipulos exigebat, qui ſenſum verborum ſtantes diſcerent, ad mentem authoris percipiendam attentas erigerent aures: hæc Analytica facultatem nobis concedit, ut veluti *cenſores* alienorum pariter & noſtrorum ſenſuum receſſus & abdita examinemus, corrigamus, reprehendamus, ac ſedentes tanquam *judices*, nil nobis, nil aliis blandientes aut arrogantes, rectam de cogitatis atque opinionibus quibuſcunque feramus ſententiam, ut amicus quidem ſit Plato, amicus Ariſtoteles, ſed magis amica veritas, ut hujus tuendæ causâ & propria vineta cædamus, & præceptorum decreta reſcindamus, & adverſariorum quandoque ſententias præferamus amiciſſimorum capitum enunciatis, ut ipſa vincat omnium rerum fortiſſima veritas.

6. Ex hactenus reſponſis neceſſitatem hujus Analyticæ, non in aliorum duntaxat hominum, verùm etiam in propriis cogitatis examinandis adhibendæ, ſatis agnoſco, niſi pondus aliquod velis adjicere. *Reſp.* Ad neceſſitatem hujus Analyticæ uberiùs demonſtrandam hoc etiam facit, quòd *verba Dei ſecundùm eam reſolvi* debeant, quæ cùm non ab homine, nec ſecundùm humanæ Logicæ modulum ſemper compoſita ſint, manifeſtum eſt hîc ſingularibus quibuſdam monitis Analyticis opus eſſe. Exemplum videbis quæſtione octogeſima ſeptima.

7. Cur

7. Cur autem hanc poſtremam Logicæ Quadripartitæ partem peculiari appellatione Analyticam nominas? *Reſp.* Quoniam illa dictorum ſcriptorumque reſolutio, quam hoc loco aggredimur, frequentiùs Analyſis Logica appellatur, quàm veri ſenſus inveſtigatio, de qua egimus parte antecedente. Et Analyſis quidem *Logica* potiori jure dicitur, quia Logica magis circa ſermonem internum quàm externum occupata eſt, & quia in ſermone interno, quem vocant, plura & potiora inveſtiganda ſunt quàm in externo, iccirco *Analyſis* κατ' ἐξοχὴν nuncupatur.

8. Quo *ordine hanc Analyticam tradere* convenit? *Reſp.* Sequemur *ſeriem capitum Logicæ Geneticæ*, ut, quomodo ſecundùm ſingula examinari poſſint alienæ, imò & noſtræ cogitationes, ſaltem exempli gratiâ monſtretur: quam viam eò tutiùs inſiſtere poſſe videmur, quò accuratiori ordine ac methodo Geneticæ Logicæ præcepta tradita fuere. Et primò quidem ſpecimina analyſeos cogitationum, præcipuè humanarum, ſecundum utriuſque Logicæ Gen. *capita tria priora* inſtituendæ, more problematico proponemus, paulatim deinde ad interrogationum reſponſionumque nexum nobis familiarem redituri.

CAP.

CAP. II.

Opinionum varietas unde? cur neceſſaria ignorentur à multis aliorum non ignaris? præpropere de praxi cogitantes cur indoctiores? parentes an bene ad certa ſtudia filios cogant? cur penſa nimis parva nonnulli ſibi proponant? cur in V. T. ad munus Leviticum ætatis maturitas requiſita? cur verba rebus non reſpondeant? cur Logica vulgò tam ſterilis? an bene cogitârint Veteres in celebratione S. Cœnæ exclamantes ſurſum corda? *cur indocti meliùs quàm docti perſuadeant indoctis?*

9. Unde oritur tanta humanarum *opinionum diverſitas*, ut quot capita, tot ſenſus trito proverbio dicantur? *Reſp.* Ex eo, quòd homines primò non ad eaſdem res attendunt, deinde quòd ætate, ingenio, vel profectibus impares exiſtunt, ac denique quòd cogitationes ſuas non per eaſdem vias ducunt. De quibus tribus agitur primo & ſecundo Log. capite.

10. Quî fit, quòd multi *neceſſaria ignorent*, non neceſſaria plurima probè calleant?

Reſp. Quia delectum rerum cognoſcendarum non habent, contra præceptum Logicæ quæſt. ſecunda.

11. Cur illi, qui *ad praxin nimis feſtinant*, raró evadúnt viri excellentes? *Reſp.* Quia minus larga cognitionis luce mens eorum illuſtratur, unde & praxis ſolido fundamento deſtituitur, utpote cui regulam præſcribit antegreſſa theoria. Nota Log. I. 3. verba: ut illarum cognitio nobis inſerviat &c. Si tamen theoria & *ratio* ſit erronea, mirandum non eſt, feliciores eſſe practicos, qui *experientia* nituntur.

12. An rationi convenienter faciunt *parentes, quòd filios ad hæc vel illa ſtudia deſtinant*, atque etiam interdum cogunt? *Reſp.* Peccant contra præcepta Logica, quæ volunt, ut ille ipſe, qui diſciplinam eſt cogniturus, exploret animi ſui propenſionem & habilitatem ingenii, ex Log. I. 8. II. 10. & aliis.

13. Cur multi homines *penſa nimis parva ac tenuia ſibi proponunt*, atque in rebus levioris momenti ætatem conſumunt, cùm ad graviora nati viderentur? *Reſp.* Quia non explorant vires ingenii ſui ex Log. I. 8. nec rerum cognoſcendarum differentias ponderant ex Log. I. 2.

14. Cur *in V. Teſtamento certa quædam ætatis maturitas* requirebatur, antequam ad ſacerdotium aut munus Leviticum quis admit-

mitteretur? *Reſp.* Hoc inſtitutum rationi fuiſſe conſonum liquet ex Log. II. 6.

15. Cur *ſermo humanus toties à rebus diſſentit?* *Reſp.* Quia ſecundùm rectam rationem propriarum cogitationum ſufficiens de rebus informatio debet antecedere earum interpretationem: id enim jubet ordo inter primam & ſecundam Logicæ partem, & hujus quæſtio octava indicat. Atqui experientia docet in rebus appellandis contrarium eveniſſe. Vulgus enim ignarum, reſpiciens potiùs uſum vitæ, quàm contemplationem veri, rebus nomina indidit, cùm primùm eas vidit & invenit, nec niſi confusè & negligenter cognovit. Poſtea cùm incrementum cepit rerum notitia, pluribus earum attributis detectis, manſit tamen quæ ſemel *recepta* erat appellatio, ex Log. II. 31. Quod laudem mereretur, ſi nomina priùs *apta* rebus impoſita fuiſſent. Sic *Geometria*, à terræ dimenſione initio appellata, poſteaquam ad ipſorum corporum cæleſtium dimenſionem mortalibus viam aperuit, anguſtiore ſe nomine ab iis inſignitam meritò dolere poteſt. Idem dicendum de *Grammatica*, quo nomine antiqui ſolam legendi & ſcribendi artem intelligebant; ſed quam Germani non Litterkunſt/ at magis adæquato vocabulo Sprachkunſt nuncupant. Huc refer omnia nomina, quæ vel re nominata, vel ratione nominandi mutata

man-

manſerunt immutata. Ita *clepſydram* ſæpius adhuc dici audias, licèt arenulis nunc tempus metiamur, non aqua, ut olim. Et *concio* appellatur hodie diſputatio ad populum, cujus olim materia civilis erat, nunc religioſa. Non videas hodie *Candidatos* candida veſte indutos *ambiendo*, ut Romæ fiebat, dignitates petere. Nec pecudis imagine *pecunia* noſtra ſignatur. Nihil etiam cum avibus nobis eſt negotii, cùm quid veri *auguramus*, vel boni quid *auſpicamur*, vel Candidatum *inauguramus*.

16. Cur ars *Logica vulgò tam ſterilis* & *jejuna deprehenditur*? *Reſp*. Quia ex Log. II. 13. habetur ratio diſcentium, qui plerumque ſunt pueri. Sed malè his *rationis* formandæ ars proponitur, cùm *ſenſum* & *memoriam* per alias diſciplinas iſta ætate oporteat exercere, ex Log. I. 7.

17. An rationi congruenter in adminiſtratione S. Cœnæ, *ſurſum corda*, exclamabant Veteres, cùm Chriſtus ſymbolis terrenis ac præſentibus uſus fuerit? *Reſp*. Initium quidem attentionis illius, quæ in Euchariſtia requiritur, eſt à ſignis illis ex Log. I. 24. ſed quia, ex eâdem, non oportet in iis hærere & perſiſtere, cùm in ſpiritualibus attendendis debeamus *à rebus corporeis & præſentibus mentem avocare*, ut ibi docetur, ideo bene clamabant Veteres, ſurſum corda.

P 18. Cur

18. Cur *indocti doctis concinniùs plerumque dicunt apud imperitam multitudinem*, adeo ut opinio ſæpe violet veritatem, ut eſt in proverbio? *Reſp.* Quoniam indocti ſe magis accommodant intelligentiæ vulgari popularique captui ex Log. II. 7. 13. 20. Nempe balbus balbum rectiùs intelligit, ut alio fertur proverbio. Et bene Ariſtoteles, ut conſuevimus, inquit, ita judicamus dici oportere.

CAP. III.

Simplex *non bene voce notatur compoſita, neque* compoſitum *ſimplice. Vnde* Homo *malè dicitur, pejùs* Viſus, Auditus *&c. De nominibus* Angelus *&* Spiritus *quid ſentiendum.* Elegantia ſermonis *externi, & interni* rectitudo *non ſemper pari paſſu ambulant.* Circa vocabula *neceſſariò verſatur Logicus Analyticus, aliter tamen ac Philologus.*

19. Rectiuſne Germani Schlecht / an Latini *Simplex* appellant, id quod non eſt compoſitum? *Reſp.* Cùm ſimplex compoſita voce dicatur quod *ſine plica*, Latini manifeſtè peccant contra Log. II. 40. Germani in voce Schlecht/ ſiquidem ſimplex eſt, præceptum

ceptum ibi propoſitum obſervant: ſed iidem illud violant, cùm ſimplex vocant einfältig/ quaſi *unam plicam* habens. Simplicia enim ſimplicibus vocabulis nominanda. Sed bene Chriſtus appellatur θεάνθρωπος, quia Deus & Homo. Bene *ſedecim* dicuntur, quia numerus ille è ſenario & denario componitur. Bene ζωόφυτα *Plantanimalia*, & Androgynos. Malè attributa iſta hominis, *fames*, *ira*, *viſus*, &c. ſimplicibus vocabulis exprimuntur, quoniam maximè compoſita ſunt, & partim corporis motum, partim animi cogitationem (quæ duo toto genere differunt) notant. Vide Log. I. 42.

20. Dices, at *Homo* etiam una voce ſimplice nominatur. *Reſp.* Nego, quòd rectè in Logica: nam quòd in vita agenda nomine ſuo admonetur, ſiquidem ab humo dicitur, ut humilitati ſeu modeſtiæ ſtudeat, conſiderationis Ethicæ eſt, non Logicæ. Sic *Angelos* ab officio, quo funguntur in civitate Dei, & quod piis magno eſt ſolatio, bene appellatos à nunciando credimus. At nomen à natura eorum propria deſumtum in veri contemplatione magis deſideraret philoſophus. (Unde patet, vocabula ad uſum vitæ potiùs, quam ad contemplationem veritatis eſſe accommodata, & aliud Ethicè, aliud Logicè bonum cenſeri: quod obſervabis & in ſequentibus.) Deinde homo quidem uno nomine

appellatur, ſed ita ut in eo vulgò etiam intelligantur partes diverſæ, anima & corpus, quod non fit ſimilem in modum in *Viſu* &c. De oculo enim aiunt, videt; de aure, audit: at non de corpore toties, nec tam apertè dicitur, Homo: quamvis cadaver ſepelientes, Hominem ſepelire ſe, prava loquendi conſuetudine vulgò dicant: ubi tamen rectiùs canentes audias: Nun laſt uns den leib begraben / id eſt, corpus ſepeliamus. Atqui perverſus animi noſtri conceptus ſatis ſe prodit, cùm de homine quopiam dicimus, quòd amiſerit animam, ſeu exanimatus fuerit, ſeu, quòd anima eum reliquerit. Ubi corpus conſideramus tanquam totum hominem, qui amittit animam, haut ſecus ac ſi per halitum aërem emitteret, (unde efflare & exhalare animam, pro eo quod eſt mori, uſurpatur) aut certè tanquam partem potiorem, quæ amittit alteram minùs principalem. Utique enim id quod amittit, quippe ſubjectum privationis, in mente & cogitatione noſtra potiſſimum eſt; quin imò ſolum illud eſt, quod ab habitu ad privationem tranſit, h. e. quod perfectione ſua deſtituitur. Ignoſceremus Platonico alicui, ſi excorporari, vel à corpore liberari hominem diceret, à potiori enim parte denominaret hominem ex Log. II. 38. Sed familiari noſtro errori, quo ignobiliorem noſtri partem pro

toto

toto vel præcipuo hominis accipimus, hautquaquam parcendum ducimus.

21. An res intelligentiâ præditæ *Spiritus* nomine & notione aptè efferuntur? *Reſp.* Cùm Spiritus propriè flatum & vaporem notet, aut certè corpus tenue & ſubtile, non unus hîc error Logicus deprehenditur. Nam 1. contra Logicæ I. 33. 41. res intellectuales & corporeæ ſic non ſatis diſcernuntur. 2. Res abſolutæ, Mentes, per ſimilitudinem & relationem ad corpora (qualem non habent) animo apprehenduntur & verbo exprimuntur, contra Log. I. 38. II. 37. 40. Eundem ad ſcopulum impingunt, qui mentem humanam vix aliter conſiderant, quàm ut *actum*, *formam*, *perfectionem* corporis organici. Ne nunc repetam ea, quæ de exhalatione animæ ad præcedentem quæſtionem dixi.

22. An qui de elegantiis Grammaticis & Rhetoricis ubique cogitant, ſatisfaciunt ſemper legibus Logicis? *Reſp.* Negatur: ſic *orbem terrarum* elegantiùs dixeris, quàm mundum, & tamen vox non reſpondet rei, cùm terra non ſit *orbis*, ſed globus; & quia ratione univerſitatis puncti ſolùm rationem habet ille globus, ideo perperam *orbis terrarum* nomine totus mundus inſignitur, neque enim ab eo, quod revera potius eſt, ex Log. II. 38. ſed ab eo, quod nobis ab in-

ſantia potius videtur, facta eſt denominatio. Sic aliquid *in nihilum redigere* mavult dicere Grammaticus, Logicus præfert *annihilare*, dum aliud non habet melius. Nam in hoc poſteriori vocabulo unum tantùm vitium eſt, quòd nimirum verbum annihilare actionem deſignet ex legibus Grammaticæ, cùm annihilatio revera negationem actionis inferat: in illo priori duo ſunt vitia, cùm non modò activum verbum adhibeatur, verùm etiam ipſo verbo expreſſe redactio notetur. Porrò dum *prata ridere*, *triſtari*, *ſol cuncta videre* &c. dicuntur, Rhetorica elegantia eſt; ſed Logicus judicat rerum diverſarum attributa ſic permiſceri & confundi. Dum enim res *arridere* nobis dicitur, Germ. anlachen / zulachen / affingitur ei actio hominis propria. Sic verbum θέλειν, *velle*, eleganter de rebus inanimatis uſurpatur, ut, quando dicimus: quid hoc ſibi vult? Vide Act. II. 12. Sæpe verbo privationem tribuimus iis rebus, quæ ne habitus quidem capaces unquam fuere, ut, cùm oculos, pedes vel manus *aberrâſſe* dicimus, cùm ignem *fatuum*, *erraticum*, avenam *fatuam*, inteſtinum *cæcum* nuncupamus. Eleganter interdum *ſubjectum in fine orationis* à Latinis ponitur, quod initio, ut fit à Germanis, collocatum oportuit, vide Log. I. 124. ut externus ſermo cum interno conſentiát, ex Legibus Hermeneuticæ. Alia ſunt

ſunt exempla plurima. Ex quibus intelligitur 1. quantum *differat Analyſis Philologica à Logica*, quia in Grammatica & Rhetorica ſæpe approbatur, quod in Logica reprobatur, & contrà; cùm ibi mos & vaga conſuetudo imperio democratico, hîc ratio ſibi conſtans imperio monarchico dominetur. 2. quòd à Philoſopho λογικῶς animi ſenſa exprimenti non ſemper debeat poſci elegantia. 3. quòd ſtudium verborum nonnunquam obſit ſtudio rerum & claræ earum explicationi. Neque Sebaſt. Caſtalio in verſione Latina SS. Literarum, nimiùm de ſtyli elegantia ſollicitus, ubique boni interpretis munus implevit. De Seneca etiam alicubi obſervat Renatus Des Cartes, quòd, dum ornare elocutionem ſtudet, non ſatis mentem ſuam explanet.

23. Sed mirabitur hîc non nemo & percunctabitur, hæccine eſt illa promiſſa *Analytica*, & quidem κατ' ἐξοχὴν ita appellata, quæ hunc in morem *verſatur circa vocabula? Reſp.* At jam oſtenſum eſt, ita eam occupari in vocibus, ut Grammaticæ munus non exerceat, quo pacto nonnulli, ſuo judicio ſublimes Metaphyſici, de vocabulis tractare conſueverunt. Præterea, cùm vulgò Logicæ munus exiſtiment ſophiſmata & fallacias è vocibus & phraſibus ortas detegere, quid mirantur, ſi ob ſimilem omnino

cauſam de vocibus hîc agamus? Et ſciant, ita cum hominibus comparatum eſſe, ut vix unquam ullius rei conceptum habeant tam diſtinctum, ut eum ab omni verborum conceptu ſeparent. Adeo involutæ atque inter ſe miſtæ ſunt vocum & rerum apprehenſiones, ut inter potiſſima ſit *Analyticæ officia, in cogitationibus hominum externo ſermone expreſſis videre, quid ad verba, quid ad res pertineat*, ſeparare notionem vocabuli & notionem rei, & quomodo ex illa mixtura & confuſione errores quàm plurimi oriantur oſtendere. Quo certè conſilio & hic & multò magis in ſequentibus vocabulorum facienda mentio, ſi quidem cogitationes hominum juſto ſuo pretio velimus æſtimare. Neque ſanè aliter cogitata aliorum ad examen analyticum revocare licet, quàm ut verbis externis expreſſas, quoniam ipſos hominum animos in ſe non inſpicimus.

CAP. IV.

Poſitiva & negativa bene diſtinguuntur in his: pius, impius; *malè in illis*: rationale, irrationale; *peſſimè in iſtis*: mortale, immortale. *Radix hujus poſtremæ confuſionis & fructus perverſi. Mortalitas & finitudo attributa*

buta verè negativa ſunt, immortalitas & infinitudo poſitiva. *Contrà* poſſe mentiri, poſſe mori, *negant potentiam, non ponunt.*

24. De *poſitivis ac negativis* rebus & attributis quomodo ſe habent cogitationes hominum verbis externis enunciatæ? *Reſp.* 1. Quemadmodum privatio intelligitur per habitûs abſentiam: ita per negationem ejus rectè effertur, unde ad diſtinctam perceptionem bene illa dicuntur: *decet, dedecet, gnarus, ignarus, legens, negligens, pius, impius, ars, iners* &c. 2. Minùs bene fit, quòd illud, quod imperfectius quidem, ſed tamen poſitivum eſt, per negationem magis perfecti concipiunt atque exprimunt, v. g. beſtiam animal *irrationale*, cælos & elementa corpora *inanimata* dicendo, quatenus hæc ſecundùm vulgarem opinionem imperfectiora ſunt animatis. 3. Peſſimè fit, quòd magis perfectum & magis poſitivum, per negationem ejus, quod minùs perfectum & poſitivum, vel totum etiam privativum eſt, animo concipitur & verbis effertur, ut in his: *piger, impiger, otium, negotium*, χολὴ, ἀχολία, müſſig / unmüſſig / ubi tres linguæ, quæ ſæpe aliàs diſſident inter ſe conveniunt, privationem priùs & voce affirmativa appellantes, habitum poſtea voce negativa inſignientes. Sic ratione &

ordine perverſo ſibi opponuntur *mortale* & *immortale*, *corruptibile* & *incorruptibile* &c. Hîc enim primum vitium eſt, quod poſitivum poſitivè non concipitur atque effertur, uti non ſolùm deberet, verùm etiam poſſet. Nam ſi æterni & ſempiterni nomina non explent animum, poteſt uſurpari hoc, *ſemper vivum*, quod nomen meliori jure immortalibus mentibus, quàm plantæ tribueretur. Alterum vitium eſt inconſtantia, nempe, quòd homines, alibi defectum, aut certè minus perfectum per negationem concipientes atque exprimentes, hîc planè contrarium factitant. Cur enim non inverſo ordine immortalia atque incorruptibilia poſitivis, mortalia & corruptibilia negativis (id quod majori cum ratione potuiſſent) vocabulis deſignarunt?

25. Sed eſtne hoc vitium Logicum in poſtremo exemplo notatum tam grave? *Reſp.* Quemadmodum non eſt ſimplex, at multiplex, ita omnino eſt ex graviſſimis, ortum à conſuetudine infantium & vulgi, circa res tantùm corporeas & terrenas cogitando verſantium, atque eas ſolas magni, reliquas aut nihili aut certè minoris æſtimantium, vid. Log. I. 35. Poſtea Viri etiam Philoſophiæ valdè addicti, propter longam ita cum vulgo loquendi & cogitandi conſuetudinem, ex Log. I. 126. retinuerunt notiones ac voces

ces iſtas negativas, non recordati errorum infantiæ. Ita ſcilicet, *quia res phyſicas, terrenas & humanas jam cognoverant & poſuerant*, eas cum vulgo ut magis notas & magis poſitivas conſiderabant, & quemadmodum illas affirmantibus vocabulis, materiales, corporeas, mortales, finitas, menſuratas, &c. ita *res Metaphyſicas, veluti minus notas & minus poſitivas*, immateriales, incorporeas, infinitas, immenſas &c. negantibus vocibus appellârunt. Quâ ratione tantum abeſt, ut ad rerum ſpiritualium ac divinarum veritatem ac dignitatem juſto pretio æſtimandam ſibi viam aperuerint, ut contra ea vix ullum de Deo & Mentibus poſitivum & ſolidum conceptum animo formârint. Inde quoque eſt quod Metaphyſicam Phyſicæ poſtpoſuerunt. Vide Proleg. 64.

26. Verum quia pertinaciter nimis inveteratarum opinionum retinentes ſunt homines, videtur iis oſtendendum eſſe clariùs, quòd illa, quæ ipſi negativè concipiunt atque efferunt, omninò ſint poſitiva, & affirmativè concipienda atque efferenda. *Reſp.* Imprimis manifeſtum eſt, *mortalitatem eſſe attributum negativum*, quia negat ac tollit aliquando vitam, quamvis affirmativa voce efferatur; immortalitatem contrà eſſe attributum poſitivum; quia affirmat & ponit ſemper vitam, etſi vocabulo negativo exprimatur.

matur. Neque obſcurum eſt, de finito & infinito rem ſimiliter ſe habere. Nam *finitum* idem eſt quod limitatum. At limitatio hæc nihil aliud eſt, quam ulterioris perfectionis negatio. Ideoque omnis limitatio negationem infiniti, h. e. ſummè perfecti, continet, non autem ex adverſo, infinitum per negationem finiti ſive limitationis intelligitur. Nam ſi hoc ita eſſet, tùm plus realitatis ac perfectionis perciperemus in finito, quàm in infinito, ſicuti plus intelligimus nomine ſcientiæ, quàm nomine ignorantiæ, quæ per ſcientiæ negationem & abſentiam cognoſcitur. Atqui planè contrarium accidit, & vox illa, *infinitum*, tantundem valet quantum hæc, Perfectiſſimum. Et cum privatio privationis non detur, ſed habitûs; mors autem & finis (ſive vitæ, ſive alterius perfectionis) evidenter privativa ſint, immortalitas & infinitas privativa eſſe non poſſunt. Atque ex his apparet, quanti interſit ad claros & diſtinctos conceptus animo formandos, vocabula vulgo uſitata diſtinguere ac ſeparare à vera perceptione rerum & elocutione earum perſpicua, qualem quidem Hermeneutica poſtulat.

27. Vidimus quàm perperam poſitiva negativis vocibus ac notionibus, & contra hæc illis cognoſcantur atque explicentur; quæritur, an etiam ambo oppoſita interdum

poſiti-

poſitivè concipiantur atque exprimantur? *Reſp.* Id fit in exemplo ſupra adducto, in nihilum aliquid *redigere* ſeu *reducere*; fit etiam in aliis pluribus. Nam *videns* & *cæcus*, *audiens* & *ſurdus*, *loquens* & *ſilens*; *bonum* & *malum* &c. quamvis Philoſophis dicantur privativè opponi, tamen ſic expreſſa æquè poſitivum quid ſonare videntur. Sic *poſſe mentiri*, *poſſe mori*, æquè ac *poſſe verum dicere*, *poſſe vivere* poſitivo potentiæ nomine deſignantur, quæ tamen meram impotentiam notant. Vnde in Metaphyſicam & Theologiam redundârunt iſtæ Logomachiæ: Deum non poſſe omnia, quia non poteſt mentiri, mori, factum infectum reddere; &c. Nempe uno abſurdo dato infinita ſequuntur; quemadmodum ex toto hoc capite elucet.

CAP. V.

Fons errorum præcipuus oſtenditur in eo; quòd homines aliquid tale ac tantum concipiunt in rebus cogitatis atque alienis, quale & quantum quid eſt in ipſis cogitantibus, & rebus ad ſe pertinentibus. Hoc declaratur Exemplis *petitis primò à rebus quæ ſolius ſunt* mentis, *deinde à rebus quæ ſolius* Corpo-

ris; *porrò ab iis, quæ ſunt* mentis & corporis ſimul, *videlicet appetitu, affectu, ſenſu interno, & externo quintuplice; denique ab iis, quæ ſunt* prope & circa nos.

28. E ſuperioribus quidem colligo, hanc ſæpe eſſe errorum cauſam, quod homines ſibi perſuadent, aliquid eſſe in rebus ſimile illi, quod eſt in externo ſermone; putantes e. g. ſummam perfectionem Dei attributum eſſe negativum, quia ipſi eam *infinitatem*, negativa voce, appellant, item annihilationem actionem Dei eſſe poſitivam, quoniam verba nobis familiaria, *redigere*, *reducere* in nihilum, actionem ſonant: & videre mihi videor quaſi è longinquo, alios etiam errores plures ex eodem fonte promanare. *Reſp.* Vt videas illud propius, notabis, non ſolum in eo errari, quòd exiſtimamus tale quid eſſe in re, quale quid verbis repræſentatur; verùm etiam, quia talia putamus ac tanta eſſe in rebus, qualia & quanta ſunt vel in mente, vel in corpore noſtro, vel in utroque ſimul, vel denique prope & circa nos. Et quia fontem caputque præcipuorum errorum hîc notamus, dignum videtur argumentum, ut non levi brachio perſtringatur, ſed cum cura aliqua ſemel excutiatur à nobis.

29. Quoniam exempla magis illuminant intel-

intellectum, peto primùm ea mihi dari hujuſcemodi fallaciæ in rebus *ad ſolam mentem* pertinentibus. *Reſp.* Plerumque contingit, ut homines certam aliquam ſcientiam præ cæteris in admiratione ac deliciis habeant, ſive, quia illius inventores ſe credunt, ſive, quia plurimum in eâ operæ poſuerunt, eique maximè adſueverunt; unde fit, ut alia omnia ita ſe habere fingant, uti pauca illa, quibus mens obſidetur. Sic legimus Muſicum quendam exiſtimâſſe, animam eſſe Harmoniam, ut Medici aliqui in humorum temperamento eam conſiſtere putarunt; ſic Aſtrologi nonnulli ab aſtris Rerumpublicarum converſiones aliaque proſpera pariter & adverſa derivant; Chymici è paucis fornacis experimentis univerſam Phyſicam. Simile nonnulli arbitrantur de eo, qui ex principiis Mathematicis ſcientiam naturalem totam educere conatur; ſed errant, quia eadem ſunt Matheſeos & veræ Phyſicæ principia, ut alibi demonſtratur. Videamus igitur alia exempla, quæ ſpeciatim vel ad perceptionem, vel ad judicium poſſunt revocari.

30. Dentur exempla ratione *perceptionis*. *Reſp.* 1. Qui *celeriter* rem arripit, putat alium ſimili cogitandi celeritate poſſe aut debere uti, & ſæpe quæ longiore uſu cogitandi & exercitio crebriore familiaria nobis & perſpicua reddidimus, putamus etiam aliis eſſe talia.

lia. 2. Qui propter ingenii imbecillitatem res aut verba authoris *obſcuriùs* intelligit, ſæpe ipſis rebus vel authori illam obſcuritatem tribuit, quæ ſolùm eſt in ipſius intellectu. 3. Philoſophus quis multas opiniones vulgatis veriores ingenii ſui *perſpicacitate* inveniebat, videbat alium ſimiles opiniones amplecti, hoc ſimiliter illius ingenio & perſpicacitati tribuebat, cùm tamen ab amore novitatis iſte impetus proficiſceretur. 4. In mente noſtra multa ſunt *Dei attributa*, quæ ipſa *mens nunc diſtinguit, nunc componit*; hinc alii quidem in Deo diſtinctionem & compoſitionem ponunt, attributa divina realiter inter ſe differre arbitrantes; alii autem verentur, ne rationis compoſitio v. g. è genere & differentia compoſitionem in Deo arguat. Neque nos ſanè Deum, ut ſpeciem (eſt enim res maximè ſingularis & individua) ſub genere concipimus, neque tamen putamus eum propterea componi, quod mens noſtra componat aliquod ejus attributum proprium cum alio communi, atque inde definitionem contexat, uti factum Log. I. 101. 5. Dum rem aliquam *percipimus*, *paſſio eſt in mente noſtra*, quæ cogitationem & producit, ut cauſa efficiens, & in ſe recipit, ut ſubjectum patiens. Vulgò actum *immanentem* vocant. Interim conſuetudo inolevit, ut paſſionem tribuamus objectis perceptis: unde Deum dicimus intelligi,

per-

percipi, cogitari, verbis paſſivis, quæ dum ita intelligimus, ac ſi diceretur aër vento agitari, menſa ſcindi, aqua calefieri, ab actibus *tranſeuntibus*, hujusmodi oriuntur in Theologia argutationes: Deum non eſſe ſummè perfectum, aut eſſe patiendi infirmitati ſubjectum, quia intelligitur, cognoſcitur, diligitur, contumelia afficitur, ſpernitur, &c.

31. Dentur exempla in iis, quæ ſpectant *judicium*. *Reſp*. 1. Cum mens noſtra de rebus *dubitat* ſeu judicium ſuſpendit, multi in ipſis rebus hoc dubitationis attributum collocant, atque inde non ſolam mentem dubiam, ſed res etiam dubias cum vulgo appellant, & animo concipiunt, quamvis explicare nequeant, quidnam in rebus concipiant, cum certiſſimum ſit, nihil rebus accedere aut decedere, ſive judices, ſive judicium de iis ſuſpendas. 2. quando mens ſubjectum & prædicatum componit, quæ ita componi non poſſunt, ob manifeſtam eorum in perceptione noſtra repugnantiam (vide Log. I. 136.) v. g. dicendo, Deus eſt ligneus, *falſa* ſententia eſt, & quidem neceſſariò falſa, unde quid *impoſſibile* dicitur; attamen multi res inde falſas & impoſſibiles dictitant, quaſi falſitas & impoſſibilitas rerum eſſent affectiones, adeò ut Metaphyſici operam impendere debuerint in eo probando, quod veri-

tati

tati tranſcendentali nulla opponatur falſitas, quamvis ne ſic quidem effecerint, ut aliqui falſitatem, imò ipſam impoſſibilitatem non referrent inter affectiones entium.

32. Sed an vela interdum etiam in contrarium vertit erroribus obſepta multitudo? *Reſp.* Adeò ſunt inconſtantes homines & vagi in ſuis erroribus, ut quemadmodum in rebus tale quid eſſe putant, quale in ipſorum ineſt cogitationibus: ita ſæpe è contrario ſibi perſuadeant, id nihil eſſe in ſuis mentibus, quod nihil ponit in rebus: e. g. quia *eſſe objectivè* nihil eſt in rebus cognitis (nulla enim in rebus fit mutatio, ſive objectivè in intellectu ſint, ſive non ſint, h. e. ſive cogitentur, ſive non cogitentur) ideo plurimi exiſtimant, id nihil ponere in mente cognoſcentis: quaſi non plus realitatis ſeu perfectionis foret in mente noſtra, quando de Deo cogitat, quàm ſi de terræ pulviſculo aut grano hordei, aut quaſi illud nihil eſſet in mente, per quod idea Dei & idea pulviſculi tantopere in ipſa mente differunt, plus certè, quàm imago pulcerrimæ Veneris & Æſopi deformis in eadem tabula depictæ. Aliud exemplum eſt, quod multi opinantur *definitionem*, *diviſionem*, *argumentationem*, quia nihil ponunt in rebus definitis, diviſis, ratione collectis, eſſe mera rationis entia, quaſi reale nihil ponerent in animo definiente, dividente, argumentante.

tante. Tertium exemplum ſit, quod nonnulli putant, ſi res ſunt *contingentes*, non poſſe dari earum cognitionem niſi contingentem, unde in limine Phyſicæ agitatur illa controverſia: an detur ſcientia h. e. neceſſaria cognitio rerum naturalium, utpote contingentium, quæ dubitatio oritur ex neglectu diſtinctionis inter certitudinem ſubjectivam & objectivam, de qua Log. I. 132.

33. Habuimus dictæ fallaciæ ſpecimina in rebus ad mentem ſolam pertinentibus, nunc exempla contemplemur in iis, quæ *ad ſolum corpus*. *Reſp.* Homines in Europa nati, quia habent albam cutem, putant etiam alios quoſcunque homines talem habere, vide Log. I. 162. Anthropomorphitæ tale Deo corpus adſcribebant, quale ipſi habebant; alii ſimiliter Angelis; omniumque errorum, de quibus hîc agimus, fundamentum eſt, quod *homines ſe credunt eſſe menſuram & ſpeculum Vniverſi*, adeò ut tale quid ac tantum putent eſſe in aliis rebus, quale & quantum eſt in ipſis, inprimis, *ubi aliqua inter ipſos, & res illas alias ſimilitudo prius innotuit; nam inde ſtatim procedunt ad alia quævis etiam ſimilia cogitanda.* Ita quoniam in beſtiis externa organa ſimilia ſunt humanis, in eam opinionem venerunt homines, beſtias quoque ſimilibus omnino modis videre, audire, ſitire, timere, iraſci, quibus ipſi, adeo-

adeoque ſimilem animam atque intellectum corpori organico habere conjunctum. Imo quemadmodum homo compoſitus eſt ex duabus rebus toto genere differentibus: ita in aliis omnibus ſimilem ex anima & corpore, aut certè non valdè diſſimilem, ex materiâ & formâ, compoſitionem imaginatur. Sed hæc mentem & corpus conjunctim attinent.

34. Dentur plura exempla in rebus *ad mentem & corpus ſimul* pertinentibus, nempe in appetitu, affectu, ſenſu, ex Log. I. 42. *Reſp.* Novi bonam matrem-familiâs, quæ quoties ipſa non eſuriebat, ſimile putabat de reliquis domeſticis, negans opus eſſe præparatione cibi, quia non eſurimus, inquiebat. Et huc pertinent illi verſus: Qui ſatur eſt, pleno laudat jejunia ventre, Et quem nulla premit ſitis, eſt ſitientibus aſper. Hoc de *appetitu.* Ad mores & *affectus* pertinet, quòd homo ſimplex in aliis ſimilem ſimplicitatem, aſtutus in aliis ſimilem aſtutiam eſſe ſibi perſuadet, aut ab illo ſe amari, quem ipſe amat, per errorem ſæpe exiſtimat. Ipſe Deus Pſal. L. 21. ſic alloquitur improbum: hæc feciſti & tacui: cogitas me prorſus eſſe ſimilem tui. Et notandum videtur hoc loco, quòd homines ab integritate primùm defecerint, dum *ſimiliores Deo fieri volebant quàm erant*, quod quia eis non ſucceſſit, poſt-

ea,

ea, cogitatione in contrarium verſâ, *Deum ſibi & rebus apud ſe conſpicuis ſimiliorem, quam natura ejus permitteret, finxerunt.* Mutârunt enim gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrium & quadrupedum & reptilium, Rom. 1. 23.

35. Adde exempla *à ſenſibus internis atque externis.* *Reſp.* Ad *ſenſum internum* pertinet, quod vertigine laborantes omnia extra ſe corpora in orbem moveri putent, quale quid etiam ebriis contingit, ob copiam vaporum in cerebro diſcurrentium. Multi ſibi perſuadent, id ipſum fieri in rebus utcunque longiſſimè remotis, quod eorum *imaginatio*, circa res illas occupata, ſibi fortiter imprimit: qua fraude etiam Diabolus ſagis ac veneficis illudere perhibetur.

36. Veniamus ad exempla *ſenſuum externorum.* *Reſp.* Hîc multò frequentiſſimum eſt hujusmodi deceptionis genus, quod uti diſtinctius appareat, age perluſtremus ſingulos, inchoantes ab infimo, qui eſt *tactus*: 1. quò quid *gravius* eſt, aut quò magis reſiſtit tactui noſtro ſua *duritie*, eò illud arbitramur eſſe magis corporeum, ac proinde magis reale & ſubſtantiale. 2. quemadmodum ego dicor *tangere* corpora: ita corpora dicuntur me tangere; ubi cum ſimili loquendi modo de utroque illo tactu ſimilis interdum con-

conceptus conjungitur. 3. in cives Colonienſes in his circumjacentibus regionibus illud jactari conſuevit, quod *calefactæ* aſſidentes fornaci, corpore veſtimentis contra vim frigoris probè munito, dicere ſoleant, leniorem eſſe hiemem, frigus aëris remiſiſſe.

37. Dentur exempla à *guſtu. Reſp.* Inprimis hîc liquet ex loquendi modo, quod hujus inventor & approbator populus tale quid in rebus, quæ guſtantur, concipiat, quale eſt in ipſo guſtu. Nam *ſapere* tàm Latinis, quàm Germanis ſchmecken / ſignificat & ſaporem percipere, & ſaporem habere, unde de medico, ſapio, ich ſchmecke / & de re, ſapit, es ſchmecket. Sed quia Latini verbum *guſto* non utroque modo uſurpant, hinc Germani Latinam linguam diſcentes aliquando de re bonum habente ſaporem dicunt, guſtat bene, committentes Germaniſmum: quod etiam Gallis Latinè loqui primùm diſcentibus contingere poteſt, quippe cùm illis vocabulum *gouſt* & guſtatum & ſaporem notet, unde etiam de re boni ſaporis dicunt, *il gouſte bien*. Ex quibus exemplis claret, quomodo *error errorem, confuſio confuſionem, vitium Logicum vitium Grammaticum, & contrà, vitium unius Linguæ vitium alterius gignat & nutriat.* Error enim eſt, quod in objectis guſtûs ſimile putatur eſſe,

eſſe, quale in ipſo. Deinde error eſt, quod in ſermone externo illa non diſtinguuntur; & hic ortum quidem initio habuit ex priore, ſed poſtea etiam eundem ſtabilivit. Tertio anomalia eſt indecora, quod Latini voce, ſapere, non tantùm animalis ſenſum, ut voce, guſtare; verùm etiam rei ſenſibilis actum expreſſerunt. Quartò vitium Grammaticum eſt, ſi dicas, guſtat bene, de re guſtabili, quod partim ex Linguæ vernaculæ vitio, partim ex Latinæ inæqualitate proficiſcitur.

38. Detur exemplum ab *odoratu? Reſp.* Huc facit, ob rationes tactas, quod Germani dicunt, es reucht wohl/ ſive illud velint, quod Latini ſic efferunt, bene olet, loquentes de objecto, ſive illud quod Latini dicunt, bene odoratur, loquentes de ſenſu. Simili modo Galli, *il ſent bien ou mauvais*, id eſt, bene olet vel fœtet, quaſi ſenſus ipſis rebus ſenſibilibus ineſſet.

39. Dentur exempla ab *auditu*. *Reſp.* *Echo* ineunte ætate putamus reddere eundem ſonum cum eadem cogitatione, quæ eſt in homine vocem emittente, & *Pſittacum* pueri exiſtimamus voces humanas ſimili cum intelligentia imitari. Vulgò etiam ſibi perſuadent homines, *aure dextrâ tinniente* alios de ſe abſentibus dextrè judicare, honeſta loqui; aure *ſiniſtrâ* tinniente, ſiniſtra & mala de ſe dici. Surdaſtri plerumque altiore voce utuntur,

quia

quia ipſi alios ſubmiſſe loquentes non intelligunt.

40. Dentur exempla à *viſu*. *Reſp.* Ictero laborantibus omnia videntur flava, eò quod oculi eorum tali colore imbuti. Sed ut de ſanis potius loquamur, luminis illum defectum, qui revera eſt in oculis noſtris, Soli tribuimus, *Solis Eclipſin* dicentes, cùm tamen Sol per ſe non minus tunc lucidus, quàm aliàs. Seneca mentionem facit *ſenis*, qui cum ætatis vitio minùs commodè oculis uteretur, in cubiculum aliquod ingreſſus aiebat, illud parum eſſe luminoſum, majores feneſtras fieri oportuiſſe. Ita memini puellam, cui morbilli oculorum uſum ademerant, ipſo meridie lucernam ſibi accendi petiviſſe. Nempe & ſenex ille, & hæc puella oculorum ſuorum tenebras aëri tribuebat. Prout *ſtellæ fixæ* magis minuſve afficiunt oculos noſtros, ita dicuntur vel primæ vel ſecundæ vel tertiæ &c. magnitudinis, cum tamen quæ minores aliis ob majorem diſtantiam apparent, poſſint eſſe iis majores. Multi credunt tùm *Cometas* primùm generari, cum incipiunt apparere, & cùm deſinunt apparere, etiam deſinere eſſe. Omnia iſta originem habere à præjudicata infantiæ opinione, vel unum hoc argumento manifeſtario eſt, quod *infantes*, quoties oculos claudunt, vel faciem obvelant, ut ipſi non videant, putant interea nec ab aliis ſe videri poſſe.

41. De

41. De rebus ad mentem & corpus noſtrum, vel ſeorſum vel junctim ſpectata, pertinentibus exemplorum abundè eſt: ſed miror eo uſque ſe extendere hanc fallaciam, ut non contenti res alias ſimiles credere illis, quæ ſunt in nobis, ſomniemus etiam, *res alias magis remotas, aut minus notas ſimiles eſſe iis, quæ nobis magis notæ & propinquæ ſunt.* *Reſp.* Vt minus mireris, conſidera exempla ſequentia 1. Apud Virgilium Ecloga 1. Tityrus ita loquitur: Vrbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi Stultus ego huic noſtræ ſimilem. 2. Qui nunquam ex natali ſolo diſceſſerunt, putant alibi linguam, victum, amictum & quæ ſunt hujuſmodi talia eſſe debere, qualia ſunt apud ipſos, adeò ut quicquid ab eorum abludit moribus, ſtatim pro ridiculo atque inepto habeant. Unde Corn. Nepos in Epaminonda lectores monet, ne alienos mores ad ſuos referant, néve ea, quæ ipſis leviora ſunt, pari modo apud cæteros fuiſſe arbitrentur. Et jam in præfatione Vitarum notaverat eos, qui nihil rectum, niſi quod ipſorum moribus convenit, putant. 3. Quia res terreſtres nobis notiores & propinquiores, hinc eas, quæ in cælis & aquis ſunt, tanquam ſimiles illis nobis repræſentamus, atque iiſdem nominibus inſignimus; inde Solis *maculæ*, Cometæ *caudæ* & *coma*, *draco* volans, *canis*, *vitulus* mari-

nus & alia. 4. Multi & olim fuere & hodie ſunt, qui vitam cæleſtem noſtræ ſimilem animo præcipiunt, ubi & conjugii uſum manſurum ſibi perſuaſerant Phariſæi, & Thalmudiſtæ ſibi epulas fingunt. Et fortè inde eſt, quòd apud Iudæos felicitas vitæ alterius convivio comparatur, ac per verba edendi & bibendi populariter deſcribitur, Matth. VIII. 11. XXVI. 29.

CAP. VI.

Perperam artifici peccatum *attribuitur. Perperam tam* Lunæ illuminandi *actio, quam Soli adſcribitur. Perperam abſtracta eſt notio* Animalis, *& hujus definitio vitioſa.* Vitæ *notio vaga atque incerta nimis, ſeu Phyſicè ſeu Metaphyſicè capiatur. Simile judicandum de notione* Animæ. *Ex utriuſque Vocabuli nimis laxa & obſcura generalitate farrago inutilium quæſtionum in Phyſicam introducta.*

42. Vt planius fiat, quomodo à ſimplicibus notionibus & conceptuum de vocibus cum rerum conceptibus mixtura & confuſione proficiſcantur humanæ cogitationes à veritatis

ritatis curſu deflectentes, ſpecimen demus in iis, quæ attinent diſtinctionem cauſarum, de quibus Log. I. cap. ſexto, vel univerſale, de quo ibid. cap. ſeq. *Reſp. Cauſam per ſe* & cauſam *per accidens* concipiendi, aut certè loquendi modo non diſtinguimus, nam æquè dicimus e. g. Logicum facere paralogiſmum, ac facere ſyllogiſmum, Medicum occidere ægrotum ac ſanare &c. cùm tamen *nullus artifex peccet*, ut bene Plato Dialog. 1. de repub. obſervavit. Novi hæc talia explicari in ſenſu diviſo, non in compoſito, ex Log. III. 48. ita ut medicus, non quatenus medicus, ſed quatenus homo eſt, peccare intelligatur. Sed non videtur opus fuiſſe illa ſenſus in diviſum & conjunctum diſtinctione, ſi verba rebus ritè fuiſſent adaptata, quod quia non eſt factum, debuerunt & hæ & aliæ *diſtinctiones* innumeræ, ſapientiæ ſtudium remorantes, inveniri ac nihilominus harum diſtinctionum notitiam aliqui magnam ſapientiæ partem interpretantur, ut rurſum videamus, quomodo uno abſurdo dato alia ſequantur.

43. Adducantur plura exempla, quibus effectus tribuitur illi cauſæ, à qua non producitur. *Reſp. Lunam* æquè dicimus, imò vulgò etiam concipimus, *illuminare, ac ſolem*, (non dico, quod tantundem lucis præbeat) quod æquè ineptum eſt, ac ſi diceremus

mus aut cogitaremus, motum pilæ eſſe à pariete, eodem modo, quo eſt à manu, quæ motum imprimit, cum paries pilæ motum tantùm non auferat. Adhæc cum dicimus aut cogitamus, quod oriente ſole roſa ſe aperiat, occidente ſe claudat, quod vinum ſe purget à fæcibus, quod manus noſtra ſe moveat, &c. actionem illis rebus aſſignamus, quæ ſe habent merè paſſivè. Verum hæc talia Phyſices cognitionem requirere videntur, ideoque iis diducendis hoc loco ſuperſedemus.

44. Ad *univerſalia* veniamus, an rectè ſint à ſingularibus abſtracta, æqua judicii lance trutinaturi. *Reſp*. Cum res ſingulares inter ſe *ſimiles* exiſtunt, ad eas qua tales cogitandas commodè utimur uno eodemque conceptu, ſicuti etiam ad eas exprimendas uno nomine: ita rectè dicitur, homo, binarius, res corporea &c. At non rarò videas homines pluribus rebus idem nomen impoſuiſſe, ubi tamen nihil clarè ac diſtinctè percipitur, quod rebus illis ſit commune. Ac ne nunc dicam de vocabulis, quæ ab omnibus habentur pro æquivocis: v. g. quod IVS & juſtitiam & liquorem denotet, quæ Germani per recht & brühe meliùs diſcernunt, agemus de iis, quæ venditantur pro analogis, vel etiam pro maximè univocis, cujuſmodi ſunt animal, vita, anima.

45. Quid

45. Quid igitur in hiſce vocibus & conceptibus univerſalibus deſiderat accuratus Analyticus? *Reſpond.* Quid quantumque *homo & beſtia commune habeant,* ſive quouſque ſe extendat eorum ſimilitudo & convenientia, ſemper dubitatum fuit, atque etiamnum dubitatur maximè; corporis quidem ſimilitudo cernitur, an verò quid ultra ſit, & quale, nondum ſatis cernitur. Atqui Logicæ pars prima claram ac diſtinctam perceptionem flagitat: quod præceptum ſuſque deque habent, qui clarè & diſtinctè non percipientes quidnam illud ſit, in quo beſtia & homo conveniunt atque unum quodammodo fiunt, nihilominus commune hominis & beſtiæ nomen faciunt *animal*, imò qui utuntur hoc ipſo nomine, hac ipſa notione, tanquam clariore ad definiendum, quid ſit homo, quid beſtia, cùm ſaltem quid homo ſit, longè clarius exiſtat, quàm quid ſit animal, quemadmodum è ſequentibus planiùs conſtabit. Melius *Germani hominem & beſtiam diſtinguunt* per Menſch & Thier / unum verò ambobus commune nomen non uſurpant: licet minutos Philoſophos imitati quidam vocem thier / quæ manifeſte convenit cum Græco θὴρ, ad animal, quatenus pro genere hominis & beſtiæ Latinis accipitur, deſignandum torqueant.

queant. Poteſt etiam hinc intelligi, quàm infirmo tibicine ſubnixa ſit eorum ſententia, qui *jus naturæ* ex univerſali animalis natura derivant, in officiis quibuſdam homini cum mutis animantibus communibus illud conſiſtere opinati.

46. At nunquid Log. I. 99. clarè animal definiviſti: *corpus vita, ſenſu & motu præditum? Reſp.* Iam ſeveri cenſores ſumus, nihil penſi habentes, quid nos, quid alii dixerint aut ſcripſerint, ſed quid dicendum ac ſcribendum nobis atque aliis fuerit, inquirentes, ex lege lata hujus Analyticæ quæſt. quinta. Redeat in memoriam illud Horatii: *nil agit exemplum, litem quod lite reſolvit*; addatur, aſſis non eſſe definitionem, quæ, ut intelligatur, alia eget definitione. Quærebam, quid eſſet homo, dicebas, animal. Quæro, quid eſt animal? Reſpondes, corpus vita, ſenſu & motu præditum. Ita ex una quæſtione in plures difficilioreſque delabor. Quid *corpus* ſit, clarum quidem eſt ex Log. I. 33. neque obſcurum quid *motus*, ex Log. I. 40. Sed quid *ſenſus* ſit, quatenus beſtiis & hominibus communiter attribuitur, ut ſit in iſtâ definitione, tàm in obſcuro latet, quàm quid ſit animal: quid autem *vita* ſit, multò eſt obſcuriſſimum. Itaque hac in definitione, clara cum obſcuris, diſtincta cum confuſis contra præcepta Logica I. 22. 41. miſcentur.

tur. At neque corporis ac motus notiones in eadem commodè adhibitæ, quod tamen jam diſſimulabimus, ne multa nimis examinanda nobis veniant, ac de *vitâ* ſolummodo diſquiremus, præſertim cùm brevius ab aliis ita proponatur animalis definitio: Corpus vivum ſenſitivum.

47. Quam igitur ob cauſam non arridet notio *Vitæ? Reſp.* Quia tam vaga atque incerta eſt, quàm quæ maximè. Deus dicitur vivere & angeli, homo vivere dicitur & anima hominis, beſtia item & planta, ſaltem Ariſtoteli & pluribus aliis. Nam in Sacris quidem Literis *tantum* rebus cognitione præditis & animalibus vita tribuitur, quemadmodum & Græci animal appellant ζῶον, i. e. vivens. Alii tàm *latè* extendunt vitam, ut etiam lapides & metalla vivere dicant. Actus vitales judicantur *in plantis*, proferre fructus ſive generare, & ſuccum è terrà recipere ſive nutriri: actus vitales *in mente* hominis ſunt amare Deum, cogitare, intelligere, velle; quæ autem, amabo, inter hos actus mentis & illos corporeos convenientia eſt, propter quam communi nomine vitales dici mereantur?

48. At ſi vitæ nomen non ſumamus *Metaphyſicè*, prout rebus intelligentibus & corporeis compluribus attribuitur, ſed *Phyſicè*, ut accipitur in definitione Animalis? *Reſp.*

Ne ſic quidem dici poteſt, quid ſit, ita ut clarè ac diſtinctè aliquid animo concipiatur. Manet enim quæſtio 1. cur vitæ notio ad mixta tantum corpora, non ad ſimplicia ſit extendenda, præſertim ad *ignem*, quem omnis vitæ corporeæ principium ſapientes arbitrantur, non invito populo (flamma enim viva dicitur, & in Germania alicubi diſtinguitur lebendige vnd todte kohle/quæ Latinis pruna & carbo, Gallis etiam pruna appellatur *charbon vif*, & apud horum nonnullos audias, *tuë la chandelle*, uti apud Germanos aliquos, tödte die kertz q. d. occide candelam; unde facilè colligas, eam vixiſſe, cùm privatio, ut habet Philoſophorum dictum, præſupponat habitum)? 2. cur *Spiritus* in corpore animalis vitales judicentur, in Chymici Alembico non judicentur? 3. in quo *calor* cæleſtis, elementaris, vitalis differant, cum operationes habeant eaſdem? 4. cur *plantis* tribuenda vita, quibus S. Scriptura non tribuit? 5. quid ſit in plantis, quod eas nobiliores reddat non viventibus, adeò ut illæ his *propiùs ad Deum viventem uno gradu accedere* cenſeantur?

49. Exiſtimet quis, id eſſe nutritionem & generationem, nam præter hæc duo nihil eſt in plantis, quod ad vitam referri ſoleat. *Reſp. Nutritio*, cùm indigentiam & receptionem alimenti deſignet, nil habet ſimile

Deo,

Deo, utpote qui nulla re indiget nec recipere quicquam poteſt. Neque *generatio*, qualis in plantis, utpote multiplicem ſuâ naturâ involvens imperfectionem, cum generatione in divinis & intelligentia præditis rebus ullam habet convenientiam. Quæ cauſa eſt cur Philoſophi & Theologi in hac explicanda non tam à plantis, quàm à lumine, igne, ſole, iride ſimilia deſumere conſueverint, ut quando Filium in SS. Trinitate aiunt eſſe Deum de Deo, lumen de lumine. Et quamvis animarum ab animabus generationem, propagationem per *traducem*, vocabulo à plantis petito, nuncupent, accuratiùs tamen eam expoſituri dicunt, animam ab anima propagari, ut lumen à lumine accenditur. Quæ indicio ſunt, ignem, quem tamen vitâ privant, ſecundùm ipſos talem comparationem inſtituentes, ſimiliorem eſſe rebus rationalem vitam viventibus, quàm ſunt plantæ, & nondum intelligi, quid harum vita habeat adeo præclari.

50. Atqui ſatis in ſcientia naturali explicari videtur, quid ſit *vivens ſignificatione phyſica*, quia idem valet, quod corpus animatum, & ſynonyma ſunt, vitam habere, & animam habere informantem; unde non difficulter quoque ſpiritus & calor vitalis à quovis alio ſpiritu & calore diſtinguuntur, eo videlicet, quòd non hi, ſed illi animæ

ſint inſtrumenta, atque ita functionum vitalium principia. *Reſp.* Fateor huc redire omnia, vitam enim finiunt, *conjunctionem animæ cum corpore.* Sed ita manemus adhuc in labyrintho inextricabili. Nam quid *Anima* ſit, tam incertum, quàm quid ſit vita. Ariſtoteli definitur, actus primus corporis naturalis organici, potentiâ vitam habentis. Vbi 1. nullum habes attributum abſolutum, quod explanet naturam animæ; ſed reſpectiva & generalia tantùm, contra præcepta Logica I. 38. ſeq. 2. obſcurum unum, nempe anima, declaratur non per unum tantùm æquè obſcurum, ſed per alia multa æquè obſcura, ſi non obſcuriora. Nam, ut omittam reliqua, quid eſſet *vita* quærebamus, reſponſio nos ablegabat ad notionem animæ, hæc nos remittit ad notionem vitæ, & quidem illius vitæ, quæ habetur potentiâ. Porrò quid ſit ἐντελέχεια apud Ariſtotelem, quam *actus* nomine alios ſecuti expreſſimus, adeo eſt obſcurum, ut vir doctus, Hermolaus Barbarus, cùm aliquando dæmonis, ut ferunt, colloquium nactus eſſet, nil aliud ab eo petiverit, quàm ut vocis illius apud illum Philoſophum ſignificationem ſibi aperiret. Ad nos quod attinet, ex veriore Phyſica diſcere poſſumus, Animam malè tanquam genus vegetativæ, ſenſitivæ & rationalis conſiderari, cùm priores duæ ne quidem ſpecie

inter

inter ſe differant, at ambæ à rationali toto genere diſtinguantur. Vide Log. I. 33.

51. At fortè *Metaphyſici* clariorem rei viventis ac vitæ definitionem adferunt? *Reſp.* Vivere illud dicunt, *quod ſemetipſum actuat*: hic ſcilicet generalis & abſtractus eſt conceptus vitæ, ſecundùm quem inter res merè corporeas nihil magis vivit *flamma*, quod etiamſi ſuperiùs dictis & ipſi huic definitioni apprimè congruat, illius tamen architecti nolunt, inter res vitæ atque animæ expertes flammam collocantes, quaſi ſcilicet annoſa quercus, limax vel teſtudo magis ſe actuent, h.e. moveant & moveantur, quàm agiliſſima flamma? Excuſatiùs alii, quod & quàm diverſis rebus vita tribuatur conſiderantes, omnibus eam entibus communem faciunt, quatenus unumquodque *efficaciter ſe oſtendit in ſuis operibus*, *quantumlibet diſcrepantiſſimis.* Vnde tandem efficitur, nimis laxam & generalem eſſe vitæ notionem, quàm ut in definitione animalis generis proximi, aut in quacunque alia differentiæ ſpecificæ vicem ſubire valeat. Et ſanè *notiones vitæ* atque *animæ*, perperam abſtractæ & malè adeo terminatæ, immenſo controverſiarum, maximam partem inutilium, pelago ſcientiam naturalem inundârunt. Inde enim quæſtiones de anima mundi, inde difficultates de ſpontaneo viventium ortu, inde diſputationes, an cæ-

lum animatum, an ſemen plantæ & animalis animatum, quot in homine animæ, an foſſilia & metalla vitam participent, an muſca nobilior cælo, (equidem ſoli eam prætulit S. Auguſtinus eo ſolo, quòd vitales actus exerceat) *quomodo muſcæ hiberno tempore mortuæ æſtivo reviviſcant* &c. in qua poſtrema quæſtione mirum in modum ſe fatigant nonnulli, ſed labore inutili, cùm veræ Phyſicæ habens principia non majorem hîc videat difficultatem, quàm ſi explicandum ſit, quomodo aqua tempore & loco frigido priùs gelu conſtricta, poſtea admoto igne liqueſcat, ferveat, bulliat.

CAP. VII.

In definitione primò examinatur, an ſit ratione rei vel vocis neceſſaria, *cum definientes alii peccent in* defectu, *alii in* exceſſu; *porrò, an ſit* clara *& perſpicua, quæ virtus tralatitiæ* hominis definitioni *deeſt; adhæc, an rei* naturam *legitima* generis ac differentiæ *aſſignatione ſatis evolvat (quod non ſit in iſta definitione hominis) &* adæquet; *denique, an* brevitatem *& alias habeat virtutes, quæ in* definitione

tione Dei reperiuntur, non in vulgari hominis, quamvis in Logica Genetica tradenda pro exemplo hæc fuerit ei aſſuetis lectoribus.

52. Quænam in examine definitionis conſideranda? *Reſp.* Primò attendendum eſt illud quod definitur, ut poſſit æſtimari, ſitne magis vocis, an rei definitio, utrùm hujus, an illius obſcuritas declaratione eguerit: v.g. definitio vulgaris hominis, *animal rationale*, non ob vocabuli ambiguitatem, ſed ad rei ipſius meliorem intellectum comparandum adhibetur. Hîc verò notabis in authoribus legendis duo extrema, dum alii quidem in definiendo nimis parci ſunt, alii nimiùm frequentes. Conſtat enim ex Log. I. 98. initio, & II. 31. fine, non aliam eſſe *definiendi neceſſitatem*, quàm rei aut vocis obſcuritatem, quæ ubi eſt, definitio adhibenda, ut res clarè diſtinctèque percipiatur; ubi non eſt, definitione ſuperſedendum, quoniam entia non ſunt multiplicanda præter neceſſitatem, cùm præſertim brevitatem & intelligendi & tradendi methodus requirat, Log. I. 11. II. 14.

53. Dentur exempla prioris vitii. *Reſp. Defectum accuratarum definitionum culpandum* ſuperiori capite notavimus in iis, qui diſputant, an plantæ, an lapides, an beſtiæ &c. vivant, nec tamen quid *vita* nomine intelli-

gendum, priùs clarè definiunt. Eundem defectum obſervabis in veterum Ethnicorum ſcriptis moralibus, dum *virtutes* ſummis laudibus in cælum tollunt, cæteriſque rebus anteponendas eſſe rectè quidem contendunt; ſed non ſatis explicant, quidnam pro virtute ſit habendum, & ſæpe quod tam illuſtri nomine dignantur, immanitas potiùs & durities, vel ſuperbia, vel deſperatio, vel parricidium dicendum. Tertium exemplum péti poteſt ab rei herbariæ ſcriptoribus. Nuſquam ferè magis proclivis eſt error, quàm in dignoſcendis *plantis* & herbarum nominibus. Atque hoc inde provenit, quòd antiqui, quia vulgo notum foret, quibus vocabulis plantæ quælibet notarentur, ſæpe deſcriptionem adderent nullam, vel ſaltem non aliam, quàm quæ etiam plantæ alteri, & interdum pluribus conveniret, cùm Logicæ præcepta I. 98. ſeq. adæquatam requirant. Hoc ſolidam botanicæ rei intelligentiam multum morari eximii medici conqueruntur.

54. Dentur exempla vitii poſterioris. *Reſp.* Galenus in libris de different. pulſ. *immodicum definiendi ſtudium* exagitat & morbum φιλοϱεισίας vocat, qui non tantùm medicos, ſed etiam philoſophos & aliarum diſciplinarum profeſſores invaſerit: ſunt, inquit, qui ne olus quidem citra definitionem videantur emturi, idque, cùm nec per tranſen-

nam

nam dialecticam viderint. Hæc ille. Novi ego medicum, qui de nullà unquam re cum alio diſſerit, niſi ejus definitionem antè poſtulaverit. Sed maximè philoſophi ſcholaſtici & ſimiles in hoc negotio peccant, præcipuè in Metaphyſicis, dum ea, *quæ per ſe ſatis nota ſunt, definire* conantur, quo quidem ſtudio pleraque non notiora, ſed obſcuriora reddunt, & clariſſimis clariora quærentes tandem in ſuis commentis evaneſcunt. Soli profectò lucem fœnerare conantur, qui clara definiunt, atque ita ſe gerunt ac ſi in meridie lucernam circumferrent, quod Diogenes Cynicus faciebat. Naturale enim mentis lumen intuitu artificialis, v. g. definitionis alicujus Logicæ, eſt veluti ſol comparatione lucernæ: & ſicut hanc accendimus, ubi ſolis luce privamur; ita definitiones ſecundùm Logicam adornamus, ubi naturale lumen rem non ſatis clarè perſpicit. Vide Log. I. 13. Unde etiam alia hominum ingenia magis, alia minùs egent definitionibus; quandoquidem aliorum lumen latiùs ſe extendit quàm aliorum.

55. Poſtquam examinatum fuit, an definitio ab authore quopiam allata intuitu rei aut vocis neceſſaria fuerit, nec ne, quid ampliùs inquirendum? *Reſp.* Videndum eſt, an rectè ſit conſtructa, ſive an legibus bonæ definitionis in utraque Logicæ Gen. parte ſa-

tisfaciat, quarum potiſſima eſt, ut ſit *clara & perſpicua*, hoc enim exigit Log. I. 98. II. 45. ac duplici jure exigit, 1. generali, quoniam totus primus Logicæ gradus eò ſpectat, ut clara ac diſtincta perceptio habeatur. 2. ſpeciali, quia definitio hac ſola de cauſa adhibetur, ut id quod obſcurum eſt declaretur; unde neceſſum eſt, non ſolùm æquè claram, ſed omnino clariorem eſſe illa re, quæ definitur: nam fruſtra aliàs adhiberetur. Itaque *definitiones, quæ fiunt ex conjugatis notionibus, aut correlatis æquè obſcuris*, admitti non poſſunt, v.g. Qualitas eſt, à qua quales aliqui dicuntur; Principium eſt, à quo pendet principiatum.

56. Quomodo ſe habet tralatitia hominis definitio, ſi ratione perſpicuitatis examinetur? *Reſp.* Genus, *animal*, in hac definitione poſitum eſt valde obſcurum, & ſi hoc genus (ut creditur) proximum reducas ad remotiora, v. g. corpus *vivens, animatum*, (talis autem reductio inſtitui debet ab accurato Analytico) non ad clariora, ſed ad obſcuriora venies, quemadmodum præced. capite oſtenſum. 2. Si examines quid homo, item quid animal, manifeſtum evadet, *clariùs te intelligere quid homo ſit, quàm quid animal.* Jam verò nulla toleratur definitio, quæ obſcurior definito. 3. Differentia hîc poſita, *rationale*, ambigua eſt, nam vel ſignificatur id, quod

cognitionis particeps ; atque ita in genere, nempe animali, contineretur, (nam huic cognitionem tribuunt illius definitionis authores) quod abſonum ; vel denotatur *cognitio dianoëtica* , quæ plerorumque videtur eſſe ſententia ; & ſic ab imperfectiori homo definiretur, quod vitioſum eſſe ipſi alibi fatentur; vel deſignatur *ſimplex mentis apprehenſio* & cognitio noëtica, quæ eſt perfectior mentis actio; & tùm nequeunt ſatis explicare, quantum hæc differat ab ea, quam animantibus mutis adjudicant, perceptione.

57. Ubi fuit animadverſum , quomodo ſe habeat definitio contemplatione noſtri intellectus, quid ampliùs in ejus analyſi inveſtigandum? *Reſp.* Videndum quomodo ſe habeat reſpectu rei definitæ, videl. primò, an ſatis evolvat *rei naturam*, explicans *è quibus conſtituatur*, uti præcipit Logica I. 98. Deinde , an genus ac differentiam rectè aſſignet. Denique, an ſit adæquata, de quibus definitionis conditionibus eâdem quæſt. & ſeqq. agitur.

58. Examinetur ſecundùm illa tria definitio vulgaris hominis. *Reſp.* Primæ conditioni non ſatisfacit, quia 1. *homo manifeſtè eſt compoſitus* ex duplici rerum diverſiſſimarum genere, ac proinde verè μικρόκοσμος, cujuſmodi res præter hominem nulla datur in univerſo. Atqui hæc admiranda & notatu digniſſi-

gniſſima compoſitio debuit in definitione hominis omnino exprimi, ſiquidem natura ejus fuerit explicanda. Exprimitur autem in hac definitione: *Homo eſt res ex mente finita & corpore organico*, id eſt, varia membra habente, *compoſita*. Vide Log. I. 34. Et nota, propter quæſtionem mox ſequentem, genus hominis propinquius me non invenire hôc: *res compoſita*. Adhæc non modò non exprimitur iſta tam notabilis compoſitio, verùm etiam ex adverſo homo in vulgata definitione conſideratur tanquam *res ſimplex & unius tantùm generis*: nam animal ponitur ſub corpore, quod ſpiritui opponitur in diviſione Subſtantiæ. Adi tabulas prædicamentales, niſi fortaſſis confractæ jam ſint ſuperioris capitis machinis. Et quidem 3. homo ponitur *ſub genere rerum ignobiliori*, ſcil. corpore, tolerabiliùs autem fuiſſet erratum, ſi ad genus magis nobile, ſcil. ſpiritum, relatus foret, quomodo in aliis à potiori fieri denominatio conſuevit. Quemadmodum autem *genus*, ita etiam 4. *differentia*, rationale, ſecundùm pleroſque ratiocinandi facultatem ſignans, petita eſt ab attributo ignobiliori: id verò non ſatis idoneum eſſe vel hinc liquet, quòd quò magis perfectus redditur homo, mente cognitione rerum illuſtrata, eò minùs ratiocinetur. Sapientes enim Deo atque Angelis ſimiliores plurima *ſine diſcurſu intelligunt*,

quæ

quæ alii non item. Si ergo illud, rationale, eſſentiam hominis optimè declarat, quæ utique mens eſt illius definitionis fautorum, ſequitur hominem, quò redditur perfectior, eò magis naturam ſuam amittere, quod non putem ipſos affirmaturos.

59. Quomodo ſecundæ conditioni reſpondet hominis decantata definitio? *Reſp. Generis* officium eſt exprimere convenientiam, quam res habet cum *maximè cognatis*, nam inde vocatur *proximum*, Log.I.98.100. *Differentiæ* munus eſt indicare, quomodo res differat non à quibuſlibet, ſed à maximè cognatis, ibid. Atqui in definitione iſta hominis indicatur ſolùm, quomodo conveniat cum beſtiis, quomodo differat à beſtiis, quaſi beſtia & homo res eſſent maximè affines. An autem homo non magis convenit cum *Angelis*, nempe ratione mentis intelligentis atque immortalis, Deique ad imaginem factæ, quæ utique pars hominis præcipua?

60. At enim, inquiat aliquis, non angeli, ſed beſtiæ, corporeis organis homini ſimillimæ, ſunt *apud nos conſpicuæ*, unde non illorum, ſed harum in definitione hominis habenda fuit ratio. *Reſp.* Hoc tanquam novum vitium ſuperioribus accuditur, quia, cùm *humanæ cogitationes potiùs verſari deberent circa res intelligentiâ præditas*, ipſæ circa umbras & ſpectra corporum volitare amant, contra

Log.I.

Log. I. 35. Adeo ſe homines rebus corporeis & viſibilibus immergunt, ut credant totum id, quod ſunt, ſimilius eſſe talibus rebus, quàm aliis, quæ ſenſus fugiunt & ſola mente pervidentur, quo *capitali errore* imaginem & ſimilitudinem Dei, ad quam creati ſunt, obliterant.

61. Quomodo tertiæ conditioni ſatisfacit uſitata hominis definitio? *Reſp.* An *definitio aliqua ſit adæquata*, inductione cognoſcitur, ſi de quocunque dicitur definitum, de eodem etiam definitio dicatur, & vice verſa. Ratione hujus conditionis nihil deeſt hominis definitioni; ſed nec deeſſet quicquam, ſi *animal ridendi facultate pollens* definiretur, quam tamen definitionem approbaret nemo, quia apertè incurrit in præcepta Log. I. 102. Multi in examine alicujus definitionis hoc ſolum vel potiſſimum ſpectant, ut ſit adæquata, quod ipſum non ſufficere, & *alia priora & potiora* conſideranda eſſe, abundè, nî fallor, à me eſt oſtenſum.

62. An receptiſſima illa hominis definitio *pro exemplo & exemplari perfecta definitionis*, ut ſolet, poteſt in Logica proponi? *Reſp.* Id perperam fieri, conſtat è præcedentibus, cùm tot vitiis laboret. Adde quòd exempla parum idonea ſunt in Logica, quæ ut percipiantur, aliarum diſciplinarum cognitionem, qua caret Logicæ diſcipulus, requirunt, ex Log. II. 89.

89. Ut autem perſpicuè intelligatur id,quod loco generis ponitur in definitione hominis, animal ſcil. totius propemodum *Phyſicæ notitia requiritur*, quia genus hoc proximum mente debet ad omnia ſuperiora reduci; donec veniatur ad ſummum. Atqui vix dantur in ſcholis Logicæ diſcipuli, qui jam antè ſint ſcientiâ phyſicâ imbuti. Noſtra autem definitio fundatur in illa diviſione rerum præcipua, quæ initio Logicæ proponitur; hac data per ſe innoteſcit, quomodo homo definiendus. Vide iterum Log.I. 33, 34.

63. Sed obducat aliquis, à me tamen eſſe hanc hominis definitionem,animal rationale, pro exemplo perfectæ definitionis poſitam, ac ſæpius in explicandis præceptis Logicis uſurpatam. *Reſp.* Conſuetudini, fateor, in hoc exemplo tam trito ſum obſequutus, uti & in aliis rebus nonnullis, ne illico viderer omnia velle mutare. Nec tamen ob exemplum minùs appoſitum regulæ ullæ Logicæ infirmantur, præſertim cùm illius vitia non antè notari potuerint, quàm veræ definitionis doctrina probè eſſet cognita; imò in hac tradenda Log. I. 99. quid de illo ſentirem perſpicaci lectori inſinuavi, *vulgarem* eam hominis definitionem appellando, atque addendo, non, quod animal commune ſit homini cum rebus maximè cognatis, quod antecedens præceptum exigebat; ſed quòd homini com-

commune ſit *cum rebus illis, quæ maximam cum eo inter res apud nos conſpicuas convenientiam habent*, quod nunc virgulâ cenſoriâ notavimus q. 60. hoc ipſo capite.

64. Eſtne præterea quid in examine definitionum tenendum? *Reſp.* Superioribus omnibus conſideratis ſpectatur *brevitas*, & alia ratione elocutionis, de quibus Log. II. At hîc ſolùm apponam duas *bonæ definitionis notas*, quarum prior eſt, ut cætera de re dicenda poſſint ex ea velut è fonte derivari, quemadmodum è definitione Dei Log. I. 101. attributa ejus omnia colliguntur: poſterior, ut quicquid ullus author de natura rei vel ex parte tantùm dixit, in ea univerſum contineatur, ita ut omnes definitiones, quæ datæ unquam ſunt, aut dari poſſunt, quatenus aliquid veri habent, in ea comprehendantur. Sic in definitione Dei, quam dedimus, *ens ſummè perfectum*, continentur illæ aliorum: Deus eſt id, quo majus ac meliùs nihil cogitari poteſt; Deus eſt actus omnis poteſtatis expers; Deus eſt mens incorporea diffuſa per univerſam naturam; Deus eſt prima & ſempiterna eſſentia, ex qua eſt omne quod eſt, quatenus eſt; Deus eſt, qui in eodem ſimilique ſtatu ſemper eſt, cæteriſque eſt cauſa cur ſint, &c.

CAP.

CAP. VIII.

Analyſis diviſionis *quomodo inſtituenda docetur exemplo hujus, quà res in cogitantes & extenſas diſpeſcuntur, ubi quæritur primò, an* neceſſaria *ſit iſta diviſio; porrò, an rectè vocabulis illis proponatur,* materiales & immateriales, corporeæ & incorporeæ; *quomodo hæc ita expreſſa à philoſophis defenſa, à Iuriſconſultis retenta; adhæc, an aptè his vocibus,* corpora & ſpiritus, *vel illis,* ſenſibiles & inſenſibiles, viſibiles & inviſibiles, intelligibiles & imaginabiles; *præterea, quomodo membra dividentia* opponantur, *an* adæquata *diviſio, an bene res cogitantes* activa, *extenſæ* paſſiva *voce notentur, an illæ ſint* verè res?

65. Quomodo inſtituendum eſt diviſionis examen? *Reſp.* Initio videndum, utrùm *vocis* ambiguæ diſtinguendæ, an *rei* expreſſiùs ac diſtinctiùs animo concipiendæ causâ fuerit adhibita, ut appareat, quæ & quanta ejus *neceſſitas*. Nam aliquando videas authores confusè & generaliter de rebus loqui,

qui, quas diviſas ac diſtinctas proponere decuiſſet, ſecundùm illud: *qui bene dividit, bene docet*. Alios ex adverſo cernas modum in dividendo ac ſubdividendo nullum obſervando auditores fatigare, quod perinde eſt, ac ſi exilibus omnino nummis, v. g. ſtuferis, albis, deutis, &c. debita perſolverent, creditorem longo numerandi labore vexando, cùm ſatisfacere ei poſſent ac deberent moneta ſolidiore, v.g. thaleris imperialibus, ducatis, &c. (unde milites Rom. apud Tac. ann. 1. non decem aſſes minuti æris, at ſolidum denarium quotidie petebant) qua ſimilitudine in hoc negotio celebrem in Gallia Theologum, de Germano quodam item celebri judicium ferentem, uſum fuiſſe accepi. Verùm quia ſecundùm ipſa dividendi præcepta meliùs quid docetur particularibus exemplis, quàm univerſalibus regulis, & quia nulla prior ac potior eſt rerum diviſio, quàm illa, quâ in *corporeas & intellectuales* diſpeſcuntur, iccirco rem ſapientiæ ſtudioſis utiliſſimam facturum me arbitror, ſi diviſionem illam cum aliis velut idem valentibus, vulgi ore tritis, aut à Philoſophis aliiſque ſcriptoribus uſurpatis collatam, ſecundùm veras dividendi leges aliquantò curatiùs examinem. Proferantur itaque quæſtiones eò pertinentes.

66. An dicta rerum diviſio *valde eſt neceſſaria? Reſp.* Summopere eſt neceſſaria, quia

res

res corporeæ & intelligentia præditæ in theoria & praxi, cogitatione & oratione, in Deo, in Angelis, in Anima humana, in rebus corporeis percipiendis mirum in modum confunduntur. Docent illud, præter alia quàm plurima, 1. confuſa rerum corporearum & intellectualium *nomina*, v. g. anima, animus ex *ἄνεμος*, id eſt, ventus, ſpiritus, &c. 2. quòd *Dei* immenſitatem vulgò homines concipiunt per modum alicujus interminatæ in longum, latum & profundum extenſionis. 3. quòd multorum judicio ſubtiliſſimus Scaliger Exercit. 359. ſect. 3. *Angelis* tribuit quantitatem, ut intellectus intelligat in eis unam partem, quæ non ſit alia (hoc eſt, ut ego interpretor, nec poſſum aliter, ut intellectus in illis mentibus naturam intelligat verè corpoream) ſect. 4. figuram, ſect. 6. diffuſionem & contractionem aſſerta ſibi magnitudine certa, non in infinitum, nec ad punctum. 4. quòd *Anima* humana concipitur inſtar venti, aut alterius corporis ſubtilis. 5. quòd vulgus mortalium in *praxi* de animæ perfectione aut imperfectione judicat è corporis pulcritudine aut deformitate, robore aut imbecillitate, quod fallit perſæpe.

67. An rectè proponitur illa diviſio his notionibus: *materiale*, *immateriale*, *corporeum*, *incorporeum*? *Reſp.* Negatur, quia 1. immateriale & incorporeum nullam ideam

poſitivam exhibent, qualem cùm poſſimus habere, meritò expetimus. Nihil, inquam, vocabulis illis negativis percipimus, proprietates & attributa rerum intelligentiâ præditarum nulla apprehendimus. 2. quia inter res hîc diviſas neque privativa, neque contradictoria oppoſitio eſt, (cùm utrumque rerum genus eſſentiam habeat poſitivam) quod tamen voces iſtæ præ ſe ferunt & oſtentant. 3. quia diviſio ſic concepta & expoſita falſa nititur hypotheſi, res corporeas priùs & faciliùs cognoſci aliis, vide ſupra q. 25. & art. 64. ſeq. in Proleg. 4. quia diviſio illa ſuffulta eſt hoc infantiæ errore, quod rerum corporearum magis realis & ſolida ſit ſubſtantia, adeò ut, tanquam perfectiores, poſitivis; aliæ, velut imperfectiores, negativis efferendæ ſint vocibus. Adi loca jam citata & proximè cohærentia. 5. quia diviſio tali modo expreſſa originem habet ex eo, quòd contra attentionis præcepta homines ab ineunte ætate, rebus intellectualibus inſuper habitis, corporeas ſolum, aut certè præcipuè attenderint, neque ab iis mentem avocarint, vide Log. I. 24. 35.

68. Sed quî factum, quòd diviſionem ejuſmodi vitioſam retinere hactenus plurimi non incelebres potuerint philoſophi? *Reſp.* 1. Quia ne quidem ipſi à præconceptis ineunte ætate opinionibus animum ſatis liberârunt unquam; argumento ſit, quòd Phyſicam ante

te Metaphyſicam tradiderint ac tradendam judicârint. 2. quoniam illis opinionibus eò arctiùs ligata fuit eorum ratio, quòd plerique in Dialecticorum ſcholis didiciſſent, illas *diviſiones eſſe optimas, quæ terminis exprimuntur contradictoriis*, cùm ſic maximè membrorum dividentium eluceat oppoſitio, nullumque omiſſionis periculum ſit, contradictione medium omne excludente. Sed lubricum eſſe hoc fundamentum ex eo dilucet, quòd primus Logicæ gradus, ad quem etiam diviſio ſpectat, hunc ad ſcopum collineet unicè, ut rem propoſitam clarè diſtinctéque percipiamus, quam tali perceptioni congruenter exprimere jubet Hermeneutica. Quemadmodum igitur genus hîc diviſum, nempe ſubſtantia, ſive Res propriè dicta & per ſe exiſtens, poſitivo conceptu apprehenditur, & poſitivo nomine effertur: ita has ſpecies dividentes, res cogitantes dico & extenſas, poſitivis conceptibus & vocibus percipi atque exprimi par eſt, quia nec mentis imbecillitas impedit, nec vocabulorum penuria, de qua Log. II. 49. Poſſunt enim dici res intellectuales & corporeæ, aut meliùs, cogitantes & extenſæ, & poſſunt ut tales per attributa poſitiva percipi. Sic ineptum judicares, qui divideret hominem in corpus & non corpus, cùm poſſit in corpus & animam, aut manum in dextram & non dextram, cùm poſſit in dextram & ſiniſtram, aut

ens in Deum & non Deum, cùm poſſit in Deũ & creaturam adæquatè & poſitivè. Quomodo autem ſatis certi eſſe queamus, nihil in hac diviſione omitti, eamque eſſe prorſus adæquatam, poſtea patefiet. Tantummodo obſervandum, ut in definitione *priùs perſpicuitatis, quàm adæquationis habenda ratio*, vide q.61. ſic omnino eſſe in diviſione faciendum.

69. An ergo rejicienda quoque eſt *Iuriſconſultorum diviſio*, qua res *in corporales & incorporales* partiuntur, de qua Inſtit. lib. 2. tit. 2. *Corporales* hæ ſunt, quæ ſui natura tangi poſſunt; veluti fundus, homo, veſtis, aurum, argentum &c. *Incorporales* autem ſunt, quæ tangi non poſſunt: qualia ſunt ea quæ in jure conſiſtunt, ſicut hæreditas, uſusfructus, uſus & obligationes quoquo modo contractæ, &c. nam ipſum jus hæreditatis, & ipſum jus utendi fruendi, & ipſum jus obligationis incorporale eſt. *Reſp*. Hæc diviſio differt à noſtra, quia non eſt idem quod dividitur. In omni autem diviſionis analyſi accuratè initio ſpectandum eſt, quid dividatur. Philoſophi dividunt Rem ſtrictè dictam, id eſt, ſubſtantiam, vide Log. ſ. 29. & ſeqq. Juriſconſulti rem latè dictam, h.e. aliquid, ſive ſit ſubſtantia, ſive accidens. Imò res incorporales, quæ hîc memorantur, omnes ſunt accidentia. Jura enim ſunt. Juriſconſulti opponunt Res Perſonis & Actionibus. At Philoſophi Rerum nomine in

iſta

iſta diviſione vel maximè Perſonas intelligunt. Philoſophis res incorporales ſunt angeli & animæ humanæ, quæ non pertinent ad Juridicam rerum diviſionem. In philoſophia principalis eſt illa diviſio: in juriſprudentia eſt tantùm ſubdiviſio rerum privatarum, ſive earum, quæ in bonis aut patrimonio ſunt. Diviſio in Juriſprudentia bona eſt, nec requiritur ibi explicatio ſubtilior, quoniam hæc ſatis accommodata eſt ad materiam, de qua agitur. Agitur enim de rebus, quarum dominium ipſa manuum apprehenſione acquiritur, quæ omnes ſingulares ſunt; adeò ut meritò Juriſconſulti res corporales per reſpectum ad tactum definiant, quod Philoſophus ſi faceret, juſta reprehenſione minimè careret. Adi Proleg. 53. fine. Addo generalem de diviſione, quam in præſenti examinamus, obſervationem hanc: ubi diviſio per notiones & voces poſitivas atque abſolutas dilucidè explicata præceſſit, negativam & reſpectivam tanquam ultrò conſequentem poſſe uſurpari; non tamen hanc illi anteponendam, vel pro illa, ut fit, tanquam ſatis accuratam diviſionem eſſe venditandam.

70. An rectè diviſio illa proponitur his vocabulis, *corpus & ſpiritus* ſeu *corporeum & ſpirituale*, quomodo vulgò in tabulis prædicamentalibus ſubſtantia dividitur, & alibi paſſim? *Reſp.* Negatur, quia 1. ſicut in priore

diviſione per negationem omnis corporis & materiæ: ita hîc per affirmationem alicujus corporis & materiæ apprehenditur res intellectualis, quæ duo revera non poſſunt ſimul conſiſtere; & poſterius quidem æquè eſt à ratione alienum, ac ſi album ad inſtar nigri, calidum quaſi ſimile frigido tibi velles animo repræſentare: nam rerum corporearum & intellectualium eſſentiæ ſunt contrariæ. 2. cùm non liceat ordine inverſo corpora ſibi repræſentare inſtar mentium (quamvis in hunc lapidem impingant multi) fas quoque non erit, mentes corporibus cogitando aſſimilare. 3. nomen illud *Spiritus* nullum attributum, nullam proprietatem rei intelligentis nobis manifeſtat. 4. notio illa ſupponit, res corporeas jam eſſe cognitas, & quidem diviſas in craſſas & ſubtiles, & ſubtilibus ſimiles eſſe res intelligentes (ubi talis in animo latet ratiocinatio: craſſa faciliùs cognoſcuntur ſubtilibus. At corpus craſſum: mens ſubtilis. Ergo.) cum tamen his tam ſint diſſimiles, quàm craſſis & palpabilibus; nec rebus corporeis cognitione poſteriores, ſed priores cenſeri debeant, ut alibi demonſtratur. 5. proinde ejuſmodi diviſio ab infantium imperfecto cognoſcendi modo trahit originem, quandoquidem non valentes mentem cogitando abſtrahere ab omni corpore, animam noſtram imaginati fuimus tanquam exiguum neſcio

quid

quid inſtar venti, vel ignis, vel ætheris, quod craſſioribus noſtri partibus eſſet infuſum. Quemadmodum autem animæ, ita ſpiritus nomine interdum utimur, loquentes cum multis, ſentientes cum paucis. Sed in accurata philoſophia, ubi ex inſtituto diviſio iſta proponitur, utendum eſt vocabulis propriis atque appoſitis.

71. An diviſio noſtra in res cogitantes & extenſas cum illa coincidit, qua res diſpeſcuntur *in ſenſibiles & inſenſibiles*, ſive *in viſibiles & inviſibiles? Reſp.* Etiamſi hoc nonnulli opinentur vulgari loquendi conſuetudine inducti, aliter tamen ſe res habet, nec probatur in philoſophia talis diviſio 1. quia vocabulis oppoſitionem negativam, qualis in rebus illis rectè diſtributis non eſt, exprimentibus proponitur. 2. conſiderat res viſibiles & ſenſibiles ut magis notas magiſque poſitivas, quod falſum eſt. 3. nihil abſoluti continet, ſed reſpectum duntaxat ad noſtros ſenſus, quod eſt accidentale quid, non eſſentiale rebus; ac proinde 4. habet ſimilia vitia iis, quæ notavimus in diviſione per materiale & immateriale, corporale & ſpirituale. 5. quia ſub genere rerum ſenſum & oculorum obtutum fugientium & corporeæ & intellectuales, maximè inter ſe diſſimiles, comprehenduntur. Reſpice Log. I. 109.

72. An diviſio entis in *intelligibile & ima-*

ginabile eadem eſt noſtræ? *Reſp.* Penè quidem eadem eſt, quandoquidem res cogitans ſolùm eſt intelligibilis, res verò corporea ſola imaginabilis: attamen non prorſus idem valet, quia 1. propter magnitudinem extenſionis & diſtantiæ, itemq; multitudinem figurarum non poſſumus res quaſlibet corporeas imaginari, adeo ut imaginabile eſſe ſolis quidem corporibus competat, ſed *non omnibus*. 2. quia res corporeæ etiam intelliguntur, etſi non tantũ (cùm inſuper ſint imaginabiles) adeoq; intelligibile eſſe competit omnibus quidem rebus intellectualibus, ſed *non ſolis:* ac proinde neque hîc, neq; illic eſt aliquid quarto modo (Log. I. 93.) proprium. 3. quia diviſio illa, deſumta à reſpectu ad humanum intellectum & phantaſiam, poſterior eſt noſtra, & ex ea conſequitur, neq; eſſentiam illarum rerum abſolutam tam accuratè exprimit. Fatemur interim hanc diviſionem illis, quas à reſpectu ad ſenſus externos vel ad materiam & corpus petitas in ſuperioribus caſtigavimus, eſſe præferendam.

73. Cùm in omni diviſione conſiderandum ſit, *quomodo partes dividentes ſibi opponantur*, oportet illud etiam in noſtra diviſione conſiderare; præſertim cùm aliquis ad vocabula tantùm advertens animum nullam hîc eſſe oppoſitionem putaverit, dum ita ſcribit: nec cogitatio extenſioni ex adverſo, nec attributa mutuò opponuntur. Cogitationi ſtupor ali-

aliquis aut cogitandi quies, extenſioni loci & ſpatii exemtio opponeretur. *Reſp.* Erratum illius ſcriptoris primum eſt, quod non agnoſcit aliam oppoſitionem, quàm privativam aut contradictoriam. 2. quòd ſua impropria & metaphorica, *ſtupor*, cogitandi *quies*, anteponit noſtris propriis. 3. quòd ſua negativa noſtris poſitivis: atque ita in varia vitia ſuperiùs annotata incidit. Nos autem dicimus, inter res cogitantes & extenſas oppoſitionem eſſe contrariam, quæ tamen ſecundariò ad contradictoriam revocari poſſit, ſi dicamus: diviſibile & indiviſibile, materiale & immateriale; quia omne extenſum dividuum, omne cogitans individuum. Adhæc poſitio cogitationis eſt extenſionis & diviſionis negatio. Sed huic negativæ diviſioni noſtram, utpote priorem & potiorem, ob rationes dictas ac dicendas anteferimus.

74. Examinandum etiam in unaquaque diviſione, an ſit *adæquata*: quomodo autem hoc invenitur? *Reſp.* Sæpe inductione tantùm id innoteſcit, quemadmodum de definitione q. 61. accepimus. Sæpe ex alia cauſa redditur manifeſtum, tot eſſe omnino partes aut ſpecies, non plures, nec pauciores. Noſtram quidem diviſionem nec latiorem nec anguſtiorem eſſe re diviſa, ex eo perſpicuum eſt 1. quòd nulla ſubſtantia mente concipi poſſit, quæ non ſit extenſa vel cogitans: ſi concipi

non poteſt, ergo nec judicanda eſt exiſtere, confer Log.I.34.2. quia noſtra diviſio, uti diximus, ad contradictionem omni medio carentem reduci poteſt, ſiquidem omnis oppoſitio contradictionem quodammodo includit. Ita ſi res ſit intelligens, non eſt corporea. Conſidera verba Log. I. 37. *Nam ſi Angelum* &c. Rectè Suarez: *immateriale eſſe & intellectuale eſſe inſeparabilia ſunt.*

75. An bene *res cogitantes activa, extenſa paſſiva voce efferuntur?* *Reſp.* Optimè, nam illarum imprimis eſt agere, harum pati: quæ differentia notatu digniſſima cùm aliis diviſionibus, quæ vulgò æquiparantur noſtræ, non exprimatur, hoc etiam inter hujus prærogativas referre non dubitemus.

76. Quænam præterea in diviſione qualibet & in hac ſpeciatim ad examen revocanda? *Reſp.* Ne longior ſim, dicam paucis, ad analyſin diviſionis quoque pertinere, ut videamus *an partes, vel ſpecies dividentes toti vel generi diviſo inſint*; item, utrùm æqualiter inſint, an inæqualiter; nam inde genus univocum aut analogum dicitur: e.g. vulgus mortalium dubitat, an res cogitantes revera per ſe exiſtant, h. e. an huic generi, *ſubſtantiæ* ſive *rei* verè inſint, cùm penè omnes exiſtiment, ſola corpora per ſe verè exiſtere. At ſapientiæ ſtudioſi nôrunt, res cogitantes multò eſſe veriores, multoque magis reales corporeis

reis entibus quibuſcunque. Hæc de analyſi diviſionis.

CAP. IX.

Modo tradendi ſcientias per meras definitiones ac diviſiones *nec patrocinantur antiqui, nec favet Logica; ut nec ipſe humanæ mentis convenit naturæ, quæ gaudet ratiocinatione omniumque ſuarum facultatum exercitio; neque contenta ſimplice ſtrictarum definitionum diviſionumque apprehenſione uberiorem rerum explicationem ſententiarumque nexum firmiorem magiſque naturalem deſiderat.*

77. Quoniam proximè de definitionibus diviſionibuſque reſolvendis ſeorſum egimus, de utriſque junctim ſpectatis porrò interrogandum videtur, nempe quid judicandum de illis doctoribus, qui *per meras definitiones ac diviſiones omnia tradunt*, quales è recentioribus plurimi, quorum tamen nonnulli regulas vel theoremata adjungunt? *Reſp.* Conſiderandum propono, quòd non in ſacris Literis, non in Patribus antiquis, non in Platone, Ariſtotele, Seneca, Cicerone aliiſve veterum perpetuum ejuſmodi per definitiones ac diviſiones omnia tradendi modum animadvertamus.

mus. Neque, opinor, dixerint recentiores illi, ſe in modo tradendi plura videre, quàm omnes antiquos, utpote quorum authoritatem ſummopere ſuſpiciunt, & ex quibus hauriunt, quæ tali ordine revinciunt. Adhæc primi ſubſellii Ariſtotelici cum ſuo anteſignano definitionem & diviſionem non aliter conſiderant in Logica, quàm ut *inſtrumenta ſecundaria*, & quidem cum relatione tantùm ad ſyllogiſmum & demonſtrationem. Et quid docetur ab iiſdem illis, contra quos jam diſputamus, tam prolixè in Logica de ſyllogiſmo ac demonſtratione, ſi, quod potiſſimum in theoria habet eorum Logica docens, utens in praxi prorſus negligat? Annon præſtat dicto pariter & facto docere Logicam præcepta ratiocinandi cum uſu ratiocinationis in diſciplinis tradendis connectendo? Repete Log. II. 1.5.

78. Sed prætermiſſis argumentis ab authoritate & ad hominem, quid rei ipſius conſideratio ſuggerat videamus. *Reſp.* 1. talis methodus, quia per nudam ſimplicium apprehenſionem ducit auditoris animum, accommodatior videtur *ſimplicibus Intelligentiis*, aut iis, qui τὸ ὄν duntaxat nôſſe deſiderant, quàm humanæ mentis naturæ, quæ gaudet ratiocinatione & diſcurſu, ut etiam ad τὸ διότι perveniat. *Naturam* hîc pro indole hominis diſcentis accipio, ne me putes contraria nunc dicere illis, quæ ſupra in examine

defi-

definitionis q. 58. fine aſſerui. Vide regulas Log. II. 63. I. 13. quas apertè violat iſta ſcientiam inſtillandi ratio. 2. ejuſmodi methodus hac nititur hypotheſi, res quaſlibet eſſe definiendas ac dividendas, quaſi omnes tam forent obſcuræ & ambiguæ, ut nullæ earum naturali rationis lumine clarè ac diſtinctè queant percipi: quod adverſatur iis, quæ ſuprà docuimus, definitionum diviſionumque neceſſitatem ad rationis ſtateram appendentes.

79. At cùm in diſciplinarum traditione id unicè agendum ſit, ut auditores ac lectores rem clarè diſtinctèque percipiant, quo dato, ſponte ſequitur judicii certitudo, cumque *perceptio clara definitione, diſtincta diviſione comparetur*, non videtur modus ille docendi carbone, ſed cretâ potiùs notandus. *Reſp.* 1. Duo iſta nec ſemper neceſſaria, ut modò oſtenſum, nec ſola ſunt claræ diſtinctæque perceptionis comparandæ adminicula, ſed alia plura, quæ ſummatim recenſentur Log. I. 122. Et 2. patet ex primo Logices gradu, rem, quam claræ diſtinctæque perceptionis ergo attendimus, primò reducendam eſſe ad ſuam claſſem, deinde attributa ejus varia conſideranda, atque in communia & propria diſtinguenda &c. porrò ex communibus genus proximum, ex propriis differentiam ſeligendam;

ex iis conjunctis tandem concinnari definitionem.

80. Dices, hanc methodum à mente quidem priùs teneri, non tàmen ſcripto poſtea exprimi. Reſpondeo, eos, qui *modum quo invenerunt* ſua dogmata, nuſquam aperiunt, non ſatisfacere legibus Hermeneuticis, vide Log. II. 22. ac nimis jejunos eſſe dogmatiſtas. Addo, talem proceſſum non ſolùm in geneſi propriarum cogitationum, ſed etiam in analyſi alienarum ſemper obſervandum. Et hinc tertia conſequitur ad præcedentem 79. quæſtionem reſponſio; nempe, quòd in hoc mentis proceſſu ſæpe intercurrat argumentatio ac diſcùrſus: nam præcepta Logica in uſu permiſcentur, quæ in doctrina ſeparantur, teſte vel hac ipſa Analytica, quæ Logicæ Geneticæ oppoſita quodammodo practica videtur: imò ad plurium perceptionem claram ac diſtinctam non poſſumus, niſi ratiocinando, ſive à noto ad ignotum gradatim eundo pervenire. 4. Nec *vera methodus* perceptionem ſolummodò format, ſed etiam judicium & memoriam, vide Log. I. 14. 16. & alibi. Præterea vinculum humanæ ſcientiæ in ſententiarum omnium nexu ab argumentatione pendente conſiſtit, quemadmodum Log. I. 149. & alibi docetur. Quare qui per definitiones ac diviſiones meras ducunt lectores; faciunt ut imperiti medici,

qui ad ſanitatem & robur corporis conducere cenſerent, ſemper ſtare aut ſedere, quaſi non eſſet ſatius, ut homo interdum quoque ambularet, curreret, ſaltaret. Certè ut corpus vario motu gaudet, ita mens. Nihil enim in ſe relictura otioſum non modò percipiendi, verùm etiam judicandi, argumentandi, reliquaſque omnes ſuas facultates amat explicare, exſerere, exercere. Et hæc vera eſt cultura mentis, qua functiones ejus univerſæ perficiuntur.

81. At contra illud, quod de vinculo ſcientiarum ſententiarumque nexu, per iſtud definiendi ac dividendi continuum ſtudium rumpendo, dictum fuit, videtur excipiendum, definitiones aut certè diviſiones id eſſe, per quod omnis doctrina à viris literatis revera connecti & ordinari ſolet. *Reſp.* 1. tantum abeſt, ut hoc abnuam, ut etiam *exceſſum in tali nectendi opera* reprehendam, cùm juſto ſcientiarum incremento non parum officiat præmatura illa ac præcipitata in ejuſmodi methodos reductio. Etenim ſcientia in quæſtiones & reſponſiones, meditationes, obſervationes, aphoriſmos ſparſa augeri poteſt & exſurgere: at vulgari modo revincta ac circumſcripta illuſtrari forſan poteſt & ad humanos uſus edolari, non tamen augmenta capere. Diviſionibus enim ac ſubdiviſionibus ita inſtitutis, ac ſi omnia, quæ ad illius ſcien-

ſcientiæ objectum revocari poſſunt, accurate comprehenderent, nullam ad ulteriorem notitiam adſpirandi occaſionem animus nanciſcitur. 2. dico, *connexionem illam non eſſe naturalem* & rectæ inſtitutioni congruam, ſed potiùs violentam & contortam, cùm nec rerum plenitudini, nec mentis uberiori explicationis luce indigentis captui ſtrictę ejuſmodi & conciſæ definitiones ac diviſiones ſatisfaciant.

82. Quid præterea in iſta per ſolas definitiones ac diviſiones elaborata methodo caſtigandum? *Reſp.* 3. quòd connexione tali mens humana *non gradatim promovetur à proximis ad proxima* (quod tamen paſſim Logica præſcribit, in definitione genus proximum, in diviſione partes proximas, in demonſtratione cauſam proximam, effectum proximũ flagitando) ſed à remotis ad remota: e. g. ſi ſola definitionum ac diviſionum via in Logices prima parte proceſſiſſem, initio dixiſſem, primo ejus gradu doceri, quomodo clarè ac diſtinctè percipiendæ vel res ſingulæ ſeorſum, vel plures conjunctim, & ubi ad caput decimum, quod agit de ordine, perveniſſem, tranſitio hæc fuiſſet: hactenus de ſingulis ſeorſum percipiendis actum, nunc de pluribus conjunctim intelligendis agendum eſſe; atque ita mens ad longè remotam diviſionem debuiſſet recurrere: nunc autem à

pro-

proximis, iis ſcil. quæ de diviſione ſunt dicta, vadit ad proxima, id eſt, ordinem. Attende titulum capitis citati decimi, & ejus quæſtionem primam. Similiter ſe habet nexus primi & ſecundi gradus, ubi capitis undecimi inſcriptionem, ejuſque quæſtionem primam conſule. Notabis autem in citatis locis aliiſque geminis (ut Log. I. 9. fine, 28. initio, 88. 149. 168. 186. &c.) *priorem ſemper gradum à propinquis promoveri ad propinqua, licèt poſterius etiam connexio remota attendatur.* Qui verò tantùm à remotis eunt ad remota, præſertim ubi materiæ intermediæ ſunt diſſimiles, ſtultum viatorem imitantur, qui poſtquam iter feciſſet Pariſiis Amſtelodamum, inde cogitans Coloniam Agrippinam, non Ultrajectum, Arenacum aliaſque proximas ad urbes pergebat, ſed prius recurrebat Pariſios, unde initio fuerat egreſſus, hinc petiturus Coloniam.

83. Sed cùm in ſuperioribus confuſionum & obſcuritatum cauſa non poſtrema in *vocabulorum obſcuritatem & ambiguitatem* rejecta fuerit: iis autem tollendis inſerviant definitio ac diviſio ex Log. II. 31. videtur hinc eſſe commendabilis ea, quæ hîc impugnatur, methodus. *Reſp.* Definitiones ac diviſiones conſtant ex verbis, quæ novis iterum verbis perſæpe ſunt explicanda, cùm nomina plerumque ſint à rerum ignaris inventa, & minùs

nùs rectè rebus exprimendis accommodata; quemadmodum in ſuperioribus docuimus: unde exiſtens rerum & verborum confuſio multiplex, & opinionum incertum tolli ut plurimum, niſi planiore ac pleniore explicatione, non poteſt. Vbi autem fuſior uberiorque tractatio anteceſſit, ſi omnium recorderis, non eſt opus definitione; ſi non facilè recorderis, definitio breviter & ſummatim dicta præcipua conſtringens memoriæ ſervit.

CAP. X.

Rejicitur modus tradendi diſciplinas per meras diſputationes. *Diductio per communes locos cauſarum, effectorum* &c. *poſtponitur methodo* hiſtoricæ. *In quovis ordine* connexionis *eſt maxima habenda ratio.* Sermones Chriſti *aliquando ſequuntur ordinem cogitationum, quas habebant auditores. Non modò conſiderandum, cur author quid* tradat tali loco, tali modo; *ſed etiam cur interdum quid* prætermittat, *aut paucioribus attingat.*

84. Poſtquam ordinem & modum per defini-

finitiones ac diviſiones tradendi diſciplinas ad Logices trutinam expendimus, videamus jam de aliis proponendæ doctrinæ methodis: quid videtur de iis, qui *per meras diſputationes* omnia tradunt? *Reſp.* 1. intelligi poteſt ex fine Log. II. hautquaquam eſſe rationi conſentaneum, ut perpetuæ diſputationi diſcentes aſſueſcant. 2. è capite præced. patet, non unam ſolam mentis functionem eſſe exercendam, ſed etiam reliquas, adeoque non ſemper diſputandum atque argumentandum, ut nec ſemper definiendum ac dividendum. Itaque judico, *plurimum id certitudini ac ſoliditati ſcientiarum obeſſe, quòd nihil traditur vel ſcribitur, de quo non in utramque partem diſputetur.* Nam illo diſputandi more mens humana ſenſim ad inſtabilem, eandemque perpetuam, dubitandi ac fluctuandi rationem ita diſponitur, ut veritatis indagatores pauci, oppugnatores multi reperiantur, & plures exiſtant Sceptici quàm Philoſophi.

85. Porrò, quoniam inter authores non ita diſputaces hæc diverſitas deprehenditur, quòd alii *per cauſas, effecta, ſubjecta, adjuncta, & reliquos inventionis locos* themata pertractent, alii verò *ſtylo ferè hiſtorico* omnia enarrent, ortum rerum, de quibus agunt, progreſſum & incrementum cum ſuis circumſtantiis, tandemque finem & conſumma-

mationem deſcribendo, quæritur, hinc, an illi melius ordinent? *Reſp.* Melior ille ordinandi modus eſt, qui magis nectit & arctiore vinculo conſtringit ea, quæ traduntur, univerſa veluti paulatim naſcentia proponens ex Log. I. 113. qualis eſt hiſtoricus aut quaſi hiſtoricus; ille, qui vulgares inventionis locos ſequitur, non item. Exempla ordinis ejuſmodi hiſtorici illuſtria habes in Proleg. ubi errorum cauſæ ab infantia ad ſenectutem uſque deſcribuntur. Porrò cùm attributa reſpectiva non tam juvent ad rei perceptionem, quàm abſoluta ex Log. I. 38. minoris facienda eſt rerum ad ſcientias pertinentium per cauſas, effecta & ſimilia correlata diductio atque explicatio. Imò, cùm relationes hujuſmodi miris adeo modis varientur, & res eadem pro diverſa conſideratione alias atque alias recipiat, ſæpius uſu venit, ut in ejuſcemodi tractatione plurima dicantur, quæ verbis quidem diverſa ſint, ſed in re tantùm unum idemque ſignent, nominum & reſpectuum varietate, doloſa ſpecie, multitudinem ſcientiæ oſtentante. Sic Mens & Corpus conſiderari poſſunt tanquam *cauſæ* internæ Hominis, tanquam duo *contraria*, tanquam *prius & poſterius*, tanquam *idem* unitate compoſitionis, tanquam *ſubjectum & adjunctum*, tanquam *partes* eſſentiales, ex Log. I. 51. 73. 76. 77. 78. 85. Ex quibus commu-

munibus & relativis conſiderationibus an rerum intelligentior fias, quàm ex propriis & abſolutis, de quibus Log.I.40. tu ipſe æſtima.

86. Quoniam ex modò dictis, atque aliunde ſatis apertum eſt, plurimum eſſe in *connexione & vinculo* doctrinæ ſitum, quid hujus intuitu ampliùs eſt in ordinis analyſi conſiderandum? *Reſp.* Vide quis nexus ſit, & quàm firmus; tranſitiones tam perfectas, quàm imperfectas attende; cur quædam uno capite aut libro conjungantur, alia ſeparentur, rectene inſtituatur iſta ſive conjunctio ſive ſeparatio, ac proinde, an ſuo quidvis loco & ſede conveniente, an aliena & inconveniente pertractetur, diſquire; utrùm naturalis nexus, an arbitrarius, & ſpecialiter, num quis obſervet ordinem naturæ & rerum, quas exponit, an ordinem, quo ad earum cognitionem ipſe pervenit, an ordinem temporis, quo res contigerunt (ſæpe enim ob rerum cohærentiam connectunt ea Scriptores, quæ temporibus discreta, ſæpe contrà temporis ordinem preſſiùs ſequuntur) an ordinem ſcripti, ad quod reſpondet, an denique ordinem cogitationum auditorum animis conceptarum, qua methodo ſolus Deus uti queat.

87. Exponatur hoc ultimum paulò luculentiùs. *Reſp.* Hiſtoria Euangelica nobis re-

citat

citat diverſos ſermones eximios, quos Chriſtus habuit vitam agens inter homines. Vbi notare licet, quòd aliquando in eadem diſſertatione ſubitò, & quaſi ſaltu facto, ab una materia ad aliam tranſeatur planè diverſam, & à re præſente, de qua priùs ſermo fuerat, prorſus remotam. Videre nobis illic videmur portiones aliquas doctrinæ malè junctas, ſine dependentia aliarum ab aliis, ſine catenatione. Commentatores anxia ſollicitudine nexum aſſignare laborant, ſed fruſtra ſunt, dum non attendunt poſtremum noſtrum monitum analyticum, nempe *Chriſtum non per naturalem rerum ſeriem ire, ſed per cogitationum humanarum, quas ipſe cordium ſcrutator & renum inſpiciebat in eorum mentibus, quibus loquebatur.* Si quis orator hac gauderet prærogativa, ut cogitationes hominum atque intimos auditorum ſenſus pervideret, profectò ſecundùm illos potiùs, quàm ſecundùm vulgares Rhetoricæ regulas, quæ ignorant hanc methodum, orationem formaret. Itaque inæquabili, quæ in Chriſti ſermonibus quandoque apparet, varietati perſæpe occaſionem dedere cogitationes auditorum, & quo ordine ac ſerie illæ ſibi invicem ſuccedebant, eo orationem ſuam diſponebat Doctorum ſapientiſſimus, ad ea reſpiciens ac *reſpondens*, quæ inſcripta legebat ipſorum animorum tabulis. Reſponſio-

nis

nis exemplum habes Luc. VII. 40. Stultus ferè judicatur inter homines, qui non interrogatus reſpondet. At ſapientiæ divinæ, cum ſumma benignitate conjunctæ, proprium eſt, primùm ſurgentibus & vix dum natis in animo cogitationibus reſpondendo ſatisfacere. Nam, ut petitionem indigentis dando antevertere, moleſtique illius verbi, Rogo, gratiam ei facere, liberalitatis Ethicæ inſigne argumentum eſt: ita beneficentiam quandam Logicam, & eam quidem eximiam, ille exercet, qui vera docet eum, qui ignorantiam ſuam aut non agnóſcit, aut fateri erubeſcit.

88. Vt hæc de ordinis analyſi præcepta abſolvamus, adde paucis reliqua. *Reſp.* Omiſſis illis, quæ per ſe facilè aliunde dignoſcet lector (nempe, ut diſcernat in omnibus authoribus præcepta à commentariis, didactica ab elencticis, acroamatica ab exotericis, ordinem ſyntheticum ab analytico, univerſalem à particulari) tria ſequentia velim obſervari: 1. ut examines, quæ quis in modo ordinandi ac digerendi ſuas cogitationes *communia* habeat cum aliis ſcriptoribus, quæ propria & *ſingularia*. 2. ut expendas, an doctor ſibi conſtet, in tradendis ſcientiis *æqualitatem* ſervans (exempla vide Log. I. 142. 149. 159. 160. II. 36. IV. 8.) an verò ſibi ſit *diſſimilis*, alibi alio utens ordine, ubi nota-

notabis, ſapientem ſibi ſemper eſſe ſimilem ſibique conſtare, niſi mutatæ variatæque tractationis idonea cauſa fuerit. 3. ut exquiras, non modò cur author de aliis *prolixè* agat, de aliis *breviter*, ſed etiam, cur alia quidem tradat, alia vero prætermittat.

89. Tantùm poſtremi hujus moniti, ut quanti ſit momenti videam, exempla deſidero. *Reſp.* Initio philoſophiæ de Deo tractatio eſt brevior, adeo ut multa ejus attributa conſideranda ſuperſint, quæ in fine philoſophiæ locum inveniunt, quia ibi ſufficit noſſe exiſtentiam & veracitatem Dei, quatenus ea pertinent ad principia cognitionis humanæ; at hîc totum eſſe Dei, quatenus id homini datum eſt cognoſcere, ſpectandum venit. 2. Sapiens Author ſæpe conſultò quædam omittit, quòd plurium rerum explicationem deſiderent, quarum tractatio tali loco non convenit. 3. Multò *fuſior* eſt tractatio Phyſica de corporibus terreſtribus, quàm de cæleſtibus, quoniam in his eminus viſis pauciores, in illis cominus adſpectis plures varietates ac differentias notamus. 4. Quòd genealogia Melchiſedeci fuerit in ſacris Literis *ſilentio* involuta, neque de nativitate neque de morte ejus mentio facta, myſterium ſapit S. Theologiæ ſtudioſis non ignotum. At cur diem & anni tempus, quo mundi Servator natus, non definiat Scriptura, cùm alia minoris

minoris momenti exprimat, haut facilè quis explicaverit, qui tamen ſine difficultate agnoverit, cur genealogia ejus ab Euangeliſtis fusè recitata. Nec difficile eſt adferre rationes, propter quas extremi judicii dies non fuerit nobis patefactus. 5. Alia exempla ſunt Log. I. 13. fine, 182. initio, 187.

Cap. XI.

In analyſi enunciationum *potiſſima habetur ratio veri & falſi, & cauſæ utriusque ſpectantur.* Errorum *cauſæ in* ſingulis *hominibus ſunt affectus & præcipitis animi impetus, item vitioſi habitus, uno verbo, æquilibrium perceptionis & judicii neglectum; in* ſocietate *hominum & diſſerentes ſibi mutuò, & docentes diſcentibus, & hi viciſſim illis errandi præbent occaſionem.*

90. Procedimus ad *examen Enunciationis*, & quidem in ſuperioribus vidimus, quòd hæc ſæpe non reſpondeat illi, quæ in mente eſt, ſententiæ, v. g. cùm prædicatum præponit ſubjecto, cùm una voce exprimit utrumque, nunc igitur reliqua expediamus. *Reſp.* Præcipuum in hac analyſi eſt,

ut inquiratur, ſintne veræ enunciationes, an falſæ, & qua de cauſa; porrò, utrùm neceſſariò, an contingenter tales.

91. Vnde *veritas & falſitas enunciationis cujuſcunque* æſtimanda ſit, ex Logicæ prima parte generatim conſtat, cupio ſolùm paulò pleniùs hîc exponi, quibus de cauſis in tot errores incidant homines, ut illis perſpectis hos eò faciliùs in authorum analyſi obſervem. *Reſp.* De *cauſis errorum* in Proleg. actum eſt luculenter, imò in hac ipſa Analytica ſatis demonſtratum, quomodo in ſimplicibus notionibus malè apprehenſis, & cum vocabulis perperam ſæpe confuſis illi radicentur, nec videtur inſtitutæ compendioſæ tractationis ratio pati, ut hac de materia uberiùs nunc agatur, cùm jam in præcedentibus juſto longior videri queam. Ne tamen nihil dicam, obſervo, contingere ut erremus, ſi non ex ratione & perceptione præſente, ſed ex *affectu* aut ex opinione perceptionis præteritæ pronunciamus.

92. Explicetur hoc de affectibus. *Reſp.* Sic libenter homines id, quod verùm eſſe cupiunt, verum eſſe ſibi perſuadent, & quod non cupiunt, falſum: & vix cuiquam conceditur ſimul amare & ſapere, aut ejus quem oderit ſententias amplecti, quantumvis interdum veriſſimas: denique quod de ira dicitur, *impedit ira animum ne poſſit cernere verum*,

rum, ad alios quoque affectus atque animi impetus non immeritò extenditur.

93. Quomodo ex opinione perceptionis præteritæ contingit nos errare? *Reſp.* Si aliquid judicamus, *non quòd illud jam attendendo percipiamus*, ſed quia olim percepiſſe falſo putamus; aut certè quia à longo tempore, vel judicio ſæpe repetito ſic exiſtimavimus. Quas enim juvenes imbibimus opiniones, credimus eſſe antiquas, vel innatas, & ideo propugnamus; & quod ſæpe antè fecimus & judicavimus, ob habitum, quem crebrò repetitæ actiones in animo relinquunt, adhuc facere & judicare proni ſumus ac parati.

94. Quæ verò maximè propinqua errorum cauſa? *Reſp.* Quotieſcunque *perceptio & judicium non ſic ponderantur* (venia detur ſimili rem bene explicanti) *ut æquilibrium fiat*, toties error aut certè vitium, quocunque etiam nomine veniat, committitur: e. g. bene facis, ſi obſcurè tantùm percipiens judicium ſuſpendis, aut certè timidè judicas, ſi clarè percipiens aſſeveranter, quò plus percipis, eò magis, quò minus percipis, eò minùs judices, ut paribus omnino paſſibus ſemper ambulent perceptio & judicium, neque hoc vel tantillum progrediatur, ubi illa ſubſiſtit. At malè agis, ſi obſcurè percipis & audacter judicas, aut contrà timidè admo-

dum judicas, ubi ſatis clarè ac diſtinctè percipis; item ſi non omni ex parte rem percipis, & plenum nihilominus de ea vis ferre judicium. Mens, id eſt, perceptio, debet imperare quod dicas & judices, quod ſi fidentiùs atque aſſeverantiùs, quàm ipſa imperavit, facias, extra oleas fereris.

95. Si *Logica* iſta inter perceptionem & judicium æqualitatis ratio non permittit, ut timidum feramus judicium, ubi perſpicuè ſatis rem percipimus, cur igitur Logicæ II. 80. tantopere laudata fuit elocutionis modeſtia? *Reſp.* Hic agimus de judicio, quod in animo eſt, cui negamus adeſſe debere metum aut ſuſpicionem falſi, quoties nulla adeſt perceptioni obſcuritas vel confuſio. Quod autem ſermo exterior minùs aliquando repræſentat, quàm eſt in animo, id fit vel propter rationem *Ethicam* modeſtiæ, vel *Rhetoricam* elegantiæ. Nam quod Cicero ſcribit Off. 2. Eſt non modò liberale, paulum nonnunquam de ſuo jure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum; id quoque ad noſtrum hoc negotium licet applicare, quemadmodum ex citata Log. II. 80. quæſtione liquet.

96. Perge ad reliqua, quæ ſunt de errorum cauſis obſervanda. *Reſp.* Quemadmodum viator aliquis vel ſolus ambulat, vel viæ ducem habet aut comitem: ſic ad rerum no-

titiam

titiam tendens vel *ſolitarie* ſpectari poteſt, vel ut eſt *cum aliis*, quos docet, aut à quibus docetur: illi accommodata eſt Logicæ pars prima, huic tres reliquæ. Ad errorum cauſas in homine ſolitariè ſpectato pertinent, quæ jam hîc dictæ ſunt, & ſimiles, tam remotæ, quàm proximæ, tam procreantes, quàm conſervantes, quæ alibi. Sed illæ, quæ hominem reſpiciunt, in *ſocietate docentium ac diſcentium* viventem, jam paucis attingendæ.

97. Quænam igitur ſunt iſtæ? *Reſp.* Quæcunque de ſermone rebus ipſis non reſpondente ſuperiùs dicta fuere, huc pertinent omnia. Iam ergo non tam ipſa *verba* rerum naturæ diſſentanea, quam *verba facientes* homines attendamus. Hæc enim duo Log. I. 125. fine ideo diſtincta fuere, quòd verbis etiam aptis (ſi ſpectentur ſingula) utens quandoque poſſit fallere, & inepta adhibens poſſit verum docere. Omnes autem errorum cauſæ, quæ hujus ſunt loci, in eò præcipuè conſiſtunt, quod authoritati eorum, qui nobis præiverunt, nimiùm plerumque tribuamus.

98. Nilne igitur authoritati & antiquitati tribuendum, & nunquid bene dicitur, id veriſſimum quod antiquiſſimum? *Reſp.* Quantum *authoritati humanæ* tribuendum ſit in rebus agendis & faciendis, nec non in

particularibus obſervatione cognoſcendis, partim alterius loci eſt, partim alibi dictum eſt, vide Log. I. 131. ſeq. Verùm *divinæ authoritati*, cùm Deus ſit ſummè verax & dator omnis luminis, omnia ſumma & maxima tribuimus, aſſeverantes, primam veritatem, quæ verè antiquiſſima, fallere aut falli non poſſe. Vnde res fidei, utpote captum noſtrum ſuperantes, non dicimus clarè diſtincteque percipiendas, antequam credantur; ſed tamen dicimus, priùs nos debere clarè percipere, quòd talia ſint à Deo fallere neſcio revelata, quàm firma fide ea amplectamur. Addimus, peccare eos graviſſimè, qui plus tribuunt obſcuræ ſuæ perceptioni, quàm claræ revelationi. Atqui in rebus, de quibus fides non agit, & quæ ſunt luminis naturalis, abſurdum eſt, velle potiùs aliorum ſubſcribere judicio, quàm ſuum, perceptione propria duce & magiſtra, adhibere.

99. Conſideravimus, quo pacto homo ab aliis *diſcens* falli poſſit ac decipi: at qua ratione idem ſpectatus, ut alios *docens*, propter hoc ipſum docere, ad errores poſſit abduci, nondum apparet. *Reſp.* Docendi munus atque officium poſſe errandi cauſis, ſaltem remotis, accenſeri vel ex eo patet, quòd multi Latinæ Linguæ præceptores cum diſcipulis rudibus aſſiduè loquendo barbariei paulatim

latim aſſueſcant, ſicut etiam cum infantibus balbutientibus ipſæ matres balbutire ſolent. Et cùm diſcipuli ſæpe è præceptoribus percunctentur, quæ ipſi præceptores nondum ſatis perceperunt, fieri aſſolet, ut hi, ne minore apud illos authoritate polleant, præproperè pronuncient falſam quandoque ſententiam, quam ejuſdem authoritatis cura ſuadet propugnare, non deſerere. Alii, dum in re non ſatis perſpecta novitatis lenocinio lectorem demereri ſtudent, ſæpe opinione citiùs à veritatis via in errorum aliquot ſemitas fugiunt. Et ſunt hujus generis alia pluſcula.

CAP. XII.

Examinantur veritas & falſitas, & gradus utriusque in enunciationibus primò ſimplicibus, *ubi illa*, nihil dicitur quod non dictum ſit priùs, *falſa eſſe deprehenditur, ſi de eo, quod fieri debet & poteſt; at contingenter vera, ſi de eo, quod fieri ſolet, accipiatur; alia*, Deus neceſſariò exiſtit, *habet certitudinem moralem & phyſicam, eſtque ſuo modo de omni, habet quoque certitudinem me-*

taphyſicam, eſtque per ſe & univerſaliter primùm, ideoque magis neceſſaria hac, binarius eſt par; *deinde* compoſitis, *videlicet copulatis, hypotheticis, disjunctis.*

100. Vnde æſtimatur enunciationum *neceſſitas & contingentia*? *Reſp.* Ex rerum in enunciatione diſpoſitarum conſenſu aut diſſenſu, mutabili aut immutabili; & nexu diſſolubili aut indiſſolubili, poſſibili aut impoſſibili, clarè diſtincteque à mente percepto & apprehenſo, ut patet ex Logicæ parte prima.

101. Verùm ut hîc, quemadmodum alibi, exemplis analyſin doceamus, quæro, an illud axioma: *nihil poteſt dici quod non dictum ſit priùs*, verum ſit, an falſum, neceſſarium, an contingens? *Reſp.* Effatum hoc à multis quidem venditatur pro axiomate de omni, h. e. neceſſario in primo gradu, ſed eos falli oſtendit definitio Log. I. 135. quæ vult, ut prædicatum ejuſmodi axiomatis de omni ſubjecto dicatur, & quidem omni tempore. Atqui *omni tempore*, hoc eſt, à mundi primordiis ad hunc diem uſque verum axioma non fuit: nam inde ſequeretur, quicquid poſt primi hominis ex hac vita diſceſſum contigit, jam antè dictum fuiſſe. Atque ita Adamus locutus fuiſſet de Davide, Moſe,

Pilato, Romanis, Carolo M., Cromwellio. Nec de *omni ſubjecto* verum fuit unquam, nam in Philoſophia plurima ſunt hodie detecta, quæ antiquis fuerunt incognita; in Medicina novi morbi nova coëgerunt excogitare remedia; in Civilibus novi caſus novas introduxerunt leges; Hiſtoria quotidie novorum eventuum augetur narrationibus; in artibus Mechanicis plurima ſunt noſtra & majorum ætate reperta, quæ priſcos mortales latuerunt. Adeo ut falſum ſit illud pronunciatum, cum hoc veriore Senecæ commutandum: Multum quidem egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt. Multum adhuc reſtat operis multumque reſtabit, nec ulli nato poſt mille ſecula præcludetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi.

102. An igitur nullo ſenſu verum eſt dictum axioma, cùm ſit quandoque etiam in ore ſapientum? *Reſp.* Siquidem ita efferatur, *nihil nunc dici quin dictum ſit priùs*, uti de eo, quod fieri ut plurimum ſolet, intelligatur, axioma eſt contingenter verum (ceu alia plura vulgo uſurpata) quo ſignificatur docentium pleroſque hodie non eſſe inventores, ſed recitatores eorum, quæ ab aliis inventa, non ſcriptores, ſed exſcriptores, & alienorum laborum fucos: quæ ignavia fovetur à pluribus hoc ipſo axiomate perperam intellecto & applicato.

203. Examinemus illud axioma: *Deus neceſſariò exiſtit*. *Reſp.* Axioma hoc *verum* eſt, quia conjungit ea quæ conjuncta ſunt, & quidem communi omnium hominum conſenſu: quo nomine illud nunc reſolvemus, nimirum, tanquam commune omnium gentium axioma. Unde primò habet *moralem* certitudinem, quantam ullum aliud habere poteſt. Sed habet inſuper certitudinem *Phyſicam*, eſtque neceſſarium *de omni*, quia attributum hoc, neceſſariò exiſtit, convenit omni ſubjecto, Deo ſcil. uni, & quidem ſemper.

104. Quòd ſi ergo in illo axiomate univerſalitas ſubjecti cum univerſalitate temporis conjungitur, videtur Deus poni in tempore & ſtatui univerſale quid de multis Diis prædicabile. *Reſp.* Abſit: hoc enim ne quis putaret præcavere volui Log. I. quæſt. 141. quam hac occaſione clarius explico, cum Logicis diſtinguendo inter *univerſalitatem poſitivam & negativam*. Vniverſalitas poſitiva *ſubjecti* dicitur, quando hoc eſt commune, plura ſub ſe inferiora habens, quorum nullum ſit, de quo non valeat prædicatum: e.g. homo eſt mortalis. Vniverſalitas negativa ſubjecti dicitur, quando hoc inferiora nulla habet, ac proinde nihil ſub eo ſumi poteſt, cui attributum competat: e. g. Deus neceſſariò exiſtit. Exiſtentia enim neceſſa-

ceſſaria de Deo prædicatur univerſaliter, non quòd omnibus, qui ſunt Dii, competat (non enim plures ſunt, nec eſſe poſſunt) ſed ideo, quia unus ſolus eſt, qui poſſidet omne, quod verè divinum ſeu ſummè perfectum poteſt cenſeri, & ſi plures eſſe poſſent, omnibus illud attributum conveniret. Vniverſalitas poſitiva *temporis* eſt in iis, quæ tempore menſurantur, negativa in iis, quæ non menſurantur. Atque ita in axiomate noſtro, Deus neceſſariò exiſtit, univerſalitas temporis intelligitur, non quòd Deus in tempore ſit, ſed potiùs, quòd nullo tempore non ſit. Hæc propter moroſos adverſarios, quæ confirmatis judiciis oneri fore præſagit animus.

105. Sed axioma hoc eſſe de omni tùm pleniùs conſtabit, cùm inſuper neceſſarium *per ſe* eſſe declarabitur, oſtenſa certitudine ejus Metaphyſica. *Reſp.* Id igitur agamus. Dico attributum hoc, neceſſariò exiſtit, contineri in ſubjecti hujus, Dei, definitione. Deus quippe bene definitur, *ens ſummè perfectum*, neque aliter rectè percipitur. Atqui in hac definitione Dei manifeſtè continetur attributum illud, *neceſſariò exiſtens.* Nam quod non exiſtit, tantum abeſt ut omnes habeat perfectiones, ut actu ſeu revera habeat nullam, & poſſe non-exiſtere nihil aliud eſt, quàm reapſe poſſe deſtitui omnibus perfectionibus, quod enti omnimode perfecto

quàm maximè repugnare, quis non videt? Certè eo, quod non ſemper exiſtit, perfectius cogitari poteſt, nempe id, quod ſemper. Ac proinde quod eſt ſummè perfectum, neceſſum eſt, ita exiſtere, ut non poſſit non exiſtere, & hoc eſt, *neceſſariò eſſe.* Nam ſi poſſit aut potuerit unquam non exiſtere, non eſſet maximè perfectum, quia perfectius cogitari poteſt, id nimirum, quod neceſſariò ſemper fuit, & neceſſariò ſemper erit. Iam autem Deo perfectius ſive melius ac majus cogitari nihil poteſt, ut ejus indicat definitio, in qua omnes homines ad nomen Dei attenti conſentiunt, vide ſupra q. 64.

106. Vt diverſa lectorum ingenia hæc meliùs percipiant, res enim tanti eſt ut pigere non debeat, uberior accedat explicatio. *Reſp.* Deus eſt maximè ens, ſeu ens ſimpliciter, ſeu ens realiſſimum, nam hæ definitiones eædem ſunt illi, qua intelligitur ens ſummè perfectum. Non poteſt autem cogitari tale ens, maximè ens, ſimpliciter ens, realiſſimum ens, cui non competat *eſſe & in omni præterito, & in omni præſente, & in omni futuro*, imò (quatenus hæ partes temporis cenſentur) ante omne præteritum, & poſt omne futurum. Nam ſi potuerit aliquando non exiſtere, h. e. ſi aliquando potuerit inter non entia cenſeri, ſanè non eſſet ens ſimpliciter, ens maximè. Et ſi aliquando

do poſſit non exiſtere ſive revera non eſſe, idem iterum dicendum fuerit. Atque ita Deus, ens ſummè perfectum, neceſſariò exiſtit, quia Deus h.e. ens ſummè perfectum eſt: quemadmodum *homo*, res è corpore & mente compoſita, *neceſſariò* mente præditus eſt, quia homo eſt. Et eo ipſo, quo Deus ens ſummè perfectum dicitur & cogitatur, ſaltem, ſi ea qua par eſt animi attentione cogitatur, ſimul dicitur & cogitatur maximè eſſe, optimè eſſe; ſimpliciter eſſe, ſemper eſſe, nunquam non eſſe, nunquam non eſſe poſſe, quod verè eſt (ut loquuntur Scholaſtici) *eſſe actum puriſſimum*. Huc facit *Iehova* nomen Deo peculiare, cujus interpretatio Apoc. 1. 4. qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.

107. Tentetur adhuc aliâ viâ. *Reſp.* Ens ſummè perfectum eſt *immutabile* h. e. ſemper manet idem quod eſt (conſentiente Scriptura Exod. III. 14. ſum qui ſum, ego qui ſum, quæ paraphraſticè redduntur: ego qui fui, & ego idem nunc, & ego idem in futurum) h.e. non poteſt acquirere perfectionem, quam prius non habuit, nam tum non fuiſſet ſummè perfectum, nec poteſt amittere perfectionem quam habet, nam tum deſineret eſſe ſummè perfectum. Ergo entis ſummè perfecti exiſtentia nunquam potuit, nunquam poterit deficere, ideoque neceſſario exiſtit, ab æterno, in æternum. De homine, de mundo,

de re qualibet creata ſine contradictionis implicatione dicere potes, quod non ſit aut fuerit revera, ſed poſſit aut potuerit eſſe; quod ipſum ſi de Deo ſimiliter dicas, manifeſta erit in verbis contradictio.

108. Clarè percipio axioma eſſe *per ſe primi modi*, atque adeo eſſe *certum Metaphyſicè*, quia inter ſubjectum & attributum nexus intelligitur indiſſolubilis, indicans exiſtentiam Dei eſſe de eſſentia ejus, ſive, Deum ex abſoluta eſſentiæ ſuæ neceſſitate exiſtere: ſed eſtne etiam axioma *univerſaliter primùm?* *Reſp.* Omnino ſummum hunc neceſſitatis gradum præcedentibus ſuperaddit, quia reciprocum eſt, ut dicere liceat, id quod eſt ſummè perfectum, neceſſariò exiſtit, & id quod neceſſariò exiſtit, eſt ſummè perfectum. Nam quod à ſe & per ſe, ſive ex eſſentiæ ſuæ neceſſitate abſoluta exiſtentiam habet, quid ni haberet perfectiones omnes alias excellentiſſimas, ſeu attributa reliqua omnia infinita? Etenim ſi non eget causâ, ut ſit ſubſtantia, multò minùs causâ indigebit, ut ſit iis præditum proprietatibus, quas ineſſe tali ſubſtantiæ percipimus, cujuſmodi ſunt omniſcientia, omnipotentia, ſumma bonitas, veracitas, juſtitia, &c.

109. Vt jam dicta porrò illuſtrentur, conferamus hoc axioma, Deus neceſſariò exiſtit, cum aliis nonnullis. *Reſp. Hominem*

duas

duas habere manus & ſimilia axiomata, quæ rerum corporearum exiſtentia & ſenſuum experimentis nituntur, minùs eſſe certa atque evidentia axiomate propoſito, quilibet mediocri judicio Logico præditus etiam non admonitus agnoſcit. Sumamus igitur hoc Arithmeticum, *binarius eſt par*, quod Metaphyſicè certum eſt, & neceſſarium per ſe, cùm præcedens Phyſicam duntaxat habeat certitudinem, tantumque ſit de omni. Hoc ergo tam certum atque evidens axioma aio minùs eſſe certum minuſque neceſſarium noſtro: *Deus neceſſariò exiſtit*; quia in illo Arithmetico nexus tantùm eſt ratione alterutrius, in hoc ratione partis utriuſque ſimul. Nam *paritas* non ſoli binario, ſed etiam aliis ineſt numeris, ut quaternario, ſenario, &c. adeoque extra binarium reperitur. Sed *neceſſaria exiſtentia* non datur, niſi in Deo, id eſt, ente ſummè perfecto, extra hoc ſubjectum nunquam & nuſquam attributum illud reperias. Denique quemadmodum efficaciſſimè probatur, binarium eſſe parem, quia eſt dividuus in duas partes æquales, argumento *à definitione prædicati* ſumto, ex Log. 1. 156. ita non minùs, imò multò magis efficaciter demonſtratur, Deum neceſſariò exiſtere, quia eſt ens ſummè perfectum, petito argumento *à definitione ſubjecti*. An etiam axioma hoc, Deus neceſſariò exiſtit, magis certum & neceſſarium ſit

illo,

illo, binarius eſt par, intuitu rerum hîc perceptarum ſeu *terminorum ſimplicium* (vide Log. 1. 137. nam ratione *nexûs* magis tale eſſe jam evicimus) ne præmanſum in os lectoris inſerere nimiâ diligentiâ videar, aliis conſiderandum relinquo, objectum Arithmeticæ cum objecto Metaphyſicæ, numerum cum unitate, relativa cum abſolutis conferre volentibus.

110. Hactenus veri ac certi gradus differentiaſque examinavimus in axiomatibus ſimplicibus: nunc pauca velim, ſaltem præcepta, ſi non exempla pleniùs diducta, quibus in compoſitis enunciatis, & primò quidem in *copulatis* & *hypotheticis* verum & falſum, neceſſarium & contingens dijudicem. *Reſp.* Notentur hi canones 1. Copulata enunciatio vera eſt, cujus partes omnes ſunt veræ; falſa, cujus vel una pars eſt falſa. 2. Copulata enunciatio falſa, aut certè captioſa eſt, quando copulatio reſpectu ejuſdem ſubjecti ſimul tempus notat, ſed non unum idemque: e. g. Iulius Cæſar fuit Pariſiis, & vidit Romam. Si tamen hæc in ſenſu diviſo intelligatur, vera eſt. 3. Enunciationis hypotheticæ veritas non conſiſtit in veritate partis antecedentis, neque in veritate conſequentis, verùm in utriuſque nexu: e. g. ſi Deus eſt corporeus, poterit dividi, vera eſt enunciatio, licèt falſum ſit, Deum eſſe corpore-

reum,

reum, atque etiam falſum, Deum eſſe dividuum. 4. Hinc porrò ſequitur, ſi partes inter ſe neceſſariò connectuntur, hypotheticam eſſe neceſſariæ veritatis; ſin contingenter, eſſe contingentis veritatis.

111. Recenſe ſimiles canones de enunciatione *disjuncta*. *Reſp.* 1. Si disjunctæ enunciationis partes non ſint immediatè oppoſitæ, erit falſa: v. g. aut pax eſt, aut bellum, poſſunt enim eſſe induciæ. 2. disjunctæ enunciationis affirmatio unum duntaxat ejus membrum verum eſſe denotat, negatio autem, non neceſſariò unum eſſe verum, ſignificat: e. g. unum membrum verum habet hæc enunciatio: aut dies eſt aut nox eſt; in hac autem neutrum membrum neceſſariò verum eſſe ſignificatur: id quod cogito non aut Deus aut creatura eſt. Poteſt enim eſſe nihilum ſeu non ens.

CAP. XIII.

Examinatur communis illa notio: cauſa nihil largitur effecto quod non habet, *& primò inquiritur, quàm diverſis modis* exprimatur; *deinde, quomodo ſpeciatim* applicetur *ad cauſam efficientem eſſe quod non eſt, ad cauſam declarantem id quod obſcurum eſt, ad*

cauſam notum quid facientem, docentem, probantem, jus in alium transferentem, affectus in alio cientem, phyſicè moventem, fructum edentem, denique ad cauſam exemplarem: ubi ſimul fundamentum ponitur illius demonſtrationis, qua oſtenditur, Deum exiſtere, *hoc argumento, quòd de ente ſummè perfecto cogitare poßimus.*

112. Examini analytico ſubjecimus veritatis certitudiniſque gradus ac differentias, jam etiam, Logicæ noſtræ ordinem ſecuti, gradus univerſalitatis in axiomatibus, & quæ quibus ſuperiora, quibus inferiora ſint, expendamus: hoc enim multùm prodeſſe ad judicium formandum ipſa nos docuit. Sumamus vulgatiſſimum illud: *quod quid non habet, id alteri dare non poteſt. Reſp.* Operæ pretium erit, ut plenioris enunciationum analyſeos ſpecimen exhibeatur, non ſolùm in illo axiomate cum aliis ſimilibus collatò univerſalitatis & particularitatis habere rationem; verùm etiam inquirere, quomodo homines tam eruditi quàm idiotæ in illo conſentiant ac diſſentiant. Et primò quidem videbimus, quàm diverſis modis generaliter exprimatur, deinde, quibus nominatim in rebus uſum habere judicetur.

113. Quot

113. Quot igitur diverſis modis effertur axioma? *Reſp.* 1. aliquando de *perſona* loquitur: quod quis non habet, id alteri dare non poteſt; item, non habes, non dabis. 2. aliquando generaliùs de *cauſa*, quæ vel perſona vel res alia eſſe poteſt, v.g. cauſa nihil largitur effecto, quod non habet. 3. aliàs non de cauſa, ſed de ejus correlato, id eſt, *effectu* dicitur ita: nullus effectus excedit ſuæ cauſæ virtutem; item, quicquid eſt in effectu, prius exiſtit in cauſa. 4. aliàs de *nihilo* ſeu non ente uſurpatur, v. g. à nihilo nihil fit, ſeu, nihil non poteſt eſſe cauſa efficiens ullius rei. 5. aliàs ſine diſtinctione, ut in præcedentibus, aliàs cum explicatione ac *diſtinctione vocis habere* ſic profertur: non poteſt id, quod magis perfectum eſt, h. e. quod plus realitatis in ſe continet, fieri ab eo, quod minus; item, cauſa efficiens nihil largitur effecto quod non habet, vel formaliter vel eminenter; aut clariùs: quicquid eſt in effectu, prius exſtitit in cauſa æquè perfectè, ſi ſit univoca, perfectiùs autem, ſi ſit æquivoca; item, nihil eſt in effectu, quod non vel ſimili, vel eminentiori aliquo modo præexſtitit in cauſa. 6. aliquando etiam cum diſtinctione ſeu *limitatione cauſa:* tantundem ad minimum (ſaltem) eſſe debet in cauſa efficiente & totali, quantum in ejuſdem cauſæ effectu; item: quicquid eſt realitatis ſive perfectionis in aliqua re, eſt forma-

formaliter vel eminenter in prima & adæquata ejus cauſa. 7. aliquando cum aliqua *explicatione effectûs*, v. g. nulla res, nec ulla rei perfectio actu exiſtens, poteſt habere nihil, ſeu rem non exiſtentem, pro cauſa ſuæ exiſtentiæ. 8. aliàs non more theorematis, ut in præcedentibus, ſed *inſtar regulæ* proponitur, v. g. hoc unum eſt ex iis, quæ nobis inter philoſophandum præcipuè obſervanda ſunt, ut ne cui cauſæ ullum effectum tribuamus, qui potentiam ejus excedat. 9. interdum non de eſſe, poſſe, habere, dare, ſed de *bonitate & malitia* axioma loquitur: v. g. impoſſibile eſt cauſam toto genere eſſe deteriorem effectu. 10. quandoque *adhuc aliter*, v. g. nihil agit ultra ſpeciem ſuam ſeu eſſentiæ proportionem &c.

114. Sic vidimus, quàm diverſis modis à pluribus, qui eo utuntur, idem axioma efferri poſſit & ſoleat, nunc inveſtigemus, quas ad res ab hominibus accommodari conſueverit, & quàm rectè. *Reſp*. Valde latum eſt axioma, ut non modò dicatur universè 1. de cauſa *efficiente eſſe* id quod non eſt; ſed etiam ſigillatim 2. de cauſa *declarante* quod obſcurum eſt. 3. *notificante* quod ignotum eſt, & 4. ſpecialiter, de *docente* quod diſcendum eſt. 5. *probante* ſeu certum te faciente de eo quod dubium erat. 6. de cauſa *jus in alium transferente*. 7. de cauſa *affectus in aliis concitante*.

8. mo-

8. *movente* quod quieſcebat. 9. de cauſa *fructum proferente.* 10. *referente* id, quod ad ejus ſimilitudinem expreſſum eſt vel exprimi debet: ex quibus alia ad res intellectu præditas tantùm, alia tantùm ad corporeas, alia ad utrumque genus rerum pertinent.

115. Dentur exempla de *cauſa efficiente eſſe quod non erat.* *Reſp.* Hæc poſſunt ſumi è *Metaphyſicis.* Sic enim Ariſtot. Metaph. VIII. cap. 8. ſemper ex eo quod potentiâ eſt, fit actu ens ab eo, quod actu eſt, ſive ab actu exiſtente, ut homo ex homine, muſicus ex muſico, ſemper aliquo primo movente: movens autem actu jam eſt. Idem 2. de gen. animal. cap. 1. omnia quæcunque aut natura aut arte efficiuntur, ab eo quod actu eſt, fiunt, &c. Scaliger ex. VI. ſect. 7. niſi enim eſſet actu, non utique agere poſſet. Hæc ille, addo ego: nam quicquid agit neceſſe eſt eſſe. Quod enim agit, facit ut aliquid exiſtat. Atqui exiſtentiam non poteſt dare alteri, niſi eam habeat. Commune etiam axioma eſt, *effectum eſſe ſimilem cauſæ*, quod elicitur ex noſtro: nam quia effectus nihil habet, quod non acceperit à ſua cauſa, & quia cauſa nihil dedit, niſi quod habuit, neceſſariò hinc aliqua oritur inter cauſam & effectum ſimilitudo, major minorve, prout cauſa plura vel pauciora dedit effectui. Adhuc generalius & communius Metaphyſicorum axioma eſt, *non*

entis nulla eſſe attributa, ex quo elicitur noſtrum. Si enim ejus, quod non eſt, attributa nulla ſunt, ergo nec ulla cauſalitas, actio, vel efficacia. Ac proinde cauſa eſſe non poteſt ullius rei.

116. Dentur exempla de *cauſa declarante id quod obſcurum eſt*. *Reſp.* Hæc ſunt in præceptis *Logicis*: e. g. 1. quòd *definitio* debeat eſſe perſpicua, quia ſcilicet ejus eſt declarare definitum, nec lucem inferre poteſt quam non habet. 2. quòd *exempla* neceſſe ſit clariora eſſe regulis, utpote quibus declarandis adhibentur. 3. quòd ſimile aut diſſimile *illuſtrans* clarius eſſe debeat illuſtrando.

117. Dentur exempla à *cauſa notum quid faciente*. *Reſp.* Hinc pendet omnis argumentationis, mentem à noto ad ignotum cognoſcendum ducentis, vis & efficacia; niſi enim pars antecedens nota nobis eſſet, ut pars conſequens nobis innoteſceret, efficere nunquam poſſet. Hinc vitium, in Logica *petitio principii* vulgo nuncupatum, quo ignotum per æquè ignotum probare quis nititur, quod manifeſtè repugnat axiomati noſtro. Hinc etiam intelligitur, cur ille argumentandi modus, qui Logicis *tranſitus de genere in genus* appellatur, ſit vitioſus, quia, cùm nihil agat ultra ſpeciem ſuam (uti exprimitur axioma noſtrum in fine q. 113.) non poteſt, exempli gratiâ, argumentum planè poli-

politicum ſatis notam reddere concluſionem planè Theologicam, nec poteſt lumen naturale efficere lumen fidei, licèt ei accendendo ſæpe occaſionem largiatur. Et in proverbio eſt, *cæcus cæco dux*, quod etiam ſacris literis celebratum, cujus ratio eſt, quòd, niſi ipſe videas viam, alteri eam monſtrare non poſſis, hoc enim eſt facere ut videat. Idem quandoque ſenſus eſt illius: *Medice cura te ipſum.*

118. Dentur exempla à *cauſa docente aliquid*. *Reſp.* Hæc parum diſcrepant à præcedentibus. Huc ſpectat imprimis *Hermeneuticum* illud præceptum: quod quis ipſe neſcit, id alterum docere non poteſt. Platonis quoque dictum hoc eſt in Convivio: quæ nec habet aliquis neque noſcit, alteri dare vel monſtrare non poteſt. Vide Proleg. 88. Hinc David Pſal. XCIV. 9. 10. Qui plantavit aurem, non audiet? &c. Inde quoque proverbium: *ſus Minervam*, intellige, monet aut docet, dici ſolitum, cùm quis id docet alterum, cujus eſt ipſe inſcius. Hæc itidem cauſa eſt, cur non ab alio quocunque doceri, moneri, regi, ſed ab eo tantùm, qui prudentior meliorque exiſtimatur, animus benè à natura informatus velit. Sic enim ratiocinamur: quod quis non habet, id mihi ſuis monitis, conſiliis, præceptis dare nequit. Hæc ratio eſt, cur aliis præcepta daturi

ri prudentiores iis eſſe debeant, & cur peccent aliorum judicia ſequentes, niſi eos cognitione ſe antecellere ipſi quodammodo perceperint. Fundatur & hîc vulgare illud: *ultra poſſe nemo obligatur*, h. e. non oportet majorem effectum ab ulla cauſa poſcere, quàm ſit in ejus viribus. Atque in his quædam etiam *moralia* ſunt.

119. Des exemplum à *ratione probante*. *Reſp.* Huc faciunt illa argumentandi præcepta: non poteſt eſſe plus in concluſione, quàm fuit in præmiſſis; concluſio ſimilis eſt antecedenti, aut parti ejus debiliori. Et hanc ob cauſam dubium non poteſt per æquè dubium probari, unde fallacia *à petitione ejus, quod in principio* quæſitum fuit, de qua diximus antea. Adhæc argumento, quod *moralem* duntaxat habet certitudinem, non potes probare concluſionem philoſophicam, atque efficere, ut ea certa ſit *Metaphyſicè*: qua in re identidem peccatur, dum quæ in vita civili & populari converſatione valent, adferuntur ad illa confirmanda aut confutanda, quæ tam certa eſſe decet, ut ne quidem aliter à mente concipi poſſint, h. e. quando *acroamatica* dogmata probantur aut refelluntur argumentis *exotericis*.

120. Des exemplum à *cauſa jus in alium transferente*. *Reſp.* De ejuſmodi cauſa loquuntur hæ *Iuriſconſultorum* regulæ: Nemo

plus

plus juris ad alium transferre poteſt, quàm ipſe habet. Nemo plus commodi hæredi ſuo relinquit, quàm ipſe habuit. Non debeo melioris conditionis eſſe, quàm auctor meus, à quo jus in me tranſiit. Populus non poteſt transferre in principem plus juris, quàm ipſe populus habet. Eum, qui tradit, dominum eſſe oportet, nam is, qui dominus non eſt, dominium, quod non habet, transferre non poteſt.

121. Des exemplum à *cauſa affectus in alio concitante. Reſp.* Canon *Rhetoricus* è Cicerone adfertur talis: qui vult alium inflammare, ipſum ardere oportet. Ex alio Rhetore eccleſiaſtico: concionator (præco divini verbi) ſi ipſe friget, auditores nihil flammarum concipiunt, nec pios concitat affectus in aliis, niſi priùs ipſe piè affectus fuerit. Hæc tamen axiomatis noſtri applicatio, pro materiæ ſubjectæ mutabilitate, popularis tantùm eſt, non accurata.

122. Des exemplum à *cauſa phyſicè movente. Reſp.* Huc pertinent illa *Phyſicorum*: quod remiſſius eſt, in id quod intenſius eſt, ut minùs calidum in magis tale, agere non poteſt. Omnis actio phyſica unius in alterum fundatur in victoria & exceſſu agentis. Nam ſemper id, quod valentius eſt, ſortitur ſuum effectum: ita ut in Phyſicis idem propemodum contingat, quod in Politicis, ubi par

in parem non habet imperium. Et quæ cauſa eſt, cur Phyſici naturalibus agentibus *ſphæram activitatis* aſſignent, quàm ne ullus iis effectus tribuatur, qui eorum virtutem exſuperet? Sed nulla etiam ſcientia eſt, in qua toties peccetur contra axioma præſens, quàm in Phyſica. Sufficiat nunc unum exemplum. Multi putant pilam in puncto reſultûs ſive relapsûs quieſcere, unde porrò docent, cùm pila parieti vel pavimento illiſa reſilit, non poſſe dici unum motum, quòd hîc inter projectionem & reſultum quies interponatur. Unde tandem generalis fluit doctrina Phyſica, *quòd neceſſe ſit, ut corpora mota aliquo momento hæreant in illis, à quibus reflectuntur.* Vbi apertè infringitur illud axioma: à nihilo nihil fit. Nam ſi motus ille pilæ exiguâ tantummodo morâ interciperetur, nulla exſtaret cauſa, qua incitante vires reſumere poſſet; neque enim paries ei motum reddere valet, quippe quem non habet.

123. Detur exemplum à *cauſa fructum edente. Reſp.* Matth. VII. 16. 18. dicitur: num colligunt ex ſpinis uvam, aut ex tribulis ficus? non poteſt arbor mala fructus bonos ferre. Sunt quoque *proverbia*: nunquam ex malo patre bonus filius, mali corvi malum ovum, è ſquilla non naſcitur roſa, ad ſemen nata reſpondent. Quodque Deus in Geneſi juſſit, uti quævis arbor fructum ederet ſecundùm ſpeciem

ciem (genus) ſuam, convenit cum axiomate noſtro prout effertur in fine q. 113.

124. Poſtremò exemplum detur à *cauſa exemplari*, h. e. ab illa cauſa, ad cujus ſimilitudinem aliquid fit. *Reſp*. Hinc Plato argumentatur Alcib. 1. prope finem: So. Num dare quis poteſt aliis quod ipſe non habet? Al. Quî poſſit? So. Ergo virtute priùs ornatus ipſe debet eſſe, quicunque non ſibi tantùm ac ſuis, ſed reip. etiam & iis quæ ad eam ſpectant imperaturus eſt. Hæc ſcil. ratio eſt, cur *paterfamilias* domeſticos, *rex* ſubditos virtute ſuperare debeat, & cur deteriores in præſtantiores imperium habere non ſit conveniens, nempe, quia domeſticorum & ſubditorum eſt, ad exemplum patrisfamilias & regis componere vitam ſuam, virtutibus incumbendo, quas ſi non habent ſuperiores, nec habebunt inferiores quod imitentur.

125. Sed cùm peritus pictor pulcriorem poſſit hominis imaginem depingere, quàm hominem unquam conſpexerit, & tamen homo ſit cauſa exemplaris illius imaginis, utpote quæ ad ſimilitudinem hominis expreſſa eſt, hinc aliqui veniunt in eam opinionem, *imaginem poſſe eſſe perfectiorem exemplari*. *Reſp*. 1. communi illi notioni, de qua agimus, omnino repugnat, ut imago aliqua, quatenus imago eſt, plus in ſe contineat realitatis (non autem aliter continet, quàm ob-

jectivè ſeu repræſentativè ſeu per imitationem, cùm hæc ſit *natura imaginis*) quàm actu reperitur in illa re, à qua imago illa dependet, ſeu à qua deſumta eſt, ſeu ad cujus ſimilitudinem expreſſa eſt. 2. Si plus eſt perfectionis in imagine Regis, quàm in illius corpore, in eo deſinit eſſe Regis imago, quia ad ſimilitudinem ejus eatenus non expreſſa eſt, nec illum ſic imitatur ſeu repræſentat. Nec proinde plus hîc invenitur in effectu quà tali, quàm in cauſa ejus. 3. Quatenus plus eſt perfectionis in pictura illa, quàm in Regis alteriuſve hominis corpore conſpicitur, eatenus non Regem depictum, nec alium hominem; ſed pictoris ingenium repræſentat, & hujus quædam effigies eſt, adeò ut *quicquid perfectionis repræſentativè eſt in pictura tali, id contineatur partim quidem formaliter in corpore depicto, partim verò eminenter in pictoris ingenio* (hæc enim duo ſi conjungas, cauſam demum adæquatam picturæ illius habebis) idque ſecundùm axioma noſtrum q. 113. in medio. Neque enim ullo modo potuiſſet pictor adeo pulchram delineare imaginem, quæ ſuperaret pulchritudine Regem depictum, ſi non vidiſſet alium hominem aliamve imaginem, Rege pulchriorem, aut ſi auctarium illud pulchritudinis, quod neque ſeparatim neque conjunctim in ullis hominibus vel imaginibus reperit, non

mu-

mutuatus eſſet à ſuæ mentis perfectione, id eſt, ingenii dexteritate, ſubtilitate, acumine; vel ab alia quacunque cauſa. Nam ſi perfectiones in pluribus ſeparatas hominibus in unam imaginem pictor transferat, vel hoc ipſum ſolum ſingularis ingenii argumentum eſt.

126. Nunquid etiam hæc omnia, quæ de imagine & pictura diximus, eodem modo, & propter eandem rationem, applicari debent ad *imagines rerum in mente noſtra depictas*, hoc eſt, notiones ſeu ideas? *Reſp.* Omnino debent, adeo ut, ſi habeamus cogitationem, quæ nobis aliquid repræſentet multò perfectius, melius ac majus omnibus noſtris perfectionibus; talis autem eſt *idea Dei*, quam habemus: hinc neceſſariò ſequatur, aliquam rem extra nos exiſtere, omnes illas perfectiones, majores ac meliores noſtris, in ſe formaliter aut eminenter complexam. Et hæc alia eſſe non poteſt, quàm ipſe *Deus*. Quæ fuſiùs diducere alterius loci ſit. Satis enim nunc luculentam humanarum cogitationum in una eademque ſententia (quà ſimili, quà diſſimili elocutionis formâ, quà generali, quà ſpeciali magis judicandi modo) conſentientium analyſin inſtituimus. Iam ad argumentationis examen gradum capeſſamus.

CAP. XIV.

Argumentationis examen analyticum à Quæſtionis conſideratione inchoatur: *ubi videndum eſt, de quo ſit quæſtio; quid quæratur; utrùm de omni, an de aliquo tantùm; per ſe, an per accidens inſit ſubjecto tale attributum; univerſaliter primùm, an in alio priùs; ſimpliciter, an ſecundùm quid; an, & quæ cauſa ſit dubitandi & quærendi; in ſenſu diviſo, an conjuncto intelligenda quæſtio; ſitne una & ſimplex, an multiplex; quo loco & tempore, quo fine, imò etiam à quo proponatur, & quale probationis genus exigat.*

127. Quænam in analyſi argumentationis obſervanda ſunt? *Reſp.* De hac pauca ſolùm monebimus, quia jam ad finem meritò properamus, poſtquam de notionum ſimplicium & enunciationum, è quibus omnis argumentatio componitur, analyſi ubertim diſſeruimus, de qua alii Logici jejunè & aridè nimis, qui tamen de ſyllogiſmorum analyſi egerunt copioſiſſimè: incuriæ ſanè poſtulan-

ſtulandi, quòd ſuperiores ædificii Logici contignationes magna cum diligentia examinârint, an fundamentum bene ſe habeat, nec ne, parum attenderint. Vt igitur præcipua duntaxat attingamus, *primò ad examen revocanda eſt Quæſtio*, cui tractandæ argumenta ſua Scriptor adhibet. Quamvis enim concluſio ſit argumentationis pars conſequens, quæſtio tamen ordine antecedit non modò concluſionem, verùm etiam præmiſſas ſeu partem antecedentem.

128. Quid primum eſt in Quæſtionis examine? *Reſp.* Initio conſiderandum ſubjectum, *de quo aliquid quæritur*, hoc enim totius tractationis eſt fundamentum. Videndum ergo 1. quomodo vox, qua ſubjectum quæſtionis denotatur, accipienda, & quid hîc propriè ſignificet: e. g. dum quæritur, an natura hoc vel illud nos doceat, attende, quid nomine *natura* intelligatur, num lumen naturæ, an impetus naturalis &c. 2. an res ipſa ad certam aliquam diſciplinam referri poſſit, nec ne; ſi poſſit, ad quam diſciplinæ illius partem, & quomodo cùm aliis rebus in eadem tractatis connectatur.

129. Quid ſecundum? *Reſp.* Expendendum eſt, *quid quæratur*, id eſt, prædicatum quæſtionis itidem examinandum, ut ſciatur, quid nominis & quid rei, item, quomodo referatur ad ſubjectum, utrùm de eo affir-

metur, an negetur, neceſſarióne an contingenter ei tribuatur. Ita quæſitum fuit in ſuperioribus, an vocabula reſpondeant rebus, ſi ad nudam ipſarum veritatem, non ad ſenſus, vitam & mores hominum referantur.

130. Quid tertium eſt in hoc examine? *Reſp.* Inveſtigandum, *an aliquid quæratur de omni ſubjecto & omni tempore, an de aliquo tantùm*: ita quæſt. 126. non quæritur, an ex quavis idea colligi poſſit, rem ea repræſentatam exiſtere; ſed an ex illa idea, quæ menti noſtræ majus ac melius quid exhibet, quàm ipſa mens invenit in ſeſe. Porrò dum quæritur, an aliquis ſit juvenis, non de omni tempore quæritur, ſed de aliquo ſolùm.

131. Quid quartum? *Reſp.* Obſervandum, *an prædicatum per ſe, an verò per accidens tribuatur ſubjecto*: e.g. ſi quæratur, an ſcelera ſint laudanda, argumento, quòd bonis legibus cauſam præbeant, eſt *fallacia accidentis*, quia in quæſtione prædicatum per ſe tribuitur ſubjecto, in argumento per accidens tantùm. Iam verò, niſi argumentum quæſtioni reſpondeat, vitioſa eſt concluſio.

132. Quid eſt quintum? *Reſp.* Vt animadvertatur, *ſitne prædicatio univerſaliter primùm, an verò ſit in alio priùs*: e.g. quæritur, an imago poſſit eſſe in mente humana, quæ non habeat cauſam exemplarem ſaltem æquè perfectam: hoc ipſum priùs

quæri

quæri poteſt de imagine generatim ſpectata, de qua agebatur reſponſione prima ad quæſt. 125.

133. Quid ſextum? *Reſp. An prædicatum dicatur ſimpliciter de ſubjecto, an ſecundùm quid*. Nam quod uni abſolutè, alteri comparatè, quod uni ex toto, alteri ex parte, quod uni ex eſſentia, alteri ex circumſtantia poteſt convenire, quæ ſi confundantur, oritur fallacia, eò quòd argumentando procedatur *à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter*, aut contrà. E.G. aliud eſt, ſi loquor de me, quatenus ſum res cogitans ſeu mens, aliud, ſi, quatenus cogitans & extenſus ſimul, id eſt, homo. Unde malè ſic colligitur: nihil faciliùs in Philoſophia cognoſco meipſo, ex Log. I. 160. Ergo homo eſt res cognitu facilima.

134. Quid ſeptimum? *Reſp. An ſubjecti & prædicati nexus aut repugnantia dubia ſit, nec ne*. Nam ſi inter duos illos terminos nexus aut repugnantia manifeſtè ſatis pateant intellectui, minimè opus eſt, ut aliquis medius (argumentum tertium) arceſſatur, qui eorum nexum aut pugnam demonſtret, cùm entia non ſint abſque neceſſitate multiplicanda: qua in re peccatur à plurimis, clariſſima principia & per ſe nota axiomata demonſtrare ſatagentibus. Exemplum curioſæ ejuſmodi ſubtilitatis è *veteribus* præbent *Mathe-*

matici, & ex libris Euclidis fatum hoc tangit præcipuè quintum. Morbus hic, inquit Ramus, ignavis & inertibus ingeniis accidere non poteſt, ſed generoſis tantùm mentibus, tanquam victa quavis oblata rerum difficultate, Olympicum aliquid præmium expetentibus. Morbus tamen eſt graviſſimus, cujus contagione nobiliſſimas diſciplinas ad interitum penè redactas animadvertimus: principia namque ſumenda & poſtulanda, cætera autem ex iis demonſtranda. Idem ſentiens Ariſtoteles, ignorantia, inquit, eſt haut nôſſe, quarum rerum demonſtratio quærenda ſit, & quarum non ſit. Etenim omnium omnino demonſtrationem eſſe impoſſibile eſt: in infinitum enim progrediendum eſſet, ut neque hoc modo demonſtratio eſſet futura. E recentioribus exemplum ſuppeditant Metaphyſici ſcholaſtici, nimia diſputatione clariſſima quæque obſcurantes, de quo alibi.

135. Carpuntur itaque haut immeritò, qui, in poſcendis rationibus nimiùm ſeveri ac rigidi, nuſquam conſiſtunt: verùm an etiam vice verſa reprehendendi, qui *nullâ rationum inquirendarum curâ tanguntur? Reſp.* Culpandi ſanè ſunt etiam illi, qui in cauſis tantùm ſecundis & particularibus hærent, ad primas & univerſales non aſſurgentes, aut qui animo tam ſunt facili & remiſſo, ut in probationibus levioribus illico acquieſcant, neque

neque ſolidiores quærant. Equidem *recentiores Mathematici* non pauci, nec Ramum ipſum excipio, dum veterum in demonſtrando exceſſui ſe oppoſuerunt, in defectu peccârunt, omiſſis demonſtrationum nervis, quibus uniuſcujuſque ſcientiæ compages in unum quaſi corpus conſtringitur, ſola exemplorum inductione ſatis ſe officio feciſſe rati.

136. Quid octavum eſt in Quæſtionis examine? *Reſp.* Amplius inquirendum, *quod fundamentum quæſtionis, quæ cauſa, quæ neceſſitas.* Etiamſi enim huc faciat examen proximum, accedere tamen & alias conſiderationes neceſſe eſt, ut paſſim diſcernas eos ſcriptores, qui quæſtiones ineptas & fundamento deſtitutas proferunt, ab aliis, qui *rationibus dubitandi* validis ac meditatis inſtructi. Multos videas non ex ipſius rei conſideratione occaſionem dubitandi arceſſere, ſed quæſtiones tantùm ideo movere, quia tales ſolent tractari ab aliis, parum penſi habentes, rectene, an ſecus. Multi frivolarum *quæſtionum minutiis* diſciplinas enervant & ſcientiarum robur frangunt, lectoreſque inutili ſollicitudine per varias ambages circumducunt, cùm poſſent ac deberent, una aliqua demonſtratione clara atque evidente rem totam expedire.

137. Quid eſt nonum? *Reſp.* Vt examines, *utrùm in ſenſu diviſo, an in conjuncto*

quæſtio ſit intelligenda: e.g. ſi quæratur, an tria & quatuor ſint unus numerus, ac tale ſtruatur argumentum: ſeptem ſunt unus numerus. Tria & quatuor ſunt ſeptem. Ergo tria & quatuor ſunt unus numerus, manifeſta eſt *fallacia compoſitionis* in minore, quæ ſumit tria & quatuor in ſenſu conjuncto, quæ in concluſione ſumuntur ut diviſa. Sic è contrario *fallacia diviſionis* committitur, quando ad quæſtionem, in ſenſu compoſito intelligendam, adfertur argumentum in ſenſu diviſo verum. Adi Log. III. 46. ſeqq.

138. Quid decimum? *Reſp.* Vt videas, *utrùm ſit una & ſimplex quæſtio, an varia & multiplex:* interdum enim plures quæſtiones ita proponuntur, ut unius præ ſe ſpeciem ferant, unde oritur *fallacia plurium interrogationum,* cujus in ſolutione quæſtiones diſtinguendæ ſunt, & ad ſingulas ſeorſum reſpondendum: ita Menedemus ſciſcitanti cuidam Alexino, an patrem cædere deſiiſſet, bene reſpondit, neque cecidi, neque deſii, ut eſt apud Laërtium.

139. Quid undecimum? *Reſp.* Vt expendas, *ubi quæſtio talis proponatur & quando,* cur non priùs mota fuerit, cur in illum locum & tempus reſervata; neque enim exiguæ artis eſt, ſuo ſingulas quæſtiones loco & tempore explicare: nam quæ rectè dicuntur & quærnntur quidem, non tamen ſemper & ubi-

ubique conveniunt. Exemplum præbet Log. I. 115.

140. Quid duodecimum? *Reſp.* Vt attendas, *quo fine quæſtio proponatur.* Multi enim quæſtiones proferunt, non ut ſolvant, ſed ut oſtentent ſolùm. Alii prætextu objectionum faciendarum proponunt adverſario multas quæſtiones, quarum ſolutionem res præſens non deſiderat. Vtraque vanitas reprehenſionem meretur. Poteſt enim unus aliquis indoctus plures unâ horâ quæſtiones nectere, quàm decem doctiſſimi totius vitæ ſpatio queant ſolvere. Sed boni etiam authores interdum quæſtiones aliquas demonſtrant, non, quòd ipſa res, de qua agitur, dubia ſit & intricata, ſed quia hoc *utile eſt ad alia quædam illuſtranda*, exemplum vide Log. II. 64. & partis hujus q. 109. ubi demonſtratur, binarium eſſe parem. Et hanc obſervationem non oppones reſponſioni ad q. 134. paulò ante datæ, ſed pro ejuſdem limitatione quadam habebis, intelligendo, quæſtionem unam reſpectu alterius locum quandoque invenire, quæ per ſe nullum aliàs mereretur.

141. Quid decimum tertium? *Reſp.* Vt examines, *quis quærat & ſub qua perſona*, quod ipſum tamen ante alia nonnulla jam memorata potiùs conſideratum oportuit; ſed nos hîc non tam ordinem, quàm numerum eorum inimus, quæ in analyſi quæſtionum

ad examen revocanda, quemadmodum etiam in aliis nonnullis hujus Analyticæ capitibus acervatim de rebus locuti fuimus, certo ordini non inſiſtendo. Notandum igitur, non ſemper eum ipſum dubitare, qui quæſtionem cum dubitandi rationibus proponit; ſed dubitationem ſæpe eſſe in animo auditoris vel adverſarii, cujus erudiendi aut refellendi gratiâ ſermo dubitantis induit ſpeciem, authore interim de veritate firmiter perſuaſo. Ita Johannes Baptiſta non ſui, ſed diſcipulorum causâ quæſtionem propoſuit Chriſto Matth. XI.

142. Quid eſt decimum quartum? *Reſp.* Vt in anteceſſum animo agites, *quomodo probari vel tractari debeat ejuſmodi quæſtio*, inductione, an ſyllogiſmo, naturæ lumine notis principiis, an fidei regulis, ex hac, an ex illa diſciplina petitis rationibus &c. Sic paratior eris ad rectum de argumentis authoris poſtea cognoſcendis judicium ferendum, faciliusque perſpicies, num tantam ille adhibeat ἀκρίβειαν ſive ſubtilitatem, quantam res tractanda admittit vel requirit, an verò majorem aut minorem, quorum alterum pulchrum eſt & conveniens, alterum inconveniens & inconcinnum. Quippe tam eſt ineptum, Mathematicum popularibus utentem rationibus æquo animo ferre, quàm ab Oratore demonſtrationes poſcere. Et hactenus

nus de iis, quæ in quæſtionum examine ſunt ponderanda Analytico, quamvis non omnia ubique, ſed alibi plura, alibi pauciora, pro gravitate aut levitate rerum, quæ in diſceptationem veniunt.

CAP. XV.

In examine probationis *diſtinguendum argumentum à partibus quæſtionis; & maximè de* præmiſſis *inquirendum, utrùm* veræ *ſint, an* falſæ, *an concluſioni accommodatæ, an eâ* notiores, *an cum ea* connexæ, *& quomodo; ubi de imperitia eorum, qui omnis generis rationes confundunt, aut è genere in genus tranſeunt, aut nimis generales & remotas cauſas adducunt, aut ſtatim ad miraculum confugiunt, aut à nomine, vel ſpecie, qua tale quid videtur, argumentantur; aut inter nexum phyſicum & metaphyſicum, inter originis, ſimilitudinis, differentiæ relationes non diſcernunt. Nec ſolùm de rationibus* dictis, *ſed etiam de* indictis *cogitandum.*

343. Perpendimus Quæſtionem, quæ eſt

pars

pars Argumentationis inferenda, ſequuntur nunc expendendæ præmiſſæ ſeu rationes inferentes. *Reſp.* Imprimis hîc eſt *cavendum, ne medium in quæſtionem, aut quæſtio in medium convertatur* ac pervertatur, quia medium concluſionem ingredi nequit, ut Logica docuit. Quapropter neceſſe eſt, *vocem*, qua medius terminus denotatur, initio ab omni ambiguitate liberare, uti faciendum eſſe monuimus in Quæſtionis ſubjecto & prædicato q. 128. ſeq. Deinde ſciendum eſt, quòd *quæſtionis ſolutio non in ſola concluſione conſiſtat, ſed maximè etiam in præmiſſis*, ex quibus niſi concluſio bene deducatur, etſi caſu vera eſſe poſſit, ſolutio nihilominus ratiocinandi legibus repugnabit. Quodque hoc loco de *judicio dianoëtico* pronunciamus, idem de *axiomatico* jam affirmavimus, exemplum Dilemmatis dantes Log. I. 184. nam ſelectis ejuſmodi exemplis non modò præcepta, quibus appoſita ſunt, explicare, ſed alia ſimul interdum docere ſtuduimus. Vnde detegitur eorum, ut leniſſimè dicam, inconſiderantia, qui in Authore refellendo occupati exiſtimant, quòd magnos ſe viros præſtent, concluſiones reprehendendo, difficultatibuſque premendo, dum *rationes*, quibus illæ munitæ ſunt, ne ſemel quidem attingunt.

144. Vt ergo ad examen rationum nos accingamus, quid in earum conſideratione

omnium

omnium primò eſt attendendum. *Reſp.Vtrùm veræ ſint, an falſæ.* Sunt enim qui veras concluſiones ſibi perſuadent, nixi falſis rationibus & argumentis: ſic Turcæ credunt eſſe Deum, eſſe creationem, eſſe providentiam, Chriſtum de virgine natum &c. quia hoc dicit Alcoranus. Sic nos ineunte ætate judicavimus, totum eſſe majus parte, quia majus apparet, ex q. 40. Atqui ſciendum eſt, veritatem non poſſe nec debere ſtabiliri mendacio, nec referre ſolùm, quid pro vero admittamus, ſed etiam quare, ne vera ſententia propter falſam rationem credita hoſtes infenſiſſimos in una mentis ſede locet, in qua morari minimè poſſunt.

145. An verò ſufficit propoſitionem, quæ ad aliam probandam adfertur, per ſe conſideratam eſſe veram? *Reſp.* Requiritur inſuper, ut *ad propoſitam quæſtionem rectè ſit accommodata.* Quando itaque falſa principia pro veris adhibentur, aut vitioſa eſt principiorum ad concluſionem accommodatio, oritur *Pſeudographema* h. e. falſa deſcriptio; cui vitio ſana principiorum interpretatione ſeu vera deſcriptione eſt occurrendum.

146. Quid ſecundum eſt in examine præmiſſarum? *Reſp.* Videndum eſt, *an ſatis notæ ſint: notiores enim concluſione* requirit ipſa forma argumentationis, quippe quæ nihil aliud eſt, quàm proceſſus mentis à notiore ad ignotius. Hanc omnis argumentationis in-

indolem ac naturam nulli minùs obſervare hodie deprehenduntur, quàm qui & maximè & rectiſſimè ſe argumentis uti opinantur. Nam optimæ probationis loco ſemper adferunt ſyllogiſmos, quos vocant, formales, in quibus *major propoſitio*, quæ fundamentum totius ratiocinationis, plerumque minùs nota eſt non modò aſſumtione, verùm etiam concluſione. Sic in rebus naturalibus explicandis rationes deſumunt *à fine*, propter quem Deus tales eas fecit, quales eſſe videmus; quaſi notiores homini eſſent fines & conſilia Dei, quàm natura & conſtitutio corporum naturalium. Eandem ob cauſam vituperantur, qui concluſiones univerſales non lucidioribus, ſed obſcurioribus *exemplis* probatum vel declaratum eunt. Reſpice q. 117. 119.

147. Quid eſt tertium in hac analyſi? *Reſp.* Vt *nexum terminorum & propoſitionum, adeoque conſequentiam talis concluſionis ad tales præmiſſas probè exploremus.* Sæpe enim propoſitio una ex altera colligitur, ex qua non ſequitur, quæ *fallacia conſequentis* dicitur: e. g. dicat quis, hoc non negavi; inferat alius, ergo affirmâſti; reſponſio eſt, non ſequi, quoniam inter affirmare & negare datur medium, nempe nil judicare ſeu judicium ſuſpendere. Non rarò ad probandum tanquam cauſa adfertur, quod vera cauſa non

eſt,

eſt, quæ fallacia *à non cauſa pro cauſa* nominatur, cujus in ſolutione cauſa genuina pro adulterina eſt ſubſtituenda. Ergo ſi quis in hunc modum argumentetur: ſi ſenes lætantur malis præteritis, ſequitur lætitiæ objectum eſſe malum. Atqui verum prius. Ergo. Reſpondetur: voluptas, qua fruuntur ſenes, cùm recordantur malorum, quæ paſſi ſunt, inde provenit, quòd ſibi repræſentent bonum aliquod eſſe, potuiſſe nihilominus in illis ſubſiſtere. Denique quemadmodum quæſtionis à concluſione diſtinctæ conditio eſt, nexum terminorum habere *dubium*: ita argumentationis eſt, nexum termini medii cum partibus quæſtionis obtinere *certum*. Repete q. 134.

148. Quænam verò diſtinctè ſunt nexûs & conſequentiæ intuitu attendenda? *Reſp.* Videndum 1. an de eodem rerum genere loquantur quæſtio & probatio, an verò de aliis atque aliis, nulla naturæ affinitate conjunctis. 2. utrùm ſit generalis & remota, an ſpecialis & proxima cohærentia. 3. utrùm naturalis & neceſſaria, an arbitraria & contingens. 4. quæ nominatim relatio ſit medii termini ad extremos h. e. ad ſubjectum & prædicatum quæſtionis probandæ.

149. Dentur exempla multiplicis hujus examinis, aut ſaltem pleniùs explicentur ſingula, ut virtutes & vitia authorum, quantum

tum ad ratiocinandi nexum attinet, eò meliùs diſcernam. *Reſp.* Alii rationes promunt vernaculas, domeſticas & proprias, alii contrà alienas, heterogeneas aut communes: prius accuratis ratiocinandi legibus conſonum, poſterius diſſonum. Perquires igitur, an author ſe *contineat intra diſciplinæ ſuæ metas*, nec ne, h. e. an v. g. res Theologicas Theologicè, Phyſicas Phyſicè, Politicas Politicè pertractet, an verò potiùs circa quæſtiones Theologicas, Phyſicas, &c. Dialecticum & Rhetorem quendam agat, communibus utendo argumentis (quæ neminem faciunt doctum) & orationis pigmentis, aut denique *omnis generis rationes promiſcuè* adducat, ſine ullo delectu, ita ut ipſe neſciat, quænam ex iis ſint ſophiſticæ, quæ dialecticæ, quæ didaſcalicæ, quæ vernaculæ, quæ peregrinæ, quæ propriæ, quæ communes. Et hæc vocatur imperitia & ruditas, item *ignorantia analyticorum*, quoniam is, qui ea laborat, libros Ariſtotelis poſteriorum Analyticorum aut certè doctrinam in iis contentam, quam nos in hac Logica vetere & nova non omiſimus, ignorat.

150. Eſtne verò aliud inſuper vitium ſingulare, inde procedens, quod is, qui argumentatur, non perſiſtat in eodem rerum genere? *Reſp.* Eſt nominatiſſimum illud, quod *Tranſitus de genere in genus* ſive ſaltus vitio-

vitioſus appellatur, de quo q. 117. Hoc vitium tùm propriè committi dicitur, cùm ex principiis veris quidem, ſed peregrinis, quaſi firmæ cognitionis ergo, quæſtio infertur. Hinc pendet ſtultitia Turcarum, qui Deum habere filium negant, quia uxorem non habeat; è generatione phyſica & humana judicium facientes de hyperphyſica ac divina. Vbi exemplum evidens eſt illius vitii, quod q. 33. & alibi notavimus in hominibus, menſuram & regulam ſe facientibus omnium, quæ cogitari poſſunt. Sed etiam alius ferè omnis ſaltus vitioſus ex eo oritur, quòd jam inde ab infantia valde *proclives ſumus ad id de omnibus exiſtimandum, quod in multis* &c. Log. I. 162.

151. Quid præterea de generalibus & ſpecialibus, remotis & propinquis rationibus obſervandum? *Reſp.* Quodlibet dogma ſive Theologicum, ſive Philoſophicum, ſive Iuridicum, &c. ſuis nititur cauſis & rationibus ſpecialibus ac proximis, è quibus explicandum ac probandum eſt, non ex *generalibus & remotis.* Multi verò hoc parum obſervantes non ſolùm in Theologicis, ſed etiam in Philoſophicis rebus dijudicandis omnia illico adſcribunt voluntati Dei, hoc illudve tale eſſe reſpondentes, *quia Deus ita voluit*, qua in reſponſione putant eſſe acquieſcendum; & ſi quis, etiam in rebus phyſicis, propinquiores cauſas indagare inſti-

tuat,

tuat, conatus illos è veſtigio reprehendunt, quæ de myſteriis fidei ſobriè inveſtigandis in S. Scriptura dicuntur, torquentes ad naturæ arcana, reprobato de genere in genus tranſitu facto. Ita ſcilicet modeſtiam ſimulantes, ſuam aliorumque fovent ignorantiam. Ejuſmodi enim generali reſponſo quæſtiones omnes facilè ſolvi poſſunt à quolibet idiota.

152. Quid ampliùs in tali reſponſione carpendum? *Reſp.* Quòd ineptè adfertur *cauſa prima & univerſalis*, dum interrogans, de hac ſatis certus, quærit de ſecunda & particulari. Quemadmodum ergo in civilibus non omnis disceptatio ſtatim defertur ad principem, ſed priùs ad inferiores magiſtratus ab ipſo inſtitutos, niſi quis contemtor ordinis politici velit haberi: ita, cùm ſummus rerum arbiter gradus & ordinem in cauſarum ſerie ſtatuerit, non decet à quovis particulari effectu ſubitò tranſilire ad cauſam ſupremam, perpetuò neglectis intermediis, ab ipſo Deo dispoſitiſſimo ordine connexis. Nempe is demum voluntatem Dei ad ſolvendam quæſtionem adducit, qui cauſas citat proximas & ſecundas, ejus arbitrio & voluntate ſic inſtitutas ac gubernatas, ut immediatè attingant effectum; adeo ut in his, quas demonſtratio poſcit, æquè includatur voluntas Dei, ac in genere proximo, quod definitio flagi-

flagitat, genus remotum involvitur. Nec diſpar eſt eorum ratio, qui cauſam effectus alicujus propinquam prima fronte non advertentes, *confeſtim ad miraculum confugiunt*, ſimiles illis, qui ordinarium judicium à ſummo principe ſapienter inſtitutum ſubterfugientes, extemplò ad ipſius tribunal ſe conferunt.

153. Quid de neceſſario vel contingente nexu animadvertendum? *Reſp.* Tenendum eſt 1. eos errare, qui firmiter quid probare ſe poſſe autumant, argumentis cum quæſtione nexum omnino diſſolubilem & mutabilem habentibus; ut ſi ratio petatur *à nomine*, quod ſignum rei tantùm eſt arbitrarium, non naturale; aut ſi inferatur, rem talem ac tantam eſſe, quia talis ac tanta *apparet ſenſibus*: nam inter rei veritatem, & ſpeciem, qua tale quid videtur, nexus immutabilis hautquaquam deprehenditur. Huc ſpectant argumenta petita ab authoritate humana, à conſenſu populi, à ſecundis notionibus ad placitum humanum confictis. Revolve Log. II. 134. 2. *diſtinguendam eſſe nexûs neceſſitatem* in phyſicam & metaphyſicam, ne, ubi quæſtio tantùm eſt de illa, hanc exigas, aut ubi hæc requiritur, illa acquieſcas.

154. Detur exemplum hujuſce diſtinctionis. *Reſp.* Si concludatur in phyſicis, omne grave deorſum ferri, non putabis, hoc tali exce-

exceptione poſſe refutari, quòd e.g. lapis ſurſum projiciatur, atque etiam in aëre interdum detineatur. Hujuſmodi enim ratio tua certitudinem omni exceptione majorem & omnimodam attributi univerſalitatem deſiderat: at concluſio loquebatur ſolùm de eo, quod fit ſecundùm ordinarium & generalem naturæ curſum, contenta certitudine phyſica. E contrario, cùm ille argumentandi modus, qui *Sorites* dicitur, in præmiſſis nexum metaphyſicum poſtulet, peccatur ab iis, qui contenti ſunt propoſitionibus ut plurimum connexis quidem, ſed non ſemper. Ita *ſyllogiſmus disjunctus* & *dilemma* propoſitionem majorem requirunt, in qua metaphyſica membrorum ſit repugnantia.

155. Quid ſupereſt denique de relatione argumenti ad partes quæſtionis conſiderandum? *Reſp.* Diſpiciendum, quæ nominatim inter ea ſit relatio, ne illa, quæ eſt *convenientiæ & ſimilitudinis*, putetur eſſe *cauſalitatis & originis*, aut quæ eſt *differentiæ*, putetur eſſe convenientiæ: ex. gr. in ſtudio etymologico multi eo decipiuntur, quòd ſibi perſuadent, unius linguæ vocabulum eſſe derivatum à vocabulo alterius, quod fortè nihil aliud quàm ſimilitudinem ejus refert. Neque Goropium tantùm Becanum hîc taxo, qui ipſam linguam Hebraïcam à Germanica derivabat; ſed etiam alios, qui v. g. Linguæ

guæ Germanicæ voces ſtatim à Latina deducunt, quaſi illa ab hac eas omnes accepiſſet, quæ literis & ſignificatione conveniunt. Multi ex eo, quòd duo quædam ſimul juncta ſæpe videant, concludunt, ipſa eſſe unum & idem; ſed malè, cùm ex eo, quòd aliquando unum ex ipſis abſque alio animadvertamus, optimè inferatur, eſſe diverſa. Verùm quæ in *ſimilitudinis relatione* feſtinantiùs, quàm res patitur, colligenda, committuntur errata plurima jam capite quinto anticipavimus.

156. Quid autem in diſquiſitionem præterea eſt vocandum, ſi conſtet relationem eſſe cauſalitatis? *Reſp.* Diſquirendum 1. an *effectus* quis *ſolitarius* referatur ad ſuam cauſam, an verò, ut *ſocium* habet alium, e. g. aliud eſt, ſi ex idea Dei probes Deum exiſtere, aliud, ſi ex mente tua ideam Dei habente. 2. viciſſim, an effectus referatur ad unam *ſolam cauſam*, an ad *plures*, quæ non niſi ſimul ſumtæ eum adæquent. Exemplum vide q. 125. 3. utrùm agatur de cauſa, quæ rem olim produxit, adeoque eſt tantùm *procreans*, an verò de illa, à qua res nunc pendet, quæque eſt etiam *conſervans*. 4. an argumentum ſumatur à cauſa *proxima* & immediata, an à *ſubordinatione* cauſarum &c.

157. Sed quia hæc & ſimilia ex Logica Genetica poſſunt colligi, concludatur tandem hæc tractatio. *Reſp.* Habuimus hactenus

nus de examine rationum expreſsè poſitarum, ſciendum verò eſt, *in analyſi ſapientis authoris etiam eas eſſe indagandas, quæ vel in ejus verbis latent abſcondita, vel aliunde ſunt intelligenda*. Exempla darem, niſi jam ad portum inſtitutæ hujus analyticæ navigationis anhelarem. Sed tamen accedant priùs de analyſi dialectica paucula, ut hæc Analytica eodem rerum genere terminetur, quo Logica Genetica. Vide Log. II. capite ultimo.

CAP. XVI.

In Analyſi Dialectica Opponentis *eſt, primò rectè opponere, ubi de oppoſitione contraria & maximè contradictoria; deinde rectè probare*; Reſpondentis *eſt examinare, an ritè oppoſitum, quomodo probatum, diſtinguere ſæpiùs quàm negare, paria paribus regerere, generales canones reſtringere.*

158. Quænam ſpeciatim obſervanda ſunt in Analyſi Dialectica? *Reſp.* Quia in diſputatione *Opponens* reſolvit atque examinat theſin Reſpondentis, *Reſpondens* verò argumentum Opponentis, iccirco agendum eſt hoc loco primò de officio Opponentis, quatenus eſt analyticus theſium propoſitarum; deinde

de

de officio Reſpondentis, quatenus eſt analyticus argumentorum oppoſitorum.

159. Quodnam igitur eſt officium *Opponentis? Reſp.* Primò requiritur, ut controverſæ theſi ſententiam ſuam rectè opponat; deinde, ut id quod oppoſuit conveniente modo probet.

160. Quid intelligitur per ſententiarum oppoſitionem? *Reſp. Oppoſitio* eſt, quando duarum enunciationum eodem ſubjecto prædicatoque conſtantium una affirmat, altera negat, idque ſecundùm eandem ſubjecti partem, eodemque reſpectu ac tempore.

161. Quotuplex eſt oppoſitio? *Reſp.* Eſt contradictoria vel contraria. *Contradictio* eſt 1. inter enunciationem univerſalem & particularem: e. g. omnis homo eſt doctus, quidam homo non eſt doctus: item, nullus homo eſt pius, quidam homo eſt pius. 2. inter duas ſingulares: ut, Petrus eſt pius, Petrus non eſt pius. *Contrarietas* eſt inter duas enunciationes univerſales: ut, omnis homo eſt pius, nullus homo eſt pius.

162. Utro oppoſitionis genere uti debet opponens? *Reſp. Contradictione potiùs uti debet*, quia in diſputatione verum à falſo eſt dividendum. Hoc autem ſola contradictio præſtat, quia enunciationum contradicentium una ſemper vera eſt, altera ſemper falſa. At contrariæ enunciationes ſimul poſſunt

eſſe falſæ, quemadmodum patet in exemplo ſub finem præcedentis reſponſionis allato.

163. Quomodo enunciationi *ſimplici* contradicendum ſit, difficultate carere videtur, ſed quomodo in *compoſitis* contradictio fiat, non ita perſpicio. *Reſp.* Contradictio in compoſitis fit, cùm affirmanti conjunctioni aut relationi præponitur negandi particula, vel contrà, particulâ negandi abjectâ, ex negante fit affirmans: e. g. & prodeſſe volunt & delectare poëtæ, non & prodeſſe volunt & delectare poëtæ, vel: nec prodeſſe volunt, nec delectare poëtæ: Si Germanus eſt, candidus eſt: non, ſi Germanus eſt, candidus eſt. Enunciationi diſcretæ non alia diſcreta, ſed copulata ferè contradicit: e. g. non homini, ſed Deo mentitus eſt: & homini & Deo mentitus eſt. Vel etiam ita contradixeris axioma invertendo: non Deo, ſed homini mentitus eſt.

164. Poſtquam rectè contradixit opponens, quomodo inſtituenda contradictionis *probatio*? *Reſp.* Opponens 1. probationes ſuas formæ ſyllogiſticæ includat, ut & ſtringant nervoſiùs & meliùs intelligantur. 2. ponderi & efficaciæ potiùs argumentorum, quàm numero ſtudeat. 3. optimè calleat Reſpondentis principia, ſententias, hypotheſes, & caveat ne ſuis contradicat. Ita Sadducæi decepti Matth. xxII. putantes Chriſtum docere

cere reſurrectionem ſecundùm hypotheſes Phariſæorum. Vide q. 41. 4. omne probandi onus ſibi incumbere ſciat. 5. omnia ad veritatis inveſtigationem aut illuſtrationem referat, non autem gloriolæ aucupandæ causâ diſputet. Cætera uſus docebit.

165. Quænam ſunt partes *Reſpondentis?* *Reſp.* 1. Videat, num rectè contradictum ſit & oppoſitum, an verò conditio quædam oppoſitionis violata, quod vitium appellatur *ignoratio elenchi*, & committitur quoties concluſio videtur contradicere theſi Reſpondentis, ſed non contradicit, propter conditionem aliquam oppoſitionis omiſſam, quæ in ſolutione eſt indicanda: e. g. qui eſt natus ex Maria Virgine, is non eſt ab æterno. Chriſtus natus eſt ex Maria Virgine. Ergo. Solutio: Chriſtus eſt ab æterno ſecundùm divinitatem, natus ex Maria Virgine ſecundùm humanitatem. Itaque oppoſitio non fit *eodem reſpectu*, vide q. 160.

166. Quid porrò Reſpondens attendet? *Reſp.* 2. *ſyllogiſmi figuram* ex medii termini poſitione, *modum* ex quantitate & qualitate propoſitionum cognoſcet, &, ſi in forma ſyllogiſtica peccatum deprehendat, illo monſtrato, nihil eſt quod ampliùs reſpondeat. 3. At ſi forma bona ſit, examinet, *an veræ ſint præmiſſæ*, imprimis autem *majorem propoſitionem*, quippe quæ ſyllogiſmi fundamentum

tum eſt, expendat, &, ſi fieri poteſt, contrariis exceptionibus infringat aut limitet. 4. *diſtinguendo* ſæpius, quàm ſimpliciter negando reſpondeat. 5. caveat ne ullis *Opponentis interrogationibus* periculo ſe exponat, aut machinis illius inſidiiſve ad iram commotus à ſtatu controverſiæ abducatur. 6. maximæ artis eſſe ſciat cum adverſario iis *armis pugnare*, *quæ ipſe ſentiat*: v. g. contra hominem præjudicatis ſenſuum opinionibus mancipatum argumentis à rebus ſenſibilibus petitis utatur: (ita ſi quis contendat, ſtellas de die non eſſe ſupra nos, quia non videntur, regeri poteſt, eſſe, quia è puteo videntur) contra eum, qui authoris alicujus teſtimonium nimis reveretur, contrariam proferat ejuſdem authoris vel alterius præſtantioris authoritatem &c.

167. Quoniam ex certis inventionis locis argumenta petere ſolet Opponens, quid ratione ejuſmodi locorum obſervandum eſt Reſpondenti? *Reſp. Canonum ad locos iſtos pertinentium limitationes* in promtu habebit. Et generalis quidem limitatio eſt, quod principium omne dialecticum ſit probabile, unde non ſequitur, eſſe etiam ubique certum. Canonum ex *Metaphyſicis* depromtorum ſpeciales limitationes non aliunde meliùs, quàm ex ipſa Metaphyſica probè intellecta hauriuntur. Canonum à locis *Grammaticis* & *Logicis*

peti-

petitorum ſpeciales reſtrictiones tuo Marte facilè addiſces, ſi tanti æſtimes. Ita, ſi quis hunc ad modum argumentetur: ebrius eſt, ergo ebrioſus eſt, ex illo canone, affirmato uno conjugatorum affirmatur & alterum, reſponde, in conjugatis non ſolùm vocis, verùm etiam naturæ affinitatem eſſe ſpectandam.

FINIS.

INDEX
PROLEGOMEN.

CAPVT I.

FVturo Logico & Philoſopho errorum & imperfectionum humanæ mentis in rebus cognoſcendis originem & cauſas inveſtigandas eſſe. 1

II. *Primam errorum originem & præcipuam infirmitatum mentis noſtræ cauſam eſſe præjudicatas Infantiæ opiniones.* 7

III. *Errores infantiæ redundare ad reliquam hominis ætatem univerſam, noviſque ſubinde erroribus augeri & confirmari.* 13

IV. *Errorum cauſas non modò in quolibet homine ſeorſum ſpectato reperiri; verùm etiam in vitæ ſocietate propter converſationem aliorum cum aliis rationem humanam per omnem ferè ætatem ſolere multis modis corrumpi.* 29

V. *Neceſſitatem atque utilitatem artis Logicæ multiplicem è ſuperioribus elucere.* 34

VI. *Ex dictis intelligi plenam ac perfectam Logicam eſſe quadripartitam, cujus duæ priores partes Geneticæ, duæ poſteriores Analyticæ.* 38

I N-

INDEX
LOGICÆ
PRIMÆ PARTIS.
CAPUT I.

*R*Atione ſua recte uſurus notabit primo rerum cognoſcendarum *cognitioniſque differentias*, *deinde* ſuam cognoſcentis *ætatem*, *ingenium*, *profectus explorabit*. 49

II. *Præterea*, *&* *maxime quidem*, cognoſcendi modum *rectum tenebit*, *ſive Methodum facilem*, *brevem ac* tutam, *id eſt*, *humanæ mentis naturæ congruam*, *plenam & perfectam*, *ſic juvantem*, *ut nulla parte noceat. Hanc Methodum docet Logica*, *cujus tres ſunt gradus. Horum* primus *perceptionem rerum claram ac diſtinctam promovet*. 53

III. *Ad perceptionem claram ac diſtinctam reddendam primum & maxime* neceſſario *requiritur* Attentio *debita*, *quæ* comparatur *rei attendendæ unitate*, *jucunditate*, *novitate*, *ſenſibili præſentia*, *ſtudiis Mathematicis*, *temporis ac loci idonei obſervatione*. 57

IV. *Durabilis ut ſit attentio*, *intellectus poſtulat Thema attentione dignum*, *quod ſimplex aut complexum*. Simplex *eſt Subſtantia ſeu Res*, *aut Attributum*, *cujus ſpecies ſunt Accidens*, *Modus*, *Qualitas*. Subſtantia

aut intellectualis eſt, aut materialis: Homo *utramque participat. Intellectualis ſubſtantia materiali eſt conſideratu dignior.* 61

V. *Res intelligitur per ſua* attributa, *& quidem per poſitiva, abſoluta, propria melius, quàm per negativa, reſpectiva, communia. Quæ* propria, *quæ* communia *rerum intellectualium & materialium attributa.* Hominis *attributa quotuplicia.* 65

VI. *Communiſſima rerum attributa ſunt eſſentia, perfectio, unitas, relatio cauſæ efficientis & finis, diſtinctio, oppoſitio, ordo, &c.* 70

VII. *Res & attributa rerum communiter in* Vniverſalia *&* Singularia *diſtinguuntur. Scientia eſt univerſalium; experientia ſingularium.* Vniverſalia *ſunt Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens, è quibus ſingula iterum* diſtinguuntur; *at omnia in eo* conveniunt, *quòd nil aliud ſint, quàm diverſi de re eadem cogitandi modi.* 79

VIII. *Vniverſalium* uſus *in diſcernendis rei eſſentialibus & accidentalibus, in reducendis ſingularibus ad univerſalia, & contrà, in definiendis rebus obſcurioribus.* Definitio *conſtat genere & differentia, vel attributo communi & proprio, & quidem tali quod inter reliquas proprietates emineat.* 85

IX. *Ad definiendum opus eſt* Diviſione, *opus eâdem ad res omnes diſtincte percipiendas, nec tamen has ideo compoſitas eſſe neceſſe eſt: Diviſionem oportet eſſe* adæquatam, *ſive primaria ſit ſive ſecundaria.* Optima *illa, quæ ab ipſa rei natura petitur, & partes ac-*

accuratè diſtinctas, & proportione quadam ſibi reſpondentes continet. 90

X. *Per diviſionem ex uno fiunt multa, in quibus cognoſcendis ne confundamur* Ordine *opus eſt, quo à facilioribus ad difficiliora pedetentim & gradatim perveniamus. Hujus* regulæ *ſpecialior applicatio in ſimplicibus & compoſitis percipiendis, in rebus à prima origine ad poſtremum naturæ complementum pervéſtigandis, in pluribus unius rei diviſionibus ſe invicem excipientibus, in ſingularibus & univerſalibus, cauſis item & effectibus, lucem ſibi ipſis reciprocam infundentibus, utili regreſſu intelligendis. Vnde* Ordinis diviſio *in Syntheticum & Analyticum, Vniverſalem & Particularem, Naturalem & Arbitrarium.* 95

XI. *Ab ordine percipiendi ad ordinem &* modum judicandi, *à ſimplicibus ad complexa, à primo Logices gradu ad ſecundum adſcenditur.* Summa regula *eſt, ut nil niſi perceptione prævia judicemus. Hæc à ratione dictata, ab omnibus etiam agnita, non tamen obſervata infantibus, imò nec adultis. Inde* præjudicia & errores, *à quibus ut liberemur, opinionum temerè antea receptarum novum examen inſtituendum, cognitis ſolis dandus aſſenſus, incognitis denegandus, nec tamen his abjudicanda exiſtentia, quia ſunt incognita, nec de illis, quod alia habent admixta incognita, dubitandum, nec denique laborandum niſi de* perceptione propria *rectè formanda. Quæ omnia in rebus* cognoſcendis *ſemper debent, in* agendis & faciendis *rarò poſſunt obſervari.* 102

XII. *Non omnia dicto modo judicata ſunt æquè certa ac vera. Minùs tale eſt axioma* contingens, *cujus certitudo moralis. Magis tale axioma* neceſſarium. *Neceſſitatis gradus primus in axiomate* de omni, *cujus certitudo phyſica, ſecundus & tertius in axiomate* per ſe, & univerſaliter primùm. *Vtriuſque certitudo eſt metaphyſica, quæ ex manifeſto ſubjecti & prædicati nexu aut pugna dependet. Illuſtrantur hæc ex* univerſalibus, *quamvis etiam locum habeant in ſingularibus.* 109

XIII. *Vt res, ſic axiomata univerſalia ſunt aut ſingularia, & in hoc eorum* quantitas, *at* qualitas *in affirmatione & negatione conſiſtit. Axiomata univerſalia, particularia, ſingularia jam* diſtinguuntur, *jam* confunduntur, *ſibi verò invicem* ſubordinantur, *hinc judicii corroborandi cauſa è particularibus univerſalia, & viciſſim ex his illa colligenda.* 116

XIV. *Collectio illa unius axiomatis ex altero dicitur* Argumentatio, *quæ duas habet* partes. *Hæ in eo differunt, quod præmiſſæ notiores ac certiores concluſione; in eo conveniunt, quòd idoneo* nexu *oporteat eſſe colligatas, itaut vel ab effectu ad cauſam, vel à cauſa ad effectum, vel à particulari ad univerſale, vel ab univerſali ad particulare mens ratiocinando progrediatur vel regrediatur.* 120

XV. *Veritas ut ratiocinando inveniatur incipiendum eſt à particularibus. Ex illis, ad colligendum univerſale (quæ collectio vocatur* Inductio) *ſæpe unum ſufficit perſpexiſſe, ſæpe requi-*

requiritur enumeratio omnium. Quæ ſi inſtitui non poſſit, concluſio aut ſit de pluribus, ita ut excipiantur pauciora, aut etiam de omnibus, contra quæ exceptio nulla eſt, vel pro quibus ratio ſimilis militat, quam ob rationem quandoque ſingulare unum ex alio infertur, quæ argumentatio Exemplum nuncupatur. 128

XVI. Sed rationis ea applicatio fit Syllogiſmo ab univerſali ad particulare progrediente, qui ſi perfectus ſit, tres habet propoſitiones, tres item terminos, ac ſemper ad primam, ſecundam vel tertiam Figuram, nec non ad aliquem ex quatuordecim Modis refertur. Fundamentum generale idem eſt omnibus figuris, at ſpeciale inſuper ſibi vindicat prima, quæ reliquis perfectior. Reliquæ ſyllogiſmorum regulæ ex figurarum & modorum exemplis facilè colliguntur. 135

XVII. Sin imperfectus fuerit Syllogiſmus, neque enim requiritur ſemper ad figuras & modos compoſitus, poterit eſſe hypotheticus, deducens ad incommodum, disjunctivus, dilemma, ſorites, aut alius cujuſcunque generis. 144

XVIII. Rationes in Sorite coacervatas, imò in alia quavis longiore animi noſtri diſputatione connexas ſimul menti præſentes ſiſtere, ut primas mediis, medias ultimis cohærere appareat, memoriæ res primò imprimentis, deinde retinentis munus eſt. Hanc format Logicæ gradus tertius. Impreſſio tum rerum, tum mei ipſius ratione habita promovetur. Retentio variis etiam modis juvatur, qui tamen non ſatisfaciunt, niſi ſcribendo

memoriam ſublevemus, quod fieri debet hac adhibita cautione, ne ſcriptio ſit nutrix negligentiæ. 139

XIX. *Ea occaſione de* Diligentia, *ceu* communi *perceptionis, judicii memoriæque* adminiculo, *agitur. Quibus modis ad eam inſtigandus animus oſtenditur. Ejus partes, officia, fructus deſcribuntur. Tandem* concluditur, *omnia hujus Logicæ præcepta eò ſolùm ſpectare, ut cogitationes noſtræ in cognoſcenda atque eruenda proprio Marte rerum veritate dirigantur.* 144

INDEX

SECVNDÆ PARTIS.

CAPVT I.

A Priore Logicæ Geneticæ *parte, qua noſtras formamus cogitationes, tranſitur ad poſteriorem ſeu* Hermeneuticam, *quæ cogitationes interpretari docet. Hujus cum illa* connexio, dignitas, utilitas *multiplex oſtenditur. Tum virtutes docentis enarrantur, quarum prima eſt*, res tradendas *cum traditionis* fine *perpendere; ſecunda, cùm ſui ipſius, tum maxime* auditorum, *ætatem, ingenia, profectus intueri.* 149

II. *Tertium eſt*, modum tradendi *rectum tenere, id eſt, plena & rebus conformi brevitate facilique jucunditate auditorem ſic imbuere, ut veras* opiniones non velut alieni inge-

ingenii fetus adoptare, ſed ut ſuos proprio animo concipere atque eniti *videatur. Hæc generalis de modo tradendi obſervatio. Speciatim ejus differentiæ variæ. Nam traditio alia fit* voce viva, *alia* ſcripto, *ſuntque & illi præ hac, & huic præ illa ſuæ prærogativæ. Deinde alia eſt* didactica *pro ignaris & magis docilibus*, *alia* elenctica *pro errantibus vehementiuſque adverſantibus, quarum illa potior eſt & ſapientiæ doctori honorificentior. Traditio inſuper alia* acroamatica *pro aſſiduis auditoribus, alia* exoterica *pro turba promiſcua. Hæ pro ingeniorum varietate jam ſejungi, jam conjungi debent. Interim acroamatica præſtantior, cujus virtus eſt*, inventionis ſcientiæ modum ſimul cum ipſa docere. 156

III. *Ad eo modo tradita percipienda auditori, etiam ſpeciali de cauſa, neceſſaria eſt* Attentio, *quam & doctor parat, & res docenda, & ipſe etiam auditor, qui ea quæ docentur ſuo judicio* examinare, *de iis rogare, viciſſimque à docente examinari atque interrogari debet modis appoſitis.* 164

IV. *Attentis animis interpretamur ea, quæ tradimus, externo ſermone, cujus* ſumma virtus perſpicuitas, *quæ comparatur vocabulis & phraſibus rebus exprimendis & intellectui informando accommodatis. Hæc ſi* deficiant, *fingenda ſunt, aut aliunde mutuanda*; *ſin* abundent, *delectum habebimus meliorum, aut pluribus aſſumtis quod uni deeſt altero penſabimus, diſcrimine ſemper* inter philoſophicum popularemque *ſermonem obſervato.* 168

V. Ge-

V. *Generaliùs de ſermone externo dicta ad* efferenda ſimplicia, *ad ſubſtantias*, *ad attributa*, *imprimis ad compoſita & relativa*, *nec non ad alia quælibet ſpeciatim ita ſunt applicanda*, *ut* ſermo exterior reſpondeat interiori. 174

VI. Individua *quomodo vel certo vel incerto ſigno exprimenda*: *quidnam deficiente nomine* generis *aut* ſpeciei *faciendum*: *quando generalibus*, *quando ſpecialibus vocabulis utendum.* 178

VII. *In* Definitionibus, *tum* rei, *tum* nominis, *generatim requiritur* brevitas *dictionis*, *magis tamen* perſpicuitas; *ſpeciatim in illis genus proximum & differentia appoſitis vocibus exprimenda*; *harum verò conſtructio vocabulis vulgo communibus aut diſciplinarum propriis accommodanda eſt.* 180

VIII. *Studendum porrò* diviſionibus *rectè exprimendis*, *quæ ſimiliter aut* rerum *ſunt*, *duobus pluribuſve membris dividentibus conſtantes*; *aut* vocum *tum ſingularum*, *tum conjunctarum.* 183

IX. Ordo *doctrinæ ſeparat* heterogenea, *conjungit* homogenea, *utrorumque intuitu jam dividit*, *jam componit* didactica *atque* elenctica, *præmittit* communiora & *notiora*, *ſubjungit* propria *magiſque difficilia*, *tandem omnia* tranſitionum *vinculis ligat.* 186

X. Complexum *thema rectiùs duabus effertur vocibus*, *quarum altera ſubjectum*, *altera prædicatum notat. Hinc oritur* oratio enunciativa, *oppoſita non enunciativæ*: *Hujus*

jus ſpecies interrogans diſciplinis tradendis perutilis eſt: In illa ſæpe eſt partium tranſpoſitio, defectus, aut redundantia. 191

XI. Partium enunciationis nexus obſcurior optimè declaratur ſimilitudine, quæ bene conveniat cum re declaranda, & cum intellectu auditoris; pro cujus diverſitate jam à corporeis, jam ab intellectualibus rebus petenda eſt, vel etiam à fictis. Comparatio conſtat protaſi & apodoſi. Similitudo ſimplex, vel compoſita, & hæc disjuncta, continua, vel tranſpoſita eſt. 195

XII. Nexus neceſſarius aut contingens ſi exprimatur, conſtituitur Enunciatio Modalis. Dialecticus utitur contingentibus & probabilibus, quæ inter diſputandum aſſeveranter, aliàs dubitanter enunciat. Philoſophus utitur neceſſariis, & ſæpe paradoxis, quæ dociles auditores inſtituendo verecundè affirmat: pertinaces redarguendo confidentiùs aſſerit. Hæc autem ſunt aut communia diſciplinis pluribus, aut propria ſingulis. 200

XIII. Enunciationis quantitas vel definitur notis quibuſdam, ut in formandis ſyllogiſmis; vel non definitur, ut in diſciplinis & colloquiis quotidianis. Analyticus, ut & Dialecticus, particularibus & exemplis priùs & frequentiùs, univerſalibus & regulis utuntur rariùs. Non quælibet, ſed apta ſolùm exempla, aptæ regulæ uſum præſtant. Vniverſalia attributa ſubjecto particulari facilioris cognitionis gratiâ interdum applicantur; & prodeſt univerſalis & particularis inſtitutio, dum inter ſe conferuntur, ſive hæc, ſive illa præcedat. 206

XIV. *Hactenus de complexo themate* explicando: *nunc de* probando. *Probationes* promere *utile, nec tamen inutile aliquando eas* premere. *Simile notandum de concluſionibus. Inductionis & ſyllogiſmorum* compendia. *Syllogiſmus in* forma *uſui eſt diſputantibus. Alii formam negligunt propoſitionum defectu, redundantia, trajectione. Dialecticus* ſparſis *ſyllogiſmis, Analyticus* catenatis *utitur rationibus, &* regreſſu *didaſcalico ingeniorum diverſitati conſulit.* 214

XV. Quæſtio probanda *alia didaſcalica, alia dialectica, aliiſque* argumentis *illa, aliis hæc indiget. Et hîc uſus crebrior eſt deductionis ad incommodum, diſputationis ad hominem, argumentationis per conceſſionem, ſyllogiſmi tentativi. Quæſtionum tria ſunt genera. Didaſcalicus ſyllogiſmus, aut demonſtrativus, aut ſpecialiter didaſcalicus. Dialecticus vocatur* topicus. 220

XVI. Diſputationis *uſus moderatus* commoda *multa præſtat tum opponenti, tum reſpondenti: immoderatus plura involvit* incommoda. Modus *igitur* in diſputando *tenendus, crebriùs ac potiùs in demonſtrando occupatis ingeniis.* Theſium *uſus quis. In iis conſcribendis quæ obſervanda.* 225

XVII. Argumenta *theſibus probandis inſervientia alia dicuntur* inartificialia, *quæ petuntur à teſtimonio humano, communi aut proprio; alia* artificialia, *quæ ſumuntur è locis* Grammaticis, *ut ab etymologia & nomine &c.* Logicis, *ut ab univerſalibus, definitione, diviſione;* Metaphyſicis, *v. g. à Cauſis, Effectis &c. Regularum topicarum* limita-

limitationes *in analyſi Logica Authorum tenendæ, ſed in geneſi certæ cognitionis natura ipſius rei ſpectanda eſt, cùm* canones *iſti omnes ſaltem in applicatione ſint* incerti. 241

INDEX

TERTIÆ PARTIS.

CAPUT I.

LOgicæ Geneticæ, *duabus partibus hactenus expoſitæ, neceſſariò* addendam eſſe Analyticam. *Quis hoc loco dicatur* Analyticus. *Quòd primum in hac Analyſi eſſe debeat* veri ſenſûs inveſtigatio, *quòd hujus inveniendi causâ præcepta tradenda in Logica, & quæ ſummatim ea ſint.* 250

II. *In legendis ſcriptoribus* attentionem & memoriam juvant *Logica analyſis, index, epitome, diaria & loci communes. Hujuſmodi* libri ſecundarii *ad* primarios, *tanquam rivuli ad fontes, ducere, non ab iis abducere debent; cùm non è ſententiis præſtantium authorum ſingulis, quæ exſcribuntur, ſed ex toto orationis corpore potiſſima hauriatur ſapientia; nec melius* authoris intelligendi adminiculum *detur, quàm* jugis lectio & auſcultatio, *quæ duo eruditionis amanti conjungenda ſunt: nec tamen pari diligentia libri quilibet evolvendi; melioris quidem notæ trina minimum lectione dignandi.* 254

III. *Vt ſenſus orationis inveniatur primò habenda eſt* ratio Authoris loquentis, *ut ſua cuique ſecundum juſtitiæ legem ſententia tribuatur. Cognoſcitur ille tum ex ipſo ſcripto, tum è teſtimonio ſuo aut alieno, tum è titulo, niſi falſus hic fuerit. Deinde videndum*, ad quem ſermo dirigatur, *& quomodo conveniat Authori talis perſonæ intuitu loqui.* 259

IV. *Conſideratis circumſtantiis perſonarum, ad ſenſum orationis eruendum porrò attendenda venit* materia, *de qua agitur*, finis *& ſcopus*, animus *item loquentis, nec non lingua ejus &* ſtylus, *denique* ubi & quando *loquatur.* 263

V. *Superioribus prælibatis orationem ipſam examinat interpres, & initio quidem* vocum ſingularum ſignificationes *indagat, in conſilium adhibitis artibus Philologicis*, Lexicâ, Grammaticâ, Rhetoricâ. *Tropus Rhetoricus in voce non ſtatuitur ſine neceſſitate manifeſta.* 271

VI. *Poſthæc, ut ſingularum vocum ſignificata percipiat, Interpres inter ſe* confert *orationis* ſubjectum & prædicatum, *nec non* antecedentia & conſequentia *reliqua, loca item* parallela: *refert inſuper vocabula tum ad communem aliorum rectè* loquentium uſum, *tum ad propriam* diſciplinam. 276

VII. *Poſtremò variæ ſingulorum* vocabulorum acceptiones *Interpreti penſiculandæ, videlicet, utrùm vox* materialiter *ſumatur, an* formaliter; *hæc rurſus an* ſignificativa, conſignificativa, mixta; *porrò* collectivè, *an* diſtributivè *accipiatur*; *ſitne* finita, *an* infinita, *&c. quæ* univoca, analoga, æqui-

æquivoca; *quæ vocum* reſtrictio & amplia-
tio. 280

VIII. *A privarum vocum examine proceditur ad conſiderationem orationis integræ, cujus* ſenſus unicus *eſt, ſive verba intelligantur in* actu ſignato, *ſive in* exercito; *ſive* ſenſus diviſus *ſit, ſive* compoſitus, identicus, *aut* formalis *&c.* 286

IX. *Vt ſenſus totius orationis innoteſcat, imprimis videndum eſt, an & quomodo* Scriptor ſemetipſum interpretetur, *& quidem primò ſi in* eodem loco *perſiſtamus, deinde ſi loca ejuſdem* alia cum aliis conferamus, *in quibus* de eadem ſimilive re *agitur, ſeu ſimili modo, ſeu diſſimili. Nam brevia & prolixa, generalia & ſpecialia, ex profeſſo tractata & perfunctorie tacta &c. ſibi invicem lucem intelligentiæ inferunt.* 291

X. A*uthor etiam verborum ſuorum fit interpres agens de* rebus contrariis ac diſſimilibus. *A contradictione, quantum fieri poteſt, liberandus. Sin aperta* contradictio, *loco poſteriori tempore ſcripto, aut certe eo, qui eſt principalior, mentem expreſſiſſe judicandus. Senſus ei non tribuendus, quem* ſuum eſſe negat, *niſi aliis argumentis convincatur. Nam* factis *quoque &* geſtibus *verba ſua declarat, item* conſequentiis *inde manifeſte deductis, quandoque etiam* ſilentio. *Tacendum aliquando ad calumnias.* 299

XI. *Author, priùs ipſe inſpiciendus, per alios etiam porro explicatur: nempe per* criticos & correctores, *per* diſcipulos & adverſarios, *per* commentatores, *per* interpretem, *denique per alium quemcunque ſimilibus u-*

tentem verbis & ſententiis. 307

XII. *Sive author per ſemetipſum, ſive per alium explicetur, utrobique* habenda eſt ratio æquipollentium *enunciationum*. De ſynonymis *quid obſervandum. Calumniatorum eſt propter* verborum diſcrepantiam ſenſûs unitatem *negare, ſive in verbis, ſive in rebus magis illa unitas conſiſtere judicetur.* 311

XIII. Generaliſſimi noviſſimique interpretandi modi *ſunt, in dubiis benigniora eligere, per omnes exponendi rationes ire, plures æque veriſimiles ſenſus admittere, non ſine juſta cauſa damnare, nec levius erratum graviori refutatione perſequi.* 316

XIV. *Generalibus interpretandi præceptis abſolutis ſpeciales* orationum interpretandarum differentiæ *recenſentur, ut, quòd propriæ vel figuratæ, enunciativæ vel non, perfectæ vel imperfectæ, copulam exprimentes vel occultantes, finitæ vel infinitæ, & quomodo negata finita dignoſcatur ab affirmata infinita, definitæ vel indefinitæ, ſimplices vel compoſitæ: ex his expoſitione indigent conditionales, ſed maxime comparativæ, excluſivæ, exceptivæ, reſtrictivæ.* 320

IN-

INDEX

QVARTÆ PARTIS.

CAPVT I.

S*Enſu orationis percepto* alia ſupereſt Analyſis, *ad quam inſtituendam præcepta Logicæ Gen.non omnino ſufficiunt, tanta ejus eſt in cogitatis alienis & propriis, humanis ac divinis dictis reſolvendis* neceſſitas. *Quo animo ad hanc Analyſin accedendum, cur ſpeciatim* Analyſis Logica *dicatur, & quis ordo in præceptis aut exemplis ejus tradendis ſervandus.* 328

II. *Opinionum varietas unde? cur neceſſaria ignorentur à multis aliorum non ignaris? præpropere de praxi cogitantes cur indoctiores? parentes an bene ad certa ſtudia filios cogant? cur penſa nimis parva nonnulli ſibi proponant? cur in V.T. ad munus Leviticum ætatis maturitas requiſita? cur verba rebus non reſpondeant? cur Logica vulgo tam ſterilis? an bene cogitârint Veteres in celebratione S. Cœnæ exclamantes* ſurſum corda? *cur indocti meliùs quàm docti perſuadeant indoctis?* 334

III. Simplex *non bene voce notatur compoſita, neque* compoſitum *ſimplice. Unde* Homo *male dicitur, pejus* Viſus, Auditus *&c. De nominibus* Angelus & Spiritus *quid ſentiendum.* Elegantia ſermonis *externi, & interni* rectitudo *non ſemper pari paſſu ambulant.*

Circa vocabula *neceſſariò verſatur Logicus Analyticus, aliter tamen ac Philologus.* 338

IV. *Poſitiva & negativa bene diſtinguuntur in his:* pius, impius; *male in illis*: rationale, irrationale; *peſſime in iſtis*: mortale, immortale. *Radix hujus poſtremæ confuſionis & fructus perverſi. Mortalitas & finitudo attributa verè negativa ſunt, immortalitas & infinitudo poſitiva.* Contrà poſſe mentiri, poſſe mori, *negant potentiam, non ponunt.* 344

V. *Fons errorum præcipuus oſtenditur in eo, quod homines aliquid tale ac tantum concipiunt in rebus cogitatis atque alienis, quale & quantum quid eſt in ipſis cogitantibus, & rebus ad ſe pertinentibus. Hoc declaratur* Exemplis *petitis primò à rebus quæ ſolius ſunt* mentis, *deinde à rebus quæ ſolius* Corporis; *porrò ab iis, quæ ſunt* mentis & corporis ſimul, *videlicet appetitu, affectu, ſenſu interno, & externo quintuplice; denique ab iis, quæ ſunt* prope & circa nos. 349

VI. *Perperam* artifici peccatum *attribuitur. Perperam tam* Lunæ illuminandi *actio, quam Soli adſcribitur. Perperam abſtracta eſt notio* Animalis, *& hujus definitio vitioſa.* Vitæ *notio vaga atque incerta nimis, ſeu Phyſicè ſeu Metaphyſicè capiatur. Simile judicandum de notione* Animæ. *Ex utriuſque Vocabuli nimis laxa & obſcura generalitate farrago inutilium quæſtionum in Phyſicam introducta.* 362

VII. *In definitione primo examinatur, an ſit ratione rei vel vocis* neceſſaria, *cum definientes alii peccent in* defectu, *alii in* exceſſu;

porro, an ſit clara *& perſpicua, quæ virtus tralatitiæ* hominis definitioni *deeſt; adhæc, an rei* naturam *legitima* generis ac differentiæ *aſſignatione ſatis evolvat (quod non fit in iſta definitione hominis) &* adæquet; *denique, an* brevitatem *& alias habeat virtutes, quæ in* definitione Dei *reperiuntur, non in vulgari hominis, quamvis in Logica Genetica tradenda pro exemplo hæc fuerit ei aſſuetis lectoribus.* 372

VIII. Analyſis diviſionis *quomodo inſtituenda docetur exemplo hujus, qua res in cogitantes & extenſas diſpeſcuntur, ubi quæritur primo, an* neceſſaria *ſit iſta diviſio; porro, an recte vocabulis illis proponatur,* materiales & immateriales, corporeæ & incorporeæ; *quomodo hæc ita expreſſa à Philoſophis defenſa, à Iuriſconſultis retenta; adhæc, an apte his vocibus,* corpora & ſpiritus, *vel illis,* ſenſibiles & inſenſibiles, viſibiles & inviſibiles, intelligibiles & imaginabiles; *præterea, quomodo membra dividentia* opponantur, *an* adæquata *diviſio, an bene res cogitantes* activa, *extenſæ* paſſiva *voce notentur, an illæ ſint* verè res? 383

IX. *Modo tradendi ſcientias* per meras definitiones ac diviſiones *nec patrocinantur antiqui, nec favet Logica; ut nec ipſe humanæ mentis convenit naturæ, quæ gaudet ratiocinatione omniumque ſuarum facultatum exercitio; neque contenta ſimplice ſtrictarum definitionum diviſionumque apprehenſione uberiorem rèrum explicationem ſententiarumque nexum firmiorem magiſque naturalem deſiderat.* 395

X. *Reji-*

X. *Rejicitur modus tradendi diſciplinas per* meras diſputationes. *Diductio per communes locos cauſarum, effectorum* &c. *poſtponitur methodo* hiſtoricæ. *In quovis ordine* connexionis *eſt maxima habenda ratio.* Sermones Chriſti *aliquando ſequuntur ordinem cogitationum, quas habebant auditores. Non modo conſiderandum, cur author quid* tradat tali loco, tali modo; *ſed etiam cur interdum quid* prætermittat, *aut paucioribus attingat.* 402

XI. *In* analyſi enunciationum *potiſſima habetur ratio veri & falſi, & cauſæ utriuſque ſpectantur.* Errorum *cauſæ in* ſingulis *hominibus ſunt affectus & præcipitis animi impetus, item vitioſi habitus, uno verbo, æquilibrium perceptionis & judicii neglectum; in* ſocietate *hominum & differentes ſibi mutuo, & docentes diſcentibus, & hi viciſſim illis errandi præbent occaſionem.* 409

XII. *Examinantur veritas & falſitas, & gradus utriusque in enunciationibus primò* ſimplicibus, *ubi illa*, nihil dicitur quod non dictum ſit priùs, *falſa eſſe deprehenditur, ſi de eo, quod fieri debet & poteſt; at contingenter vera, ſi de eo, quod fieri ſolet, accipiatur; alia*, Deus neceſſariò exiſtit, *habet certitudinem moralem & phyſicam, eſtque ſuo modo de omni, habet quoque certitudinem metaphyſicam, eſtque per ſe & univerſaliter primùm, ideoque magis neceſſaria hac;* binarius eſt par; *deinde* compoſitis, *videlicet copulatis, hypotheticis, disjunctis.* 415

XIII. *Examinatur communis illa notio:* cauſa ni-

ſa ni-

ſa nihil largitur effecto quod non habet, *& primo inquiritur, quàm diverſis modis* exprimatur; *deinde, quomodo ſpeciatim* applicetur *ad cauſam efficientem eſſe quod non eſt, ad cauſam declarantem id quod obſcurum eſt, ad cauſam notum quid facientem, docentem, probantem, jus in alium transferentem, affectus in alio cientem, phyſice moventem, fructum edentem, denique ad cauſam exemplarem: ubi ſimul fundamentum ponitur illius demonſtrationis, qua oſtenditur*, Deum exiſtere, *hoc argumento, quod de ente ſumme perfecto cogitare poſſimus.* 425

XIV. *Argumentationis examen analyticum à* Quæſtionis conſideratione inchoatur: *ubi videndum eſt, de quo ſit quæſtio; quid quæratur; utrùm de omni, an de aliquo tantùm; per ſe, an per accidens inſit ſubjecto tale attributum; univerſaliter primùm, an in alio priùs; ſimpliciter, an ſecundùm quid; an, & quæ cauſa ſit dubitandi & quærendi; in ſenſu diviſo, an conjuncto intelligenda quæſtio; ſitne una & ſimplex, an multiplex; quo loco & tempore, quo fine, imo etiam à quo proponatur, & quale probationis genus exigat.* 438

XV. *In examine* probationis *diſtinguendum argumentum à partibus quæſtionis; & maxime de* præmiſſis *inquirendum, utrùm* veræ *ſint*, *an* falſæ, *an concluſioni accommodatæ, an eâ* notiores, *an cum ea* connexæ, *& quomodo; ubi de imperitia eorum, qui omnis generis rationes confundunt, aut è genere in genus tranſeunt, aut nimis generales &*

& remotas cauſas adducunt, aut ſtatim ad miraculum confugiunt, aut à nomine, vel ſpecie, qua tale quid videtur, argumentantur; aut inter nexum phyſicum & metaphyſicum, inter originis, ſimilitudinis, differentiæ relationes non diſcernunt. Nec ſolùm de rationibus dictis, *ſed etiam de* indictis *cogitandum.* 447

XVI. *In Analyſi Dialectica* Opponentis *eſt, primo recte opponere, ubi de oppoſitione contraria & maxime contradictoria; deinde recte probare;* Reſpondentis *eſt examinare, an ritè oppoſitum, quomodo probatum, diſtinguere ſæpiùs quàm negare, paria paribus regerere, generales canones reſtringere.* 458

FINIS.

Digitized by Google